





2
6
130












I

II

XXX

EFFER



MANVALE POLITICVM CHRISTIANVM

DE RATIONE STATVS, SEV, IDOLO PRINCIPVM.

IN QVO DE VERA, ET FALSA forma gubernandi Remp. de Religione; de virtutibus Principum; de potestate Ecclesiastica; de bello, & pace compendiosè agitur.

AVCTORE
WILHELMO FERDINANDO
ab Efferen, Domino in Maubach, &c.

Editio secunda auctior.

Cum gratia & privilegio S. Cæs. Majest.





PASSAVII
Apud CONRADVM FROSCH.
Anno Domini M. DC. XXXIV.

IV



REVERENDISSIMO ET SERENISSIMO PRINCIPI LEOPOLDO VVILHELMO, PRIMATI GERMANIÆ, ARCHIepiſcopo Magdenburgenſi, Archiduci Auſtriæ, &c. Epiſcopo Argentinenſi, Halberſtadienſi, & Paſſavienſi Principi, & Domino ſuo Clementiſſimo.

OFFERO Reverendiſſime, & Sereniſſime Princeps, Celſitudini veſtræ ſereniſſimæ Idolum Principum, non vt illud colat, ſed vt fugiat, deſtruat, & à regiis ſedibus ſuis evellat. Continet enim hoc Idolum ſuave Politicorum venenum, errores, & exceſſus, quibus ſub ſpecie Rationis ſtatus orbem vniverſum, tum maximè Rempub. Chriſtianam inficit, & tantum non penitus evertit. Offero ſimul veram Rationem ſtatus, vt ad regna natus, & ad Eccleſiæ renaſcentis in Germania protectionem vocatus, ſecuriorem gubernandi viam

inveniat. Et licet Augustissimi, & Gloriosissimi Imperatoris, parentis optimi, eximiæ virtutes, coruscans in orbe pietas, & prudentia Cels. Vest.ª Seren.mæ congenitæ sint, & ex omni parte sufficere possint, ego tamen obligationis memor hoc exiguum Manuale Politicum (gratæ solitudinis meæ opusculum) Cels. Vest.ª Seren.mæ in subsidium, & desiderij mei testimonium submissè dedicare volui. Accipiat, qua solet benignitate hos pauculos conatus, illosq; ab iniuria malignantium potenter defendat. Si Idolum Principum fugiat, Veram Rationem status, & avitas virtutes sequatur, vt felix Imperium auguror, ita divinæ providentiæ ad hoc gratiam plenissimis votis imprecor.

Seren.mæ Cels. Vestræ.

Humilimus servus

VVilhelmus Ferdinandus ab Efferen.



AD LECTOREM.

EXhibeo tibi, Candide Lector, Manuale Politicum, in quo Idolum Principum, seu falsa Ratio status breviter describitur. Optarem hoc per me pro gravitate rei quàm perfectissimè potuisse fieri, sed quia inferiores vires sentio, te amicè compello, & invito, vt ex fundamentis Theologicis, & Christiano politicis hoc ipsum falsitatis Idolum destruere, & pestem tam exitialem à Repub. Christiana evellere suscipias. Placebunt Deo labores tui, & non sine munere tibi gloria cumulabitur. Scio plerosque Politicos, mundi prudentiâ ebrios pauculas has considerationes status aversari, & quod à via communi recedant, despicere. his ego rationem consilij mei aperio. Quod sicut Ethnicus, & Christianus diversos habent fines actionum suarum, & Reipub. gubernandæ; ita etiam diversa habent media ad propositum sibi finem. Vnde quemadmodum impossibile est Ethnicum per media, seu principia Christianorum ad suum finem

propriæ gloriæ, & conſervationis Reipub. deducere; ita omninò impoſſibile eſt Chriſtianum verum per Ethnicorum principia ad deſtinatum finem, gloriam Dei, & æternam ſalutem pervenire. Ethnicis ſuprema lex eſt, ſalus, ſeu conſervatio, & augmentum Reip. At Chriſtianis ſumma lex eſt, & primarius finis, gloria Dei. Ethnici fortunæ menſam ſternunt, illam adorant, illi omnes eventus aſſcribunt: Chriſtiani ſoli divinæ providentiæ, non fato, non aſtrorum inclinationi, omnia tribuunt, fortunam ignorant. Illi in vana gloria mundi, in ſplendore regnandi, & vtilitate propria ſuam felicitatem concludunt: Hi æterna ſibi habent propoſita præmia; in gloria Dei ſalutem æternam. Illi miſericordiam in humanis vocant ſtultitiam, humilitatem rident, dolum ſummam prudentiam reputant: hi in miſericordia ſalutem inveniunt, quam in humilitate quærunt; & dolum ac humanam prudentiam, vt ſtultitiam fugiunt. Cum ergo certum ſit Chriſtianos, & Ethnicos in fine differre, non miraberis, amice lector, quod per erroneas Ethnicorum vias Chriſtianum principem non deducam. Chriſtianis via, veritas, & vita Chriſtus Deus eſt;
ejus

ejus voluntas lex; & gloria finis. Tu si quid in meo Opusculo sinistrum deprehenderis, liberè sine offensione corrigere poteris; si quid te dignum, aut gratum judices, gratias mecum age Deo, cuius gloriam, & communem salutem simpliciter intendo. Vale & fruere.

Wilhelmus Ferdinandus ab Efferen.



SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS PRIVILEGIVM.


Autum est Privilegio Cæsareo, nequis Manuale Politicum de Ratione status, seu Idolo Principum Auctore Wilhelmo Ferdinando ab Efferen, &c. editum, præter, aut contra voluntatem ipsius Auctoris (qui hanc secundam editionem Conrado Frosch Typographo Passaviensi commisit) in provinciis Romani Imperij excudere, aut alibi impressum vendere præsumat, idq; sub pœna amissionis omnium librorum, & aliis in dicto Privilegio expressis. Datum Viennæ Austriæ 15. Junij, Anno Domini 1629.

Ferdinandus.

(L. S.)

Ad mandatum Sac. Cæs. Majest. proprium.

Vt.
Pet. Hen. à Stralendorff.

Gerh. à Zwethen.

APPRO-



APPROBATIO.

Liber, qui inſcribitur, Manuale Politicum de Ratione ſtatus, ſeu Idolo Principum, Wilhelmi Ferdinandi ab Efferen, Domini in Maubach, &c. ſicuti Inſigni varietate, & novitate doctrinæ maximè politicæ pereleganter excultus eſt, & nihil, quod vel fidei Catholicæ, vel bonis moribus adverſatur, continet; ita haud dubiè Catholicis pijs politicis perjucundus erit, ac perutilis. Itaque cum dignus ſit, vt in plurium manus deveniat, excudatur. Francofurti ad Mœnum 15. Decembris 1630.

Johannes Ludovicus ab Hagen,
ſanctæ ſedis Apoſtolicæ, &
Sac. Cæſ. Majeſt. in re libraria Commiſſarius Generalis, Decanus S. Leonhardi; Cuſtos S. Bartholomæi.

B INDEX

INDEX PVNCTORVM.

Cujusq; Libri.

Puncta libri Primi.

Puncta libri Secundi.

Pun-

Puncta libri tertij.

Puncta libri Quarti.

Puncta libri Quinti.



LIBERI I.
DE RATIONE STATVS,

Seu de vera & falsa forma gubernandi Rempublicam.

PVNCTVM I.
Quid sit Ratio status?

RATIO status, est prudentia gubernandi, augendi, & conservandi rempublicam. Dicitur prudentia, quia verè sapientissima consilia requiruntur, vt homines naturâ liberi, affectibus contrarij, imperij alieni impatientes, cupiditate insatiabiles, moribus inconstantes, novitatibus addictissimi, conditione vitæ, & status maximè differentes, sub vno Rege, Principe, vel magistratu mitescere, legibus parere, & saluti publicæ consulere doceantur. Imò verò prævidens author Naturæ Deus hanc difficultatem in humanis, ipsi naturæ hominum subvenit, concedendo Regibus magnitudinem animi ad omnes tempestates moderatam, subditis voluntatem inflectendo, vt non tantum sponte obedi-

1. Rationis status definitio in genere.

2. Rationis status definitionis explicatio.

3. Deus dirigit Reges ad imperandum, subditos ad obedientiam.

obediant, ſed & vitam, fortunaſque pro ſalute regum exponant.

4. Naturæ humanæ inclinatio.

Sed quia non obſtante hac inclinatione malitia humana ſæpius eò tranſcendit, vt divina contemnere, os in cœlum ponere, leges evertere, quietem publicam turbare non erubeſcat, meritò prudentiam dixeris, quæ huic feritati frenum injiciat, & rempubl. à naufragio doceat liberare. hoc autem præſtat ratio ſtatus, ergo jure ſuo prudentia dicenda eſt.

5. Ratio ſtatus eſt ſcientia ſcientiarum.

Quod nomen, & genus, ideò liberalius ei concedi poteſt, quia S. Chryſoſtomus, S. Gregorius Nazianzenus, & alij SS. Doctores, hanc prudentiam vocant artem artium, & ſcientiarum ſcientiam. Cujus eximij tituli ratio dari poſſe videtur, quod Reges & Principes, omni ſcientiarum genere egregiè inſtructos viros magnis ſumptibus conquirant, vt ſaluti reipublicæ proſint: tum, quod nulla ſit ſcientia, quæ Principi in republ. benè administranda non ſit neceſſaria, tum etiam, quod homo, cui Deus hæc inferiora ſubjecit, ad imperandum natus, verè ſcientiam ſcientiarum habere dici debeat, quando per gratiam Dei, ad ejus gloriam, ſuam, & reipubl. ſalutem, omnia prudenter dirigit.

6. Politicorum vana gloria.

Prætereo lubens, quod qui ad rempubl. ſedent, Politici per excellentiam dicti, ſoli ſapientes, ſoli prudentes haberi, & dici velint. ergo ratio ſtatus, quæ ipſos ſapientes efficit, optimè prudentia nominatur. Sequitur in definitione differentia hujus prudentiæ, quod in gubernanda, augenda, & conſervanda republica conſiſtat; quibus partibus à morali virtute, & omni alia humana prudentia diſtinguitur.

Quid autem ſit gubernare, augere, & conſervare rempublicam, hoc reges, & ſubditi, activè, & paſſivè, ita

tenerè

tenerè sentiunt, vt explicatione minus, quàm consolatione egeant.

Superest, quid in hoc compendio seu manuali, per nomen reipub. intelligi velimus, declaretur. Relictis ergo vanis de nomine disputationibus, ex communi hominum judicio dicimus, rempubl. vocari non tantum civitates liberas, sed & imperia, regna, principatus, quæ sub vno capite, vel pluribus vivunt, & reguntur. Sic Romana respub. tam sub Regibus, quàm tempore Consulum, & Imperatorum nomen reipubl. non amisit. 7. Respublica quid sit?

Obscurius est intellectu, quid titulus noster, Ratio status, propriè significet. Nam videntur Politici seu prudentes seculi hoc solo velamine errores Principum obnubilare, excusare, Majestatem tueri, subditosq; terrere velle; adeò, vt si quid grave actum, aut statutum sit, sufficienter pro justo, & recto haberi debeat, si dicant. Ratio status sic exigit. Cui, si vel verbo subditus contradicat, crimen læsæ Majestatis commisisse arguatur; quasi Deus hoc secretum, & hanc prudentiam solis sapientibus sine mensura communicasset, & parvulis suis de ea nihil revelasset. Videamus ergo intimius, quid præter definitionem à nobis allatam, ex vsitato modo loquendi per Rationem status Politici intelligi velint. 8. Rationis status abusus.

Non malè rem totam prodiderit, qui dixerit, rationem status esse secretum, seu consilium arcanum, solis Regibus & Politicis reservatum, quo in omnem eventum actiones suas excusare, & defendere possint. Et quoniam hoc secretum Regibus sæpè tam gratum est, vt quasi divinis, & humanis soluti legibus, in gravissima mala, & pericula sese præcipitent, aut induci patiantur, illud ipsum, Idolum Principum diximus. Quod quo modo sano sensu sit intelligendum, in sequentibus aper- 9. Ratio status quid sit in mente Politicorum? 10. Ratio status quare vocetur Idolum Principum.

tum fiet. Hoc loco sufficiat dicere, Rationem status propriè loquendo, esse curam reipublicæ atque sic omnes Nationes intelligunt, & interpretari volunt.

PVNCTVM II.

De divisione Rationis status.

1. Rationis status divisio.

RAtio status, hoc est, forma reipub. est vera, vel falsa; Ecclesiastica, vel secularis; imperium vnius; paucorum optimatum; vel populi.

2. Ratio status vera quid sit.

Vera ratio status, seu forma reipubl. regni, principatus, vel civitatis est, quæ secundum Deum, per honesta licitaque media, & veras virtutes Regem, principem, magistratum, eorumquè subditos, ad vltimum finem, salutem æternam, & temporalem prosperitatem prudenter dirigit.

3. Ratio status falsa quid sit.

Falsa ratio status est, quæ neglecto Deo, fortunam adorat, conservationem reipub. supremam legem constituit, & pro illa omnia media, justa vel honesta, ex vtilitate metitur.

4. Ratio status Ecclesiastica quid sit.

Ecclesiastica forma reipubl. est, quæ duce Spiritu sancto, sub vno summo capite, Vicario Christi, per subordinatam harmoniam personarum, & legum, omnia humana, reges, principes, subditos, ad Dei gloriam & salutem animarum instruit, sacrificijs præest, divinis intendit.

5. Ratio status secularis quid?

Secularis ratio status, est ea, quæ in regno, principatu, vel civitate homines ad honestatem moralem, pacem publicam, & fœlicitatem propriam disponit.

6. Monarchia quid sit.

Imperium vnius vocamus communi voce Monarchiam, quando vnus Imperator, rex, vel princeps, legitimè ad hoc natus, vel electus, regnum, & rempub. conveniente subordinatione administrat & regit.

7. Tyrannus quid sit.

Cui opponitur Tyrannus, qui non electus, neq; natus Princeps rem-

Princeps rempublicam invadit, & violenter dominatur.

Optimatum forma reipubl. eſt, quando pauci, & ij optimi rem populi gubernant. Cui contrariatur Oligarchia, quando divites & potentiores prædominantur. 8. Ariſtocratia quid ſit.

Popularem rempubl. ſeu Democratiam dicimus, quando, & populus magiſtratum gerit, & pauperum vtilitatem pro fine conſtituit. 9. Democratia quid ſit.

Poſtularet nunc ordo, de ſingulis ſpeciebus ſeorſim tractare; ſed quia hoc noſtri inſtituti non eſt, lectorem ad Chriſtianos politicos, & inprimis ad Reverendum P. Adamum Contzen, Soc. Jeſu Doctorem Theologum remittimus, ſolamque nobis veram & falſam Rationem ſtatus intimius examinare, tum etiam libro tertio de Eccleſiaſtica repub. quædam diſſerere proponimus. Priuſquàm verô hoc mare conſcendamus, neceſſariò præmittenda videtur inſtructio, quid homini Chriſtiano, Principi vel ſubdito, de origine ſeu dependentia, & de regnorum, reipubl. vel vt nunc Europa loquitur, ſtatus fine ſentiendum ſit. 10. Adamus Contzen Societ. Ieſu P.

Pvnctvm III.

De origine ſeu dependentia ſtatus, ſeu reipublicæ.

HOc loco nobis cum verè Chriſtianis de origine regnorum controverſia eſſe non poteſt, quia cujuſcunque ſtatus illi ſint, Deum Opt. Max. omnia creaſſe, continua creatione omnia conſervare, & incomprehenſibili providentiâ omnia gubernare, plenâ fide profiteantur neceſsè eſt. Hoc in primo articulo fidei noſtræ tam certum eſt, ex ſacris litteris & hiſtorijs, ex 1. Reges, & regna dependent à Deo. 2. Deus creavit, & regit omnia.

verbis ipsius Dei, Christi Jesu, SS. Apostolorum, & omnium Doctorum Ecclesiæ, imò ex Ethnicorum scriptis, & sententijs, & ex naturali ratione, tam evidenter verum est, vt qui id ipsum blasphemo ore negaverit, aut in dubium vocaverit, Christiano nomine indignus sit censendus. Ergo & rempubl. reges, & regna, à Deo originem suam ducere, & in esse, & conservari dependere, infallibili veritate asserimus. Atq; hanc veritatem realiter agnoscunt (vtinam non serius) omnes reges, principes, magistratus, quando summus ille Creator, & justus judex Deus, appendit, numerat, dividit.

3. Christianus non est dicendus qui Deum creatorem negat.

Videamus nunc quid politici, hoc est Athei nostri temporis, de origine, & conservatione regnorum sentiant. Primus, qui inter Christianos impietatem suam in hoc genere scripto prodidit, est Nicolaus Macchiavellus, qui blasphemus contemptor divinæ Majestatis, Gentilium errores ab inferis revocans, fato, influentiæ astrorum, & fortunæ omnia humana, conversiones regnorum, vitam & mortem, adversa & prospera dependere contendit. Hunc sequuntur ferè omnes Politici, qui religionem à republ. exulare volunt, & arcana sua consilia ad omnes eventus regibus occulta calliditate propinant.

4. Macchiavellus docet rempub. à fato & fortuna dependere.

Rationem suæ damnatæ opinionis adfert Macchiavellus, quod in historijs per innumera exempla Romanæ reipubl. & aliarum ita fato viderit omnia obnoxia fuisse, & dirigi. vt quo fortuna pellit, eò ferri necessum sit: ergo à fato & fortuna dependent omnia. Vocat autem fatum nexum necessarium, ab astris rebus humanis influentem. Fortunam dubium rerum casum, & eventum, cui nulla humana prudentia resisti possit.

5. Fatum Macchiavelli & fortunæ.

6. Fortuna quid sit.

Hæc opinio, si fundamenta consideres, parum ha-

bet

bet ſubſiſtentiæ; ſi authores, hoc eſt atheos reſpicias, difficulter refutabitur. Ratio prioris eſt; quia eſt contra comunem ſenſum omnium bonorum, doctorum, gentilium, & Chriſtianorum, qui à Deo omnia dependere demonſtrant: ita vt parum laborandum ſit, ſi Macchiavellum fortuna, tanquam montanum flumen, ad hanc impietatem docendam præcipitem egerit, quando omnes ſapientes, omnes Sancti, omnes creaturæ, clamant Deum creatorem rerum omnium, & omnem poteſtatem eſſe à Deo. Ratio poſterioris partis quoad difficultatem refutationis eſt; quia homines athei, ipſum Deum, omnia ſcientiarum principia negant, religionem & fidem violant, ſolam fortunam, cui omnia tribuunt, adorant. Unde fruſtrà laborat, nihilque proficit, qui cum atheis agit, ſi rationes convincentes, vel authoritates infallibiles, vel divinas revelationes, aut certitudines alleget. Cujus rei veritatem me docuit experientia. Cum enim per Europam cum multis hujus notæ viris magnis, Chriſtianis, Turcis, & infidelibus, de Deo, religione, & regnorum fundamentis converſando tractarem, conſtanter principia rationis negarunt, & ſuæ fortunæ cultores permanſerunt: vſque adeò hoc verum deprehendi, vt quantum mihi pro exiguo captu res humanæ innotuerunt, vix credere poſſim vllam hæreſin majorem eſſe, quàm Atheiſtarum. Ratio movens eſt, quia aliæ hæreſes ex noſtræ fidei fundamentis malè intellectis reſultantes, Chriſtiano orbe ferè concluduntur, hæc vero Atheiſtarum impietas, & maximã partem Chriſtianorum occupat, & omnes mundi partes pervaſit, eſtque eò periculoſior, quò magis occultè ſuos ad omnẽ eventum inſtruit, omnemq; moralem honeſtatẽ præ ſe ferre & quamcumque religionem effingere, & ſequi docet.

7. Macchiavelli impietas.

8. Athei negant Deum, & omnia principia.

9. Atheiſmus latiſſima hæreſis, & impietas.

10. Atheismus quid contineat.

Alia ratio hujus meæ opinionis eſt, quod Atheiſmus ideò hominibus gratiſſimus ſit, quia negando omnia rationis, & fidei principia, diabolo ſuadente facilè defenditur, difficulter agnoſcitur, non admittit eſſe peccata; ad flagitia, ſcelera, omnemque impietatem, portas aperit, juſta & injuſta, adverſa & proſpera in humanis caſibus fortunæ adſcribit, & omnem religionem pro re nata ſibi vtilem facit, & fingit. Utinam fallar in hac concepta opinione. Utinam Deus avertat hoc malum ab orbe Chriſtiano. quod ideò magis optandum & orandum, quia contra negantes principia, & fortunæ impetum ſequentes, non proficit humana induſtria.

11. Athei Deum negant.

Cum itaque ex ſupradictis conſtet, ſolos Atheos rerum omnium dependentiam à Deo, ipſumq; Deum, & rationem in homine, hoc eſt, ipſum hominis eſſe, nimis impiè negare, meritò Reges, Principes, & omnes verè Chriſtiani, ab ijs abhorrebunt, cavebunt, & quod ipſe Deus omnia creat, omnia conſervat, & gubernat, indubitanter tenebunt. Stultis autem his reſpondebimus ſecundum ſtultitiam ſuam, ne videantur ſibi ſapere. Dixit inſipiens in corde ſuo, non eſt Deus. Ipſe eſt, qui fecit nos, & omnia, Deus noſter.

12. Fati Chriſtiani definitio.

Reſtat vnum, quid apud Chriſtianos dici debeat fatum, ne hoc nomen alicui difficultatem gignat. Dicimus ergo fatum, eſſe inevitabilem rerum diſpoſitionem, per quam divina providentia ſuis quæque nectit ordinibus. & hoc fatum non neceſſitat hominis voluntatem, nec aſtris, aut fortunæ in arbitrium humanum tribuit imperium.

PVNCTVM IV.

De fine status seu rerumpublicarum.

MUltis disputationibus finem imponemus, si de
fine status seu reipub. ex fundamentis Christianæ
nostræ fidei statuamus. Et quia hoc nobis propositum 1. Ethnicorum errores circa finem reipub.
est; Ethnicorum errores, Epicuri sordes, voluptates, alio-
rum divitias, honores, fœlicitatem temporalem, aut
ipsius reipub. conservationem, vt supremam legem, pro
vltimo fine status non admittimus. Ratio est, quia hæc 2. Rationis status falsus finis.
sunt media ad finem, non ipse finis. Deinde, quia illa
omnia facilè peritura, non habent proportionem cum
fine, qui hominis animæ immortali, & spirituali debe-
tur. Tertiò, quia ipsi Gentiles philosophi, naturali dis- 3. Ethnicorum opinio de fine status.
cursu fundati, summum bonum, hoc est, Deum, rerum
omnium vltimum finem constituerunt. Quartò, quia 4. Finis omniũ creatorum est gloria Dei creatoris.
divina providentia æterno decreto statuit suam gloriam
esse hominis, & rerum omnium creatarum vltimum fi-
nem, ad quem æternà felicitate consequendum, opes,
honores, sanitatem, virtutes, & alia convenientia me-
dia in republ. certis legibus concessit. Nemo ergo sanæ
mentis aut verè Christianus alium, & quidem vltima-
tum status finem sibi proponat, quàm ipsum Deum, &
ejus gloriam; in qua vera & æternum duratura fœlicitas, 5. Hominis salus.
omniaq; desiderabilia hominis essentialiter consistunt.

Si quis objiciat, ex hac Christianorum doctrina se- Objectio 1. Solutio objectionis primæ.
qui, omnes sapientes Gentilium, (quod durum sit) in
fine decernendo errasse.

Id omni modo profitemur. quia omnes illi rebus
terrenis immersi, potatis erroribus ebrij, sibi studuerunt,
suos honores, opes, commoda quæsiverunt, Deum per

6. Ethnici quare in fine errarint.

rationes naturales agnoſcentes non glorificaverunt, & de futuris æternis perperam ſentientes ſibi divinos honores ſtatuerunt, ideò dati in reprobum ſenſum ab vltimo noſtro fine aberrarunt, & fœlicitate temporali vehementer elevati æternam amiſerunt.

Objectio 2.

Si dicas ſecundò, eodem modo politicos in falſa ratione ſtatus ab vltimo fine aberrare: eò, quod fortunæ omnia tribuant, & fœlicitate perſonali omnia concludant.

Solutio objectionis 2.

Reſpondeo diſtinguendo, ſi Politici, hoc eſt, athei, intrinſecè examinentur, non tantum errant in vltimo fine ſtatus, vt Gentiles, ſed multò gravius in Deum peccant. Quia Gentiles Deum non glorificaverunt, hi nec Deum agnoſcere, nec honorare volunt; illi in tenebris errarunt, hi in lumine gratiam contemnunt. Si autem hi ſapientes mundi in ſuis arcanis conſiderentur, ſic regibus ſuam ſanctitatem ad gloriam Dei directam in quacunque religione accommodant, vt externa fronte verum vltimum finem ſtatus propoſitum habere videantur. Caveant ergo reges ſibi ab iſtis Diaboli ſimijs, qui pro re nata in quemlibet eventum mores, conſilia, & religionem efformare norunt. cognoſcent autem illos ex fructibus ſi verba & actiones ad normam Chriſtianæ religionis prudenter ſecernant.

7. Athei quare Gentilibus deteriores?

8. Politici Athei ſunt Simiæ diaboli.

Objectio 3.

Dicunt alij tertiò, etiam Chriſtianos reges, & magiſtratus, ſalutem, & conſervationem regnorum ſuorum, & reipubl. pro fine ſuæ intentionis habere, quod ab effectibus demonſtrant, quia pro communi ſalute vitam, & fortunas exponunt, bella movent, & pro conſervatione extrema quævis moliuntur, ergo non purè Deum, ejuſque gloriam vt finem certum propoſitum habent. His reſpondetur, aliud eſſe dicere quid fiat à Chriſtianis, aliud

Solutio objectionis 3.

9. Abuſus non docet.

aliud quid Christiani verè facere debeant. Si igitur Reges Politicorum impijs consilijs seducantur, vt conservationem regnorum sibi destinatum finem habeant, errant graviter; si autem conservationem regnorum per honesta justaq; media sectentur, vt cum salute singulorum omnia ad Dei majorem gloriam redigantur, faciunt, quod debent, & erit illis merces copiosa, fœlicitas æterna.

10. Reipub. salus non est finis ejusdem.

Ultimatus ergo finis status, aut regis Christiani erit, gloria Dei, secundarius, salus regni, seu reipubl. Et quia reges divino favente numine facilius se, suosque status conservant, quando secundum Dei leges administrationem instituunt, quod plurimis exemplis historiæ testantur, stultum est, neglecto Deo, spreta religione, fortunæ casibus regna exponere, & vtrumque finem infæliciter amittere.

11. Finis Regis Christiani vltimatus, & secundarius.

PVNCTVM V.

De forma status, quænam sit melior?

VEhementer solet hæc quæstio Politicos exercere, dum hi monarchiam, alij Aristocratiam, alij Democratiam optimam formam reipubl. esse contendunt. Sed quia parum vtilitatis exinde in Principem Christianum redundat, dicam simpliciter, quod candidè sentio.

Illa forma status, seu reipubl. est omnium optima, quæ proximè verum, & vltimum finem suum attingit, hoc est, quæ magis Dei cultum, & gloriam tuetur, & amplificat. Ratio est, quia ex fine ponderanda venit cujusq; rei bonitas; & cum Deus in sua gloria indubitanter sit summum bonum, consequens necessarium est, vt quæ forma regnandi proximè ad Deum ducit, illa omnium optima

1. Forma status quæ sit optima.

2. Forma Reip. optima quæ.

optima dicenda sit. non secus atque optimus Dux itineris habetur, qui ad desideratum terminum sibi commissum sine errore fœliciter deducit. Et sic liberè mecum in genere sentire potest quilibet Christianus princeps. In specie verò, ne videamur solitas quæstiones, & ingeniorum exercitia contemnere, Monarchiam, seu imperium vnius, omnibus alijs præferendum censemus, si subordinatione personarum, legibus, & virtutibus instructum sit. Rationes sunt plurimæ, quæ in hunc finem à Politicis adferuntur, sit prima. Quia creator omnium Deus vnus est, qui infinita sua prouidentia per admirabilem hierarchiam spirituum, angelorum, & hominum, cœlestia omnia, & terrena gubernat, & conseruat. Secunda, quia Dei exemplum secuti homines à principio mundi, vt plurimum sub regibus vixerunt. Tertia, quia ex animalibus patet etiam humanæ naturæ insitum esse, vnum ducem sequi. Quarta, quia experientia docuit, regiam potestatem esse diuturniorem, & constantiorem. Quinta, quia aliæ formæ reipub. optimatum, & populi nunquam quietè, vel fœliciter præsunt, nisi Monarchiam imitentur, caput vnum ad bella, & ad imperium constituant: quod exemplis palam fit ijs, qui historias legunt. ergo monarchia alijs reipubl. speciebus melior est, & præfertur. Contra hanc sententiam insanit suo more Macchiauellus, asserens monarchiam sibi prospicere, ciuibus nocere, libertatem auferre, & ideò fugiendam.

3. Monarchia quare perfectior cæteris.

4. Monarchia diuturnior est.

5. Macchiauellus contra Monarchiam.

Solutio Argumenti.

Ut clarior sit responsio, ponderemus singula verba. Dicit primò monarchiam sibi prospicere, hoc est, sua commoda quærere. Et quare princeps non quærat justè, & moderatè sibi vtilia? vnde, si negligat commoda, potestatem arcendi vim à ciuibus obtinebit? sanè

Chri-

Chriſtianus Princeps per licita media opes comparat, vt ſuos defendat, Tyrannus, vt opprimat. Dicit ſecundò Monarchiam nocere civibus, ita eſt, ſi monarcha Macchiavelli tyrannus ſit, non item ſi Chriſtianus Princeps, quia hic patrem agit in cives, & ſingulorum ſaluti, vt propriæ, multa vigilantia conſulit. Dicit tertiò monarchiam libertatem auferre. Hoc Princeps Chriſtianus non faciet, quia lege divina prohibetur, tyrannus conabitur, vt ſolus liber vivat, timeatur ab omnibus. Ex quibus ſequitur, antecedens de tyranno agere, & conſequens eſſe, quod fugiendus ſit, quod optamus: nihil verò contra juſtam monarchiam infertur.

6. Macchiavelli Tyrannus.

7. Princeps Chriſtianus Dei legibus tenetur.

Quare autem Macchiavellus monarchiam improbet, liberas civitates ſolas fœlices exiſtimet, ſi hominis ingenium ſpectes, facilè aſſequeris. Ideo enim monarchas contemnit, quia tales putat eſſe omnes, quales ipſe in ſuo Principe inſtruit; tum etiam, quia generoſi Principes Chriſtiani ſolent tales impios ſeverius punire. Civitates verò liberas extollit, quia in illis quilibet pro genio credit, agit, & pro delictis vix pœnas metuit. quod merito prædicabat Macchiavellus, qui orbem Chriſtianum impietate horrenda inficiebat.

8. Macchiavelli impietas.

9. Macchiavellus fugit pœnas.

Cæterum ſi veram libertatem expendas, ſine comparatione majorem illam ſub monarchia, quàm ſub optimatum, aut populi ſtatu invenies. Experiuntur hoc omnes, qui dum vnius imperium rebelles exuunt, in multorum miſerrimam ſervitutem incidunt, & idem eſt de alijs omnium imperantium in repub. exceſſibus judicium, eadem ad objectiones reſponſio.

10. Libertas vera ſub Monarchia.

11. Multis parere durum.

PVNCTVM VI.

De vera ratione status.

1. Ratio status vera, est civitas Dei apud S. Augustin.

QVid sit vera ratio status, puncto secundo declaravimus. Quæ descriptio si ritè examinetur, erit eadem forma, quæ S. Augustini civitatem Dei constituit. Diximus enim veram rationem status esse illam formam reipub. quæ secundum Deum per honesta, licitaque media Principem, & subditos ad vltimum finem, temporalem, & æternam fœlicitatem prudenter dirigit.

2. Civitas Dei.

Cum ergo ex S. Augustini doctrina de Civitate Dei apertum sit, ipsum vel maximè intendere, vt Ethnicorum errores de Deorum falsorum cultu, de humana sapientia, & vanis virtutibus refellat, & Christianam rempubl. verum Deum omnipotentem colere, veras virtutes exercere, & per illas ad verissimum finem, fœlicitatem æternam pervenire doceat. benè infertur nostram rationem status veram eandem esse, & conformem cum illa civitate Dei.

3. Rationis status veræ definitio explicata.

Sed videamus singula membra descriptionis, & primò quidem verba illa, secundum Deum, consideremus. sanè si in Christiana republ. liberè licet loqui, ingemisco cum columba, quod hæc verba descriptioni nostræ addenda fuerint; cum ex principijs Christianæ religionis omnes Principes, & subditi, ad Deum verum omnia referre teneantur. addita tamen sunt, propter abusum, & falsam Atheorum doctrinam, quæ multos Principes Christianos, sub velo arcani consilij à Deo in fortunæ rotabiles fluctus speciosè demergit.

4. Politici pervertunt Christianos.

Deinde addita sunt illa verba, vt Principes Christiani & subditi admoneantur, ita secundum Deum imperare, & obedire,

5. Deus non offendendus in Repub.

dire, ne illum offendant, & ab vltimo fine, fœlicitate perpetua decidant. Tum demum addita ſunt, vt Principes Chriſtiani non puram humanam ſapientiam, ſed eam, quæ legibus divinis conſolidata ſit, in conſilijs & actionibus ſibi proponant.

Sequitur in deſcriptione propoſita, per honeſta, licitaq; media. Niſi enim ratio ſtatus per honeſta, licitaque media ſuum ducat Principem, quomodo vera dicetur, quæ turpia docet, & injuſta? Intelligenda ſunt ergo hæc verba de honeſtate morali Chriſtiana, & vera iuſtitia, quam vera ratio ſtatus in principe ſuo requirit, & poteſt dici in eo conſiſtere, quod Princeps in republ. Chriſtiana regnans ſit legitime natus, vel electus, nec dolosè, aut violenter ductus ad imperium. Tum etiam intelligi poſſunt, vt ſicut Principem decet virtutum ſplendore, & pietate ſubditis prælucere, ita contra jura reipubl. neminem præ gravare, multò minus opprimere, ſed Deo, legibus, & patriæ, vt verus pater vivere, & præeſſe debeat.

6. Status media debent eſſe honeſta, & licita.

7. Ratio vera ſtatus in quo conſiſtat.

8. Princeps eſt Pater patriæ.

Additur, per veras virtutes, ad differentiam, quæ inter Chriſtianas & Gentilium virtutes eſſe deprehenditur, eò, quod illæ vltimum finem ſupernaturalem, hæ naturæ ductu propriam gloriam reſpiciant.

9. Virtutes gentilium differunt fine à noſtris.

Dicitur, Principem & ſubditos, quia vera ratio ſtatus non eſt contenta ſolum bonum Principem, aut ſolos ſubditos, ſed vtramque partem in tempore & æternitate beatam efficere. Ideoque concludit, quod ad vltimum finem prudenter dirigit, cum in illo, hoc eſt in Deo, omnis fœlicitas perfectiſſimè conſiſtat.

10. Ratio ſtatus vera bonum Regem, & populum efficit.

Ex hac deſcriptione fit apertum, quid Chriſtianus de vera ratione ſtatus ſentire poſſit, & debeat, quam ſi Principes, & ſubditi purè obſervarent, non tot bellis & ſedi-

seditionibus orbis Christianus arderet. Ne verò curiosis videatur descripta ratio status, aut nullibi, aut tantum Idæa quædam esse in abstracto, referemus exempla rerumpubl. in quibus illa in concreto à principio mundi ad hæc vsque tempora resplenduit, & etiamnum elucessit.

PVNCTVM VII.

An vera ratio status fuerit ab exordio mundi?

QVi veri Christiani sunt, constanter affirmant. Quia licet post lapsum Adæ peccatum, & mors intrarint in orbem, tamen post multiplicatum genus humanum, cum familiæ separatas societates componerent, quædam secundum Deum in vero cultu, justè, & fœliciter vixerunt; sicut de Abel ipse Deus, & sacra historia declarat: quædam etiam familiæ secundum hominis sapientiam cum Cain civitates fundarunt, & neglecto Deo ab vltimo fine aberrantes, propriam gloriam sectando, æternam fœlicitatem amiserunt.

1. Ratio vera status est apud pios.

2. Civitas mundi.

Dicendum ergo est, societates hominum ex Abel continua serie veram rationem status in sua repub. vsurpasse, quod vel ex eo clarum est, quod oblatio Abel Deo grata fuerit, & illi in nomine fratris Seth benedixerit. Secundo probat historia sacra consequenter, quod post occisum Abel vsque ad Noe semper fuerint familiæ justorum, quæ secundum Deum vixerint. Quod autem à Noe justo post diluvium vsque ad Abrahamum, & ab illo vsque ad Moysen, & Legem, societates seu respubl. fuerint, quæ verum Deum piè coluerint, & ad æternam fœlicitatem pervenerint, nemo nisi impius negaverit.

3. Rationis status vera cepit in Abel, fuit semper.

Tertiò,

Tertiò, in lege, hoc eſt in republ. Judæorum, quam ipſe Deus inſtituit, ita vera ratio ſtatus primas tenuit, vt qui à Deo declinarent, injuſtè viverent, legibus contradicerent, morte mulctarentur, & æternis pœnis addicerentur. Quartò à Chriſto Domino noſtro nato, quod ad hæc vſque tempora ſuperabundantis gratiæ, plurima & maxima fuerint & ſint imperia, regna, reſpubl. quæ juxta veram rationem ſtatus gubernatæ ſint, & per eandem conſerventur. hoc totus Chriſtianus orbis ipſo facto conteſtatur. Ergo ex hiſtoria ſacra, & reipſa demonſtratur, rationem ſtatus veram ab initio mundi fuiſſe, & ad nos continuatam eſſe, quod erat probandum.

4. Chriſtiani habent veram Rationem ſtatus.

Addamus hiſtoriæ veritati rationes, vt qui illi diffidunt, huic, ne hominem exuant, acquieſcant.

Ratio I. Quia Deus creavit hominem ad fœliciſſimum finem, ergo, vt ſummum bonum etiam dedit illi convenientia media ad finem ſuum conſequendum. Hoc poſito, benè infertur, quod Deus homini, quem in ſocietate hic vivere voluerit, veram rationem ſtatus indiderit, ſecundum quam ſocietatem, ſeu rempubl. ad deſtinatum vltimum finem congruentibus medijs deducere poſſet. Ergo ſicut ab exordio mundi ſemper fuit humana ſocietas, ita vera ratio ſtatus illam ad vltimum finem conducens ex providentia, & bonitate Dei nunquam defuit.

5. Ratio vera ſtatus quare ſemper fuerit?

6. Deus concedit media ad finem.

Ratio II. quia ab exordio mundi ſemper fuit Eccleſia Dei, in qua multi ad vltimum finem, hoc eſt, ad æternam fœlicitatem pervenerunt. Ergo ſemper fuit vera ratio ſtatus in Eccleſia, quæ illos ad vltimum finem direxit. Conſequentia ex deſcriptione eſt clara, Antecedens probatur. Quia ſi in lege naturæ, in lege Moyſis, & in lege noſtra gratiæ non fuiſſent electi, Deo devoti, & chari,

7. Eccleſia Dei fuit ſemper, ergo & vera Ratio ſtatus.

chari, qui æternam vitam consequerentur, frustrà Deus ad istum finem, quem nemini concederet, hominem creasset, quod impium esset cogitare, ne dum sentire.

8. Ratio status vera erit semper.

Ex eisdem rationibus probari potest, semper futuram veram rationem status in republ. vsque ad finem mundi, quia semper stante hoc orbe erit societas humana, & Ecclesia, Ergo & semper ratio status illam ad vltimum finem conducens.

Objectio.

Si objiciatur, tempore Noe in tanta paucitate justorum, non fuisse Ecclesiam, neq; rationem status, quia tunc non fuerit respubl.

Solutio object.

Responderi poterit, quod in societate familiæ Noe fuerit, & vera Ecclesia & respubl. Quia hoc ipse Deus, cum per generale diluvium civitatem mundi deleret, Noe vero conservaret, manifestè ostendit. Si enim Noe sub vera ratione status non fuisset in Ecclesia justus, non esset ratio, quare in rigore justitiæ Dei cum alijs non perijsset.

9. Multitudo non facit veram Rempub. sed civium pietas.

Neque obstat, quod respubl. seu societas Noe fuerit exigua, quia multitudo hominum propriè non constituit rempubl. vel Ecclesiam, sed justorum vita in amore Dei fundata rempub. & Ecclesiam gratam repræsentat, ideoque justo Dei judicio pluralitas regnorum mundi interijt, & in paucis justis vera ratio status & Ecclesia permansit, imò in omnes posteros derivata est, & resplendet.

PVNCTVM VIII.

An in repub seu regno Judæorum fuerit vera ratio status?

RAtio dubitandi est, quia Deus ipse per Prophetas suos incessanter conqueritur de Judæorum malitia, perfidia, idololatria, avaritia, luxuria, inobedientia, ingratitudine, alijsque vitijs, quibus ita divinam Majestatem provocarint, vt sæpius (nisi sacerdotes intercessissent) vniversos delere statuerit. Sic David rex dicit, omnes declinasse, & non esse qui faciat bonum. ergo non videtur gentem illam exasperantem, & malignam veram rationem status habuisse, qui peccatis immersa ad vltimum finem, hoc est, ad gloriam Dei vitæ actiones non direxit.

1. Iudæi accusantur quod veram Rationem status non habuerint.

Altera ratio dubitandi est, quod Judæi pertæsi Judicum administratione, à Deo regem de more Gentium sibi dari postularint, & obtinuerint, vnde dici possit, quod sicut Gentes veram ratione͂ status non habebant, ita nec Judæi, qui ad similitudinem Gentium per regem rempublicam administrabant, eandem habuerint.

2. Iudæi Regem postularunt.

Sed his non obstinantibus, dicendum est, in repub. & regno Judæorum ab origine vsque ad ejus desolationem semper fuisse veram rationem status. Primò, quia infinitæ sapientiæ Deus Judæorum rempubl. instituit, sacrificijs ornavit, religione, & legibus munivit, & in perfectissimam formam regnandi composuit. Secundò, quia Deus populum Judæorum singulariter sibi elegit, mirabiliter deduxit, ab hostibus liberavit, amplissimis regnis donavit, & æternam fœlicitatem illi promisit, ergo veram rationem status, per quam prudenter sua admini-

3. Deus instituit Iudæorum Rempub. ergo optima.

4. Iudæi gens electa.

ministraret, vltimumque finem consequeretur, eidem dedit.

Tertiò, quia in republ. Judæorum fuit vera Ecclesia Dei, ergo & vera ratio status, quia hæc sine illa consistere non potest. Quartò, quia historiæ plenissimam fidem faciunt, quod Judæi legibus à Deo datis in repub. semper vsi fuerint, ergo & veram rationem status semper observarunt.

5. Judæi habuerunt veram Rationem status.

Quintò, quia durante lege & regno Judæorum, in vniverso orbe soli Judæi habuerunt veram rationem status in republ. cum reliquæ Gentes omnes deviæ suis vanitatibus implicarentur. Ergo sine injuria hoc ipsum in dubium vocare non licebit. Unde ad rationes dubitandi facilior est responsio.

Solutio argumentorum in ratione dubitandi.

Et quidem ad primam dicitur, quod sicut Judæi fragilitati humanæ subjecti vitijs non caruerunt, Deumq; peccando enormiter provocarunt, ita etiam plurimi egregias virtutes exercuerunt, Deoque grati, & obedientes ad æternam beatitudinem pervenerunt. quod vtrumque historiæ comprobant, non igitur propter abusus, & peccata singulorum judicanda est respubl. sed quid in lege, quid in fine suo propositum habuerit, syncerè considerandum est. Lex Judæis, & ratio status gubernandi rempubl. à Deo data est, sancta ergo fuit & vera. Peccata punita sunt, hoc justitia requirebat; comminationes adhibitæ, amorem Dei erga populum manifestant. Querela regis David, omnes declinasse à vera via salutis, non impugnat, sed asserit Judæos veram rationem status habuisse, quod intendimus.

6. Vsus non abusus attendus.

Solutio ad 2. rationem dubitandi.

Ad alteram rationem dubitandi respondetur, Judæos mutato nomine supremi Ducis populi in regis titulum, non simul mores & leges Gentium acceptasse, sed regnum

regnum antiquis legibus, & ſacerdotio ſtetiſſe quod hiſtoria teſtatur. ergo nomen, non ſubſtantiam mutarunt, ſuæq; temeritatis, ac vanæ gloriæ per regium imperium pœnas dederunt.

PVNCTVM IX.

An Christiani Reges, Principes, reſpub. habeant veram rationem ſtatus?

PRo vera reſolutione hujus quæſtionis, diſtinguendum eſt, prô dolor, inter Chriſtianos. Quidam enim in baptiſmate Chriſto nomen dederunt, & ſub vno capite ſummo Pontifice Romano, Vicario Chriſti in Eccleſia Dei, ejuſque præceptis conſtantes permanſerunt, vocanturq; Catholici. Quidam verò poſt acceptum à Chriſto nomen, à capite & vera Eccleſia declinarunt, propriam ſibi finxerunt, & humanam ſapientiam divinæ veritati præferentes, ſuos errores pro genio conceptos cum pertinacia defenderunt, & hæretici vocantur.

1. Chriſtianorum differentia.

2. Catholici qui?

3. Hæretici qui dicantur.

Hac diſtinctione prævia, dicimus, ſolos Chriſtianos Catholicos, Imperatores, reges, principes, civitates, & eorum ſubditos in ſua republ. veram, Hæreticos vero falſam rationem ſtatus habere. Ratio eſt, quia Catholici Principes, & ſubditi, ſicut Chriſti nomen ferunt, ita ab ejus doctrina non recedunt, Eccleſiæ, & præceptis obediunt, atque ſub hoc ſuavi jugo divinam gloriam, non ſuam vanitatem ſectantur. Ratio ſecunda moralis eſt, quia Catholici Principes ita vita prælucere, juſta quærere, & honeſta imperare tenentur, vt cum ſubditis ad vltimum finem æternæ fœlicitatis attingere poſſint. Ergo meritò dicendi ſunt veram rationem ſtatus in ſua republ. habere.

4. Catholici veram Rationē ſtatus habent, hæretici falſam.

5\. Hæretici quare falſam rationem ſtatus ſequi dicantur.

Atque ex his rationibus à contrario ſenſu probatur, Hæreticos falſam rationem ſtatus vſurpare.

Primò, quia mundi civitatem ſtruentes obedientiam Dei, & Eccleſiæ fugiunt, ſacrificia contemnunt, & dum ſibi blandè ſapiunt, ab vltimo fine infœliciter aberrant.

Secundò, quia in morali honeſtate, vt plurimum patrias leges, & mores invertunt, ſuperiores rejiciunt, ambiunt aliena, & ſub ſpecie libertatis, ſe ſuoſq; in æternam ſervitutem demergunt. Ergo Hæretici non vera ſed falſa ratione ſtatus vtuntur.

6\. Romano-Germanicum imperium habet rationem ſtatus veram.

7\. Cæſar Catholicus.

Tranſeamus ad exempla, vt res ipſa loquatur. Et quidem primò de imperio Romano, quod nunc penes Germanos eſt, videamus (de Eccleſiaſtica poteſtate peculiaris erit tractatus.) Qui Romano-Germanicum imperium exactius conſiderat, inveniet illud ſanctiſſimè à majoribus dictante Spiritu ſancto inſtitutum, in religione Chriſti catholica, & in obedientia Eccleſiæ fundatum, diverſis Archiepiſcopatibus, cœnobijs, monaſterijs, innumeris templis vndique Dei gloriam reſonantibus ornatum. inveniet ejus ſummum caput & Monarcham Catholicum, juſtè electum, per pacta ſupremum advocatum Eccleſiæ catholicæ juratum, juſtitiæ defenſorem. inveniet denique Electores Principes, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Civitates, pulcherrima harmonia ſub Chriſtianis legibus, & conſuetudinibus Imperatori, capiti ſuo ſancta obedientia devotos. Quæ omnia certiſſimum argumentum ſunt, quod vera ratio ſtatus, quæ ſecundum Deum eſt, in imperio Romano-Germanico prædominetur.

8\. Hiſpanorum Regnum ſequitur veram Rationem ſtatus.

Si novum Occidentis Hiſpanorum in immenſum creſcens imperium conſideres, occurret primò, lex fundamen-

damentalis, religio Catholica, ejusq; defensio, juramenta regum pro conservatione Ecclesiæ, titulusq; regis Catholici gloriosus. Deinde in regnis omnibus, & singulis, prefulget ecclesiastica hierarchia, munita sanctis consilijs, & lumen fidei in ignotas orbis partes amplissimè diffundens. Hanc sequuntur leges civiles, jura majorum, consuetudines, consilia subordinata, magnatum splendor, ordo principum, nobilium virtus, civium fœlix tranquillitas, tam admirabili prudentia disposita, vt humana transcendere, & singulari Dei providentia regna plurima, & maxima sub vno capite gubernari, conservari, & cum Ecclesia amplificari meritò totus mundus confiteatur. Ergo minimè dubitandum est, quin in regnis Hispanorum vera ratio status prævaleat.

9. Gallorum Regnum veram rationem status habet.

De Gallorum regno, quod veram rationem status habeat, vel ipsum nomen Christianissimi ambigere non concedit. Sicut enim ipsum ab antiquo Ecclesiæ Catholicæ nomen dedit, ita in ejus defensione ad hæc vsq; tempora fidele permansit, & exinde Christianissimi nomen gloriosè promeruit. Si statum inspicias, ita Christianæ leges in illo regno vigent, Parium authoritas regi subvenit, principum vota æstimantur, nobilium virtus condecoratur, civiumque salus in fœlici libertate tam sollicitè procuratur, vt hoc regnum cum primis veram rationem status sequi dicendum sit.

10. Galliæ status.

11. Poloniæ Regnum veram Rationem status colit.

De Poloniæ amplissimo regno idem est judicium; quia professione Catholicum est, & Ecclesiam Romanam sequitur. Et in politicis rex itidem per Vaiuodas, Senatores, & Cancellarios Christianis legibus, & moribus rempubl. administrat.

12. Italia catholica tota.

De Italia, quæ diversis regibus, principibus, magistratibus paret, hoc loco non agitur, quia omnes illi Ca-

tholici ſunt, & per conſequens vera ratione ſtatus vtuntur.

13. Venetorum reſpubl. defenditur.

Neque hic excipio Venetorum rempubl. eò, quod ab invidis & obtrectatoribus atheiſmi inſimuletur, & omnia vtilitate reipubl. metiri, imò more Gentilium conſervationem reipubl. ſupremam legem conſtituere dicantur.

14. Venetorum ſtatus.

Ratio eſt, quia nobilis Venetorum reſpubl. quæ monarchicè ſub vno Duce per optimates præclarè gubernatur, Catholicam religionem profitetur, Eccleſiam Romanam agnoſcit, & per Chriſtianas leges prudentiſſimis conſilijs ſua adminiſtrat. ergo non minus, quàm alia Catholicorum regna veram rationem ſtatus ſequitur. Quod alioqui de atheiſmo Venetorum malevoli objiciunt, ideò non movere debet, quia abuſus, & peccata ſingulorum non mutant formam reipub. Equidem ſi Veneti humanitus errant, vtilitates quærunt, de ſui conſervatione ſolliciti ſunt, hoc cum alijs regnis Chriſtianis commune habent, non tamen ideò à fundamentis reipubl. à fide, ab Eccleſia, & ſanctis legibus ex integro recedere dici poſſunt: calumniæ ſunt, quæ ipſo facto à ſplendore reipubl. Venetæ confunduntur.

Objectio.

Si quis objiciat in Germania, Gallia, & Polonia multas eſſe provincias & civitates, quæ extra Eccleſiam Catholicam Romanam diverſas hæreſes ſequantur, & ideò veram rationem ſtatus non habere.

Solutio objecti.

15. Status à capite ſuo æſtimandus.

Reſpondetur, Hoc loco, à capite, & lege fundamentali regnorum ſumendam eſſe denominationem, vt regnum Catholicum dicatur, cujus rex religione Catholicus ſit. Et licet aliqua membra ſuo malo hæreſin amplectentia veram rationem ſtatus deſerant, non propterea integra regna pari cenſura æſtimanda ſunt.

Pun-

PVNCTVM X.
De falſa ratione ſtatus.

SIcut vera ratio ſtatus civitatem Dei, ita falſa civitatem mundi conſtituit, quod vt planius intelligatur, deſcriptionem falſæ rationis ſtatus ſupra datam examinabimus, & ex principijs veritatem eruemus.

1. Ratio ſtatus falſa fundat civitatẽ mundi, ſeu diaboli.

Dicitur in deſcriptione primò, falſa ratio ſtatus eſt, (quæ neglecto Deo, &c.) Quia regna, ſive reſpubl. quæ falſam rationem ſtatus ſequuntur, humanæ ſapientiæ innituntur, proprio amore ſeductæ ſuam gloriam quærunt, carni indulgent, veritatem ſpiritus aſpernantur, Deum verum creatorem omnium, vel non agnoſcunt, vel non glorificant, & vt actualiter contemnant, vel ſibi Deos falſos aſſumunt, vel falſum cultum fingunt. Benè ergo dicuntur Deum negligere, qui civitatem mundi incolunt. atque hæc in ſequentibus exemplis clariora fient.

2. Rationis ſtatus falſæ definitio explicata.

3. Rationis ſtatus falſæ proprietates.

Ponitur ſecundò,(quæ fortunam adorat,)non quod ipſa ratio ſtatus falſa, ſed reſpubl. illam vſurpantes fortunam venerentur, hoc eſt, omnia proſpera, & adverſa, inopinatos eventus, victorias, & clades, cõſervationem, & interitum reipubl. fortunæ adſcribant, aſtrorum curſui, & inſano fato tribuant.

4. Ratio ſtatus falſa fortunam adorat.

Tertiò ſequitur. quæ conſervationem reipubl. ſupremam legem conſtituit, id eſt, quæ reipubl. ſalutem vltimum finem ſibi ſtatuit.

5. Salus Reipubl. ſuprema lex habetur à politicis.

Quia ex eo, quod de vltimato vero fine rerumpub. puncto quarto diximus, patet etiam ex Gentilium ſapientum opinione, multò verò magis ex ratione Chriſtianorum alium, & longè nobiliorem eſſe vltimum finem

6. Ratio ſtatus falſa falſum finem habet.

rerumpubl. quàm falſa ratio ſtatus proponat. ideoque falſitatis arguimus, quia falſum finem docet.

7. Vtilitas impijs pro fine.

Vltimò dicitur: quæ omnia media juſta, vel honeſta ex vtilitate metitur. Quia in hoc oſtendit falſa ratio ſtatus, ſuas falſas proprietates, quod civitatem mundi, hoc eſt, ſuam rempubl. inſtruat injuſta, & inhoneſta, pro juſtis & honeſtis medijs habere, ſi vt talia, ad vtilitatem & conſervationem conferunt.

8. Idoli qualitates.

Deſcripſimus falſam rationem ſtatus cum aliquot ſuis proprietatibus, vt Chriſtiani principes illam agnoſcentes, in ſua regna non admittant; tum etiam, vt omnibus conſtet, quare eandem idolum Principum nominaverimus.

9. Ratio falſa ſtatus decipit mundanos.

Et quamvis hæc falſa ratio ſtatus tam fœdis principijs animalis hominis inhæreat, medijs turpiter abutatur, & ad finem temporalem per fortunæ caſus leviſſimè tendat, vt meritò ne quidem inter Chriſtianos nominari deberet, attamen quia ferè totus orbis terrarum vel ex profeſſo, vel ex vitio in republ. gubernanda falſam rationem ſtatus amplectitur, neceſſarium duxi Principi meo Chriſtiano hoc idolum, hoc venenum, ejuſque arcana per exempla clarius detegere.

PVNCTVM XI.

An falſa ratio ſtatus ab initio mundi ſemper fuerit in republica?

1. Ratio ſtatus falſa ſemper viguit.
2. Civitas mundi in Cain cæpit.

LEgantur, & audiantur fideliter hiſtoriæ, & facilis erit quæſtionis propoſitæ reſolutio. Quia omnes hiſtoriæ ſacræ, & prophanæ, communi conſenſu docent, in Cain civitatem mundi cæpiſſe, cum ille occiſo per invidiam

diam fratre suam familiam separaret, & successu temporis plures societates in diversis locis conjungeret, ex quibus magnæ civitates & regna orta sint. Hinc Nemroth potenter regnare cœpit, & insana audacia Babylonis turrim excitavit. Quem secutus rex Assyriorum Ninus non contentus vrbes ampliare, vicinos quosq; primus bello invasit, & sibi parere compulit. Post monarchiam Assyriorum voluptatibus consumpto Sardanapalo summum imperium ad Persas translatum est. Ex his in Græcorum manus devenit, & tandem Romanorum virtus maximam orbis partem suo imperio subjecit.

3. Nemroth.

4. Ninus.

5. Conversio imperiorum.

Quod autem hæc regna omnia, eorumque reges, & principes falsam rationem status in administranda repu. habuerint, hoc historiæ satis liquidè testantur, & patet maximè ex eo, quod verum Deum non coluerint, vltimum finem, æternam fœlicitatem, nec agnoverint, nec consecuti sint, quodq; secundum inferiorem hominem sensualiter ducti, aut voluptates, aut divitias, aut propriam gloriam sibi proposuerint. Sicut hoc in Cain primo authore manifestum est, qui etiam vocatus à Deo ad gratiam, desperabundus secundum carnem abijt, Deumque cum suis neglexit. Ita Nemroth stultissima structura Deo bellum inferre ausus, suam gloriam augere summum bonum duxit.

6. Gentium regna falsam rationem status habuerunt.

7. Gentiles omnes falsam rationem status sequuntur.

Ninus ambitione regnandi motus, finitimos crudeli bello subjugavit. Sardanapalus in delitijs corporis gloriam conclusit. Ita omnes alij Gentilium reges & respubl. nihil æternum, incorruptibile, aut spirituale quæsiverunt, multò minus invenerunt. ergo in suis regnis non veram, sed falsam rationem status adhibuerunt.

8. Gentilium finis.

Neque hic excipio Græcos propter eximiam sapientiam,

9. Græci, & Romani errarunt in vltimo fine.

entiam, qua reliquum ferè orbem illuminarunt; aut Romanos propter prudentiam & fortitudinem, quibus & imperium vniversi acquisiverunt, & diutissimè fœliciter gubernarunt. quia nec illi omninò justis principijs regnare cœperunt, neque licitis medijs, & veris virtutibus vsi sunt, neque in tanta multitudine falsorum Deorum veritatem solidam agnoverunt, aut vltimum finem homini immortali debitum prætenderunt.

10. Rationi status falsæ plurima orbis regna adhærent.

Post Christum Dominum nostrum natum, etiamsi lex gratiæ vniverso orbi promissa & data, Ecclesiæ aperta via ad æternam fœlicitatem strata, & omnis Gentilium cœcitas expugnata fuerit, tamen edocet nos historia, & ipsa experientia, quod maxima quæque regna orientis & occidentis, & ad meridiem sita, Paganismum sequantur, vel Mahumetem venerentur, & quod in Europa ad septentrionem ita hæreses invaluerint, vt multæ provinciæ illis occupatæ sint, paucæ pure in vna Christiana religione Deum colant, & profiteantur. Quæ regna, & provinciæ cum extra Ecclesiam Dei, proprio sensu abundantes ab vltimo fine aberrare cognoscantur, rectè falsam rationem status sequi dicuntur. Quod equidem clarius intelligent, qui vel Sinarum ad terminos orientis florentissimi regni mores, leges, finemque ex antiquis, & nostri seculi historijs considerare, vel imperij Ottomannici crudelitatē, & servitutem æstimare voluerint.

11. Sinensium finis.

Non ergo dubitandum, an falsa ratio status ab initio mundi, ad nos vsque in republ. continuata fuerit, sed intimè deplorandum est, quod falsa ratio status, quæ civitatem mundi dirigit, ab antiquo prævaluerit, maximam orbis partem invaserit, & civitatem Dei in angustias redegerit, ac etiamnum non minus potenter, quàm callide persequatur, & impugnet.

12. Ratio status falsa oppugnat veram civitatem Dei.

Si

Si quis objiciat de Gentilibus, Paganis, Turcis, & alijs per orbem infidelibus regnis hanc opinionem constare, de hæreticis autem verificari non posse, eo, quod in verum Deum cum Catholicis Christianis credant, Ecclesiam habeant, & ad vltimum finem, æternam fœlicitatem, non minus, quam Catholici aspirent, & collimant. *Objectio pro hæreticis.*

Huic responderi poterit, primò, quod si detur, hæreticos in verum Deum credere, ex ipsorum doctrina clarum sit, illos non eodem modo suam fidem bonis operibus adornare, sed omnipotentiam Dei in dubium vocare, Christi Domini desperationem in cruce affirmare, illius verba pro genio invertere, & novas interpretationes adinvenire, à quibus omnibus verus Christianus Catholicus abhorrere debeat. Secundò, quod Hæretici veram Ecclesiam non habeant, quia Ecclesia Dei est vna, in vno Spiritu sancto fundata, non sibi contraria. hæreticorum autem Ecclesia non est vna, cum quot sunt sectæ, tot sibi Ecclesias fingant. ergo non est vera Ecclesia. Cujus doctrinæ veritas in Ecclesia Catholica manifestè demonstratur. Tertiò, quod Hæretici quidem vltimum finem æternam beatitudinem sibi in republ. propositam habere possint, sed quod propter sensus sui abundantiam per humanæ sapientiæ errores in devia seducantur, & quamdiu extra Ecclesiam Catholicam in erroneo stadio currunt, ad illam fœlicitatem nunquam pertingant, sicut qui in oriente terminum constituit, si in occasum devius abeat, voto cadit. Cum ergo hæretici cujuscunque nominis sint secundum hominem pro captu in divinis judicent, Ecclesiam veram detestentur, & ad vltimum finem per devia lato nimis errore voluntariè deferantur, sequitur ex fundamentis

Solutio objecti.

13. *Fides hæreticorum mortua.*

14. *Hæretici non habent Ecclesiam.*

15. *Hæretici in Republ. pascuntur erroribus.*

noſtris neceſſariò, quod reſpubl. hæreticorum per falſam rationem ſtatus adminiſtrentur.

PVNCTVM XII.

Quare Chriſtiani, & Catholici reges, & Principes, dicantur falſa ratione ſtatus vti?

OStendimus Chriſtianos Principes veram rationem ſtatus, hæreticos falſam ſequi, ergo in vanum videtur proponi hæc quæſtio.

Verùm, vt principes, & vniverſus populus Chriſtianus cognoſcat. non temerè ſuſceptam à nobis hanc quæſtionem, conabimur per Dei gratiam ejus cauſam, rationem, & veritatem pro tenuitate noſtra explicare, & fidelibus ſatisfacere.

1. Ratio falſa ſtatus eſt dulce venenum, & Idolum.

Dicimus itaq; primò, Falſam rationem ſtatus, non eſſe illam ſolam, quam ſuprà deſcripſimus, & in civitate mundi vtroque lumine conſpicuam videmus, ſed aliam eſſe latentem, magis falſam, & malignam, quam dulce venenum, & idolum Principum indigetamus.

2. Ratio ſtatus falſa eſt plena dolis.

Dicimus ſecundò. Latentem, ſeu arcanam rationem ſtatus eſſe illam prudentiam humanam, quę quemcumque Dei cultum præ ſe fert, aliud agit, aliud intendit, præſentia quærit, æterna contemnit, & ſub ſpecie boni, ac veræ virtutis monſtra vitiorum ad interitum ſempiternum doloſè producit.

3. Ratio ſtatus falſa etiam Catholicis communis.

Dicimus tertiò. Hanc latentem falſitatem non ſolum Gentilib. & paganis vſitatam, ſed Chriſtianis etiam hæreticis, & Catholicis principibus frequentem eſſe. Ne verò hoc ipſo veritatem dicendo indignationem, aut crimen

crimen læſæ Majeſtatis incurramus, hujus veritatis rationes,& exempla proferemus. Inprimis,quia Gentiles 4. Gentiles dolo regnant.
hanc formam gubernandi & conſervandi rempubl.ſemper obſervaſſe, & adhuc ſequi,ex ipſorum principijs notorium eſt, cum in dolo glorientur, & omnia ſecundum humanam fœlicitatem æſtimare ſoleant. Deinde,quia hæreticis valdè familiaris eſt hæc larva,vt ſub ſpecie pietatis, & ſanctæ religionis, regiones acquirant, ſub ſpe li- 5. Hæreticorum proprietas in dolo.
bertatis patriæ,graviſſimam ſervitutem,inducant,& ſub colore injuſti dominij, hæreditarios principes rejiciant, ſe dominos conſtituant. Tertiò,quia Catholici Princi- 6. Catholici ſeducuntur ab Idolo ſtatus.
pes aliquando, vt ambitioni, cupiditatibus, & paſſionibus ſatisfaciant, ſeducti conſilijs malis, de hoc veneno incauti bibunt, ad hoc Idolum confugiunt, & dum prudentiæ arcanorum confidunt, terrena ſimul & æterna ſummis periculis objiciunt. Exemplis res ipſa clarior erit. De Gentibus tamen, cum tota ipſorum reſpubl. nihil niſi humanam vanitatem loquatur, nullum exemplum afferemus,& primò hæreticos in theatrum producemus.

In Germania propter peccata jam â centum annis 7. Hæreticorũ exempla in Germania de falſa ratione ſtatus.
multæ hæreſes invaluerunt, ita vt aliqui Principes & Civitates deſerta religione Catholica Lutheri, alij Calvini ſectam amplexi ſint. Hi ſub initium aliquot Catholi-
corum templa, poſtmodum cœnobia, tandem Epiſco- 8. Hæreticorũ proceſſus.
patus,& integras Provincias occuparunt,quas ne de jure reddere cogerentur, judicia Cæſari negaverunt, ne vi compellerentur,arma ſumpſerunt; vt reliquas Catholicorum provincias ſuas facerent, confœderationem arctiſſimam inter ſe, & cum exteris compoſuerunt, & pro re benè gerenda Principes Triumviros nominarunt, qui concluſa bello ſtrenuè exequerentur. Si ex his omni-

bus, vel ex ſingulis quæras, quare avitam religionem reliquerint, aliorum bona vſurparint, juſtitiam fugerint, & crudeli bello fratres opprimere ſtatuerint?

9. Idoli ſtatus arcana conſilia.

Reſpondebunt vno ore, quod conſcientia moti, religionem mutarint; quod bona Catholicæ Eccleſiæ ſuis debeantur; quod à Catholico Cæſare favorabilem ſententiam exſpectare non poſſint; & quod pro libertate patriæ, & religionis arma neceſſariò induerint.

10. Calviniſtarum vnio, Triumviri.

Si quæras vlterius quare Triumviri vnitorum Principum, Fridericus Palatinus, Marchio Ansbacenſis, & Chriſtianus Anhaltinus aliud in publicis conſilijs, aliud in privatis egerint? quare in fœdere juraverint ſe bellum pro libertate religionis & patriæ, non contra Cæſarem ſuſcipere, cum & Eccleſiam Catholicam & Domum Auſtriacam funditus evertere ſancto conſilio ſtatuerint? Reſpondebunt, vel negando veritatem, vel neceſſitatem conſiliorum allegabunt.

11. Ratio ſtatus falſa omnia fingit, & transformat.

Si quæras, quare Calviniſtæ ſeſe cum Lutheranis ad belli dubios eventus fœdere conjunxerint, cum principia religionis diverſa habeant, & diverſas intentiones? & quare Calviniſtæ poſt devictos Catholicos, etiam Lutheranos auxiliares ſocios delere propoſuerint?

12. Idolum ſtatus ſuggerit conſilia vanitatis.

Reſpondebunt, ſe cum Lutheranis in fundamento Religionis convenire, indifferentia non eſſe attendenda, & libertatem patriæ communi bello defendi debere.

13. Calviniſtæ conveniunt cum Lutheranis.

De intentione oppreſſionis Lutheranorum nihil Calviniſtis in mentem veniſſe, calumnias eſſe, & inventa Catholicorum ſic idolum ſuos inſtruit.

Hoc exemplum, ſi cum ſuis circumſtantijs remotis, affectibus conſideretur, verè ſufficientiſſimum eſt ad confirmandum, quod de hæreticorum falſa ratione ſtatus ſuperius diximus.

Addamus tamen pro majori luce exemplum Friderici

derici Palatini, quia recens eſt, & cuilibet obvium. De
14. Fridericus Palatinus colit Idolum ſtatus, ejus proceſſus, & finis.
hoc referunt hiſtoriæ, 1. quod ſupremus Director Prin-
cipum correſpondentium in Germania fuerit. 2. quod
Imperatori debitam obedientiam. 3. & collectas nega-
verit. 4. quod contra leges imperij Calvinianam reli-
gionem protexerit. 5. quod vicinos quoſque violenter
oppreſſerit. 6. quod bona Eccleſiaſtica ſua fecerit, 7.
quod rebellium Bohemorum abominanda in Deum &
Cæſarem commiſſa delicta approbarit, & oblatum ſibi
ab illis regnum acceptarit, regemque ſe geſſerit. 8. quod
Cæſarem Dominum ſuum armis oppugnarit, & impara-
tum multis damnis affecerit. 9. Quod cum exteris, &
Turcis fœdera habuerit. 10. Quod Catholicos proſcri-
pſerit, templa violarit, & ſuam ſectam Calvinianam con-
tra datam fidem in novo regno, reliquis extinctis pro-
movere ſtuduerit. Quæ omnia licet talia ſint, quæ nullo
jure divino aut humano juſtificari poſſunt, tamen quan-
do Palatinus ab Idolo noſtro falſa ratione ſtatus, arcana
conſilia hauſit, vniverſa & ſingula non tantum excuſare,
ſed vt juſta defendere, & exinde gloriam ambire non
15. Idoli ſtatus conſilia Palatino ſubminiſtrata.
erubuit. Ita hoc oraculo dulci humanæ ſapientiæ ve-
neno imbutus Palatinus, dixit ſe vnionis quam Cæſar
probarit, electum Directorem, contra Cæſarem nihil in-
tendiſſe, cum tamen Triumvir reipſa in exitium Cæſaris
juraverit; æquivocando ſc. in nomine Cæſaris, vt contra
16. Palatini excuſationes.
illum Cæſarem, quem ipſe cum vnitis mente deſignaſ-
ſet, (forte ſeipſum intelligens,) nihil hoſtile meditatus
ſit, contra Auſtriacum Catholicum verò juſtè arma ſum-
pſerit. Sub quo velamine etiam principes correſpon-
dentes à Rudolpho Imperatore vnionis ſuæ approba-
tionem extorſerunt. Sic corde & corde loquuntur filij
17. Verba ſilent vbi facta loquuntur.
hominum. 2. Negavit Palatinus verbis ſpecioſis, ſe Cæ-

 ſari

ſari inobedientem fuiſſe, cum ipſo facto rebellium ca-

18. Palatini dolus.

put, & Director, Cæſaris mandata contemneret. 3. Collectas Imperij à ſubditis receptas, Cæſari non dedit, vt prius Cæſar querelis injuſtiſſimis Unitorum ordinum ſatisfaceret, in effectu, ne hoſti vires adderet, ſed ſuas augeret. 4. vt Calvinianam ſectam liberius defenderet Palatinus, titulo Evangelij munivit, & Lutheranorum Auguſtanæ confeſſioni inſeruit, nimirum, vt illam tandem cum Catholica religione exterminaret, quod cona-

19. Palatini voluntas pro lege ſtatuitur.

batur. 5. Vicinorum oppreſſionem excuſavit, eò, quod Cæſareo privilegio & jure vteretur, cum Actor & Judex, quod vellet violenter exequeretur. 6. Bona Eccleſiaſtica dixit ſe occupare, vt ſuæ religionis beneficijs im-

20. Palatinus vocatur à Deo, vt malè agat.

penderet. poterat verius dicere, vt magis diteſceret. 7. Dixit Palatinus ſe Bohemorũ defenſionem juſtiſſimam cenſuiſſe, & ex commiſeratione oppreſſorum ſe vocatum à Deo, auxilio veniſſe; legitimè electum regnum ſuſcepiſſe, ne in manus Turcarum deveniret. Inſignis

21. Palatini pietas.

pietas, vocatur à Deo, vt aliena rapiat, cum Deus aliena concupiſcere prohibuerit. Vocatus, templa Dei deformat, ſancta ſanctorum conculcat, vt vocationem ſuam certam faciat, nimirum ad interitum. Turcas in regno prævenit, vt ad ſpeciem excludat, quos actu in auxilium vocat. Rebellionem vocat defenſionem, vt liberè injuſtam cauſam protegat. 8. Negavit Palatinus ſe Cæſa-

22. Palatini æquivocatio.

rem armis petijſſe, fatetur tamen ſe Ferdinando Auſtriaco juſtum bellum pro defenſione regni ſui Bohemiæ moviſſe, ſubtilis æquivocatio, quam ſupra indicavimus. 9. Fœdera cum exteris dixit Palatinus neceſſitatis fuiſſe, cum Turcis inita negavit, cum tamen in exercitu auxi-

23. Facta loquuntur.

liarium multa millia Turcarum inventa ſint. inveterata mendacia non erubeſcunt. 10. Contra Catholicos fate-

tur

tur Palatinus se consilia Bohemorum secutum, & suam sectam motu conscientiæ extollere voluisse, vt ostenderet, se tali conscientia duci, quæ fidem datam frangere non dubitaret. Hæc sunt artificia idoli nostri, quibus omnia dolosè involuit.

24. Palatini conscientia.

De Hollandorum republ. nihil hoc loco dicemus. quia frequens eorum in sequentibus fiet mentio, tum quia hæc duo exempla sufficere possunt, vt Christianus Princeps veritatem nostræ propositionis de falsa ratione status agnoscat, & maturè caveat, ne à tam deformi idolo contra Deum, sub specie arcani, consilia quærat. non est consilium adversus Dominum. Deponit superbos de sede, & exaltat humiles.

25. Idoli consilia contra Deum.

De Catholicis Principibus quatenus ab hoc idolo interdum consilia petant, & misere seducantur, exemplo nobis esse potest rex Galliæ. Hic enim quamvis abundè sciat Hollandos Calvinianam sectam profiteri, Catholicam religionem impugnare, regi suo rebelles esse, injustam causam illicitis armis acriter defendere, tamen neglecto Deo, spreta religionis, & justitiæ consideratione debita, illis ipsis consilio, & armis potenter auxiliatur, & stricto fœdere jungitur. Pro cujus facti excusatione, dicit Rex hoc fieri, par raison d'Estat, ratione status conservandi. nisi enim hoc modo Hispanorum monarchiam impediat, metuendum esse sibi, & regno suo. præclara consequentia. Ratio status hoc suadet, ergo oportet Deum offendere, justitiam lædere.

26. Galliæ Rex sequitur Idolum status cū hollandis auxiliatur.

27. Galli præponunt rationē status Deo.

Eodem fundamento ab hoc Idolo rationis status resultavit initum regiæ sororis Gallicæ cum rege Anglo Calvinista matrimonium; dum non attento periculo animarum, aut divinæ justitiæ, id solum, quod humana sapientia pro securitate regni Gallici ab Anglis, & au-

28. Idolum status suadet matrimonia, sub specie boni malum.

29. Angliæ rex Idolum status sequitur, non conscientiā.

genda

genda hoſtilitate contra Hiſpanos in arcanis proponit, apprehenditur, & ſtatuitur.

30. Sabaudiæ dux Idolum ſtatus veneratur.

Non diſſimili modo Dux Sabaudiæ Catholicus, quia Ducatum Mediolanenſem ab Hiſpanis extorquere non poteſt, vt ambitioni, & paſſionibus ſatisfaciat, Idolum noſtrum veneratur, & conſilio excepto contra regem Catholicum omnia hoſtilia molitur, Venetos concitat, Germanis vnitis auxilia mittit, Bohemis ſuccurrit, & quacunque poteſt arte regis Catholici arma in diverſis, vt minus valeant, occupat.

31. Idolum ſtatus non ſalvat in judicio Dei.

Habes jam Princeps Chriſtiane, exempla tam hæreticorum, quàm Catholicorum, ex quibus ediſcere poteris quomodo falſa ratio ſtatus ſecreto velamine mentes hominum à Deo avertat, atheiſmum inducat, juſtitiam peſſundet, & ſub ſpecie recti mundanis dominetur. Tu, ſi æterna ſperas, & fœlicia, fugies hoc Idolum; quia in juſto Dei judicio ratio ſtatus te non ſalvabit.

32. Catholici per errorem ſeducuntur ab Idolo, hæretici per fundamenta ſuæ ſectæ.

Pro concluſione hujus propoſitionis diſtinguimus inter Catholicos, & hæreticos, cum vtroſque falſa ratione ſtatus vti dicimus, quia Catholici Principes, etiamſi proprio peccato, & malo ſuo in laqueos idoli noſtri aliquando incidant, tamen in fundamento veram rationem ſtatus profitentur, Hæretici verò quia Eccleſiam Dei directè oppugnant, & in humana aſtutia fœlicitatem quærunt, falſæ rationi ſtatus ex profeſſo innituntur.

PVN-

PVNCTVM XIII.

De doctrina Macchiavelli & Politicorum?

VT clarius innotescat orbi Christiano, quod de falsa ratione status diximus, afferemus doctrinam Macchiavelli, & Politicorum, qua suum Principem & rempubl. instruunt, & de singulis considerationem proponemus.

1. Politicorum & Macchiavelli errores.

Docent primò, omnia à fortuna, à fato dependere.

Secundò, Principem debere quamcumque religionem fingere, in quantum vtilis sit reipubl. conservandæ.

Tertiò, subditis concedendam quamcumque religionem, modo obediant legibus reipubl.

Quartò, religionem Christianam auferre fortitudinem animorum.

Quintò, vltimum finem reipubl. esse ejusdem conservationem.

Sextò, Principi veras virtutes non esse necessarias, sed fingendas.

Septimò, Principem sæpè contra datam fidem, charitatem, humanitatem, & religionem facere debere, vt statum conservet: cum nesciat regnare, qui nescit dissimulare.

Octavò, Principem docent iram vno impetu evomere, beneficia sensim instillare.

Hæc sunt præcipua fundamenta Politicorum, ex quibus omnia arcana sua tanquam sancta oracula, & humanæ sapientiæ excellentiam depromunt. Quæ si Christianus verus intimius consideret, nescio, quomodo non summopere detestetur, & hominum malitiam eò transcen-

2. Sapientia humana fundatur in dolo.

3. Politicorum cum Ethnicis comparatio. ſcendiſſe non vehementiſſimè deploret. Ethnici Deos ſuos coluerunt, & ſacrificijs plurimis honores divinos illis exhibuerunt. Chriſtiani Politici Deum negant, fortunam & fatum adorant. Illi pietatem religionem erga Deos pro vnico fundamento reipubl. ſtatuerunt, hi cultum Dei, non vt ad gloriam ejus ſerviat, ſed vt reipubl. vtilis ſit, fingendum eſſe docent. Gentiles in tenebris virtutes in ſummo pretio habuerunt, & per virtutes ad culmina honorum aſcenderunt; Politici noſtri ſufficere volunt, ſi Princeps virtutes omnes exterius præ ſe ferat, & pro conſervatione ſtatus etiam vitijs vti ſciat. Gentiles datam fidem etiam hoſti ſervandam æſtimarunt. Politici fidem indifferenter violari poſſe docent, ſi reipublicæ conducat.

4. Gentiles politicis meliores.

5. Politicorum doctrina confertur cum Christi institutis. Inſuper ſi Politicorum impijſſimam doctrinam cum Chriſti D. N. ſanctis legibus conferamus. multò magis confundentur Principes, qui hos Doctores vitiorum ſequuntur, & Deum ipſum æternam veritatem derelinquunt. Docet Dominus Deus noſter creator, gubernator & conſervator omnium, hanc juſtiſſimam doctrinam. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Contrarium Chriſtianis mentibus inſtillant Politici, dicentes fortunam venerandam, & à fato omnia dependere. Chriſtus Dominus noſter, via, veritas, & vita Chriſtianorum verum cultum, religionem perfectam, ſynceram pietatem requirit, hypocriſin damnat. Politici ſuum Principem docent religionem fingere, pietatem reipubl. vtilitati accommodare, & prudenter diſſimulare. Chriſtus D. N. ex ipſa cathedra crucis, per totam vitam & per Eccleſiam ſuam nihil niſi veras virtutes edocet, patientiam, humilitatem, obedientiam, charitatem, aliaſque ad ſalutem neceſſarias commendat: at

6. Christi doctrina.

7. Politicorum horrenda impietas.

8. Politici fingunt omnia.

verò Politici, vt religionem, ita virtutes omnes fingi volunt à ſuo Principe, vt ſub ſpecie virtutum per vitia reipubl. ſubveniat. Chriſtus D. N. ab omnibus vivam in Deum fidem, & in homines inviolatam exigit: Politici fide tam in divinis, quam humanis ad vtilitatem reipub. abutendam eſſe cenſent. Chriſtus D. N. prohibet vindictam, docet inimicos diligere, imò animam, & ſanguinē ponit pro inimicis. Politici ſuadent Principi iram vno impetu evomere, & hoſtium familias ex integro delere. 9. Macchiavellus Doctor vitiorum.

Si quis de Politicorum doctrina qualis à nobis relata eſt, dubitet, ille libros ipſorum, præſertim principem, & rempubl. Macchiavelli legat, & cum horrore veritatem deprehendet.

Sed dices, ſi Politici tam impia docent, quomodo Chriſtiani dici poſſunt, & quomodo apud Principes Chriſtianos, præcipuè Catholicos, fidem inveniunt? 10. Politici an ſint Chriſtiani?

Reſpondeo Politicos, cum Deum, religionem, & virtutes actu fingant, ſolo nomine præ ſe ferant, etiam ſolo nomine non re vera Chriſtianos, ſed potius atheos, & fortunatos dicendos eſſe. Quare autem Principibus Catholicis grati ſint, non obſcurè cognoſcet, qui actiones non verba ipſorum conſiderabit. Norunt enim ſi Princeps zeloſus ſit in gloria Dei promovenda, zelum effingere, religionem prædicare, vt piè præſtruant, quando obſervata Principis inclinatione, ipſum vel in ambitionem honorum, ſi glorioſus ſit; vel in divitiarum appetentiam, ſi avarus; vel voluptatum laqueos, ſi libidinoſus ſit, impio conſilio præcipitare contendunt. Inveniunt ergo fidem apud incautos, quia omnia fingunt, quæ ad fidem acquirendam neceſſaria ſunt, & tanto peſtilentiores, quò venenum ſuum ſecretius principibus inſtillant. Solutio objecti. 11. Politici ſunt nominales Chriſtiani. 12. Idoli artificia doloſa.

13. Politicorum actiones produnt consuetos dolos.

Dixi actiones Politicorum obſervandas eſſe non verba, quia ſicut facilè eſt aſtutis verba in quemcumq; eventum polire, ita difficillimum eſt actiones ſive bonas, ſive malas obſcurare. ſi enim actio humana eſt bona, & à ſpiritu bono, ex fine bono, ſicut mala ex malo fine cognoſcitur, facta loquuntur, produnt authorem.

14. Actiones ex fine judicantur.

Pergamus jam ad ſingula membra doctrinæ Politicorum, & primò de ipſorum Deo, de fortuna, & fato videamus.

Dicam ergo pro ſimplicitate mea, relicto alijs pleniore judicio, quod ſentio de Politicis, qui Macchiavellum ſequuntur. Et eſt hoc ipſum, quod evidenter ex ipſorum doctrina conſtat, ſcilicet quod Deum non habeant. Si enim Deum agnoſcant, quomodo fortunæ, & aſtris rerum omnium dependentiam tribuunt? quomodo religionem,& virtutes fingere docent? Verè athei ſunt, qui Dei providentiam tollunt, vitia profitentur, & mundum horrenda impietate replent: ridebit Deus in interitu ipſorum. De fortuna, & fato Politicorum, ſupra puncto tertio quædam diximus, quibus ſi adjungas, quæ ſapientiores de ijſdem doctiſſimè ſcripſerunt, vtiq; vanitatem eorum manibus palpabis, & Chriſtiano animo procul rejicies, quod opto.

15. Politici non habent Deum.

De ſecundo, tertio & quarto capite Politicorum religionem concernente dicemus in libro ſequenti, quando de religione Principis Chriſtiani agemus.

De quinto capite doctrinæ Politicorum, quod eſt de vltimo fine, rerumpubl. ſupra puncto quarto, breviter opinionem noſtram aſſeruimus. & ne quid deſit, Chriſtianos ad conſcientiæ regulas, & Eccleſiæ Dei determinationem remittimus.

Quæ in ſexto, ſeptimo & octavo capite de virtutibus

& vi-

& vitijs fingunt Politici, nos libro tertio ad limam revocabimus.

PVNCTVM XIV.

Consilium Politicum de Friderici Palatini in regem Bohemiæ electione, ex ratione status formatum.

VT clarissimè pateat diversitas rationis status, qua hominum sagacitas vtitur ad conservandum, aut de novo acquirendum dominium, provocabimus tres descriptas species, vt sine confusione sua vota liberè proferant de electione Friderici Palatini in regem Bohemiæ. Votum veræ rationis status. Electio Palatini in regem Bohemiæ non est secundum Deum. Primò, quia directè est contraria legi divinæ, quæ prohibet aliena concupiscere, multò magis occupare, aut rapere. Secundò, quia facta est à subditis rebellibus, qui se legitimo regi ac per hoc divinæ ordinationi opposuerunt. Tertiò, quia instituta est in eversionem Ecclesiæ Dei, & religionis Catholicæ. Quartò, quia est directa in augmentum sectæ Calvinistarum, & oppressionem omnium aliorum. ergo benè examinata hæc electio, non est secundum, sed contra Deum. vnde de necessitate sequitur, quod nec à subditis Bohemis non legitime ad eam ordinatis debuerit attentari, nec à Palatino leviter acceptari.

1. Rationis status veræ votum in causa Palatini.

2. Palatini electio.

Deinde electio Palatini non est facta per honesta, licitaque media. Quia rebelles subditi, medijs violentis, hoc est, arreptis armis, vsi sunt, vt legitimè coronatum regem Ferdinandum repudiarent, & Fridericum elige-

3. Palatini electio non fuit honesta, neq; licita.

eligerent, caputque suæ rebellionis constituerent. Palatinus verò, vt ambitioni satisfaceret, ne regno careret, pro jure, arma assumpsit; pro rebellione defensionem finxit; & pro honoris tegumento, falsæ electionis titulum opposuit.

Tertiò, electio Palatini non est justa, quia Bohemi non habent jus absolutum eligendi, cum regnum sit Domus Austriacæ hæreditarium, & successivum.

Secundò, quia Bohemi paulò ante rebellionem tempore pacis, communibus suffragijs Ferdinandum Austriacum regem successorem nominarunt, coronarunt, fide, & juramento sese illi obstrinxerunt.

4. Palatini non fuit justa electio.

Tertiò, quia Palatinus non debuit eligi vivo & invito legitimo rege sine cognitione causæ, & sine judice. ergo à subditis rebellibus Bohemis violenter assumpta electio, & à Palatino armis propugnata, non potest dici justa.

5. Palatini electio est contraria æquitati naturali.

Quartò, Electio Palatini est contraria legi naturalis æquitatis. quæ habet. quod tibi non vis fieri, hoc alteri ne feceris. quia quod Ferdinando Austriaco omni jure debebatur, hoc violenter, & per fraudem Palatino tribuit.

Quintò, Electio Palatini non respexit vltimum finem, hoc est, gloriam Dei, salutem regis, & subditorum. quia publico testimonio innotuit, Ecclesiæ Dei interitum, & augustissimæ Domus Austriacæ exterminium, tam injustè eligentibus, quàm infœliciter electo vnicè propositum fuisse. Ex his concludit vera ratio status suum votum, dicendo; quod electio Palatini nullo jure divino, aut humano justificari possit, & ideo nec institui, nec acceptari debuerit.

Sequitur votum falsæ rationis status de eadem electione.

ctione. Electio Palatini in regem Bohemiæ est pia, honesta, & justa, ergo approbanda. Est autem pia; quia ideò instituta est, vt per eam oppressis conscientijs subveniatur, & religionis libertas defendatur. Est honesta, quia ordines Bohemi pro libertate patriæ asserendã, quam contra datam fidem à regibus suis Domus Austriacæ principibus, vltra modum violari dicebant, elegerunt regem novum, & arma sumpserunt. Est etiam justa, quia facta est ab ordinibus Bohemiæ, quando ipsis omni jure licitum fuit eligere. cum videlicet Rex Matthias ipsos regni privilegijs spoliasset, literas datæ securitatis infregisset, vim intulisset, cumque post ejus obitum Ferdinandus ejusdem intentionis rex, ob continuatam, imò confirmatam violentiam, omnium votis inhabilis declaratus fuisset. Quod autem causæ allegatæ satis justæ sint, vt subditi possint eis attentis regem suum repudiare, & alium substituere, constare volunt mundi sapientes ex eo, quod regum & subditorum reciproca sint juramenta, & obligationes; quæ si non serventur, partem læsam à sacramento absolvi. Sic dicunt regem Saul propter jura regni violata, regno exutum, & Davidem coronatum: ita Helvetios à Domo Austriaca oppressos, libertatem armis defendisse, & gloriam obtinuisse; ita nostro seculo Hollandos, ob violata patriæ jura, privilegia, & libertatem, Hispanicum jugum excussisse, & victricibus armis potentissimam rempubl. constituisse. Ex quibus inferunt Palatinum legitimè electum, regnum Bohemiæ pio, honesto, & justo titulo acceptasse, atque sic sentit hoc votum.

6. Rationis falsæ status votum pro electione Palatini.

7. Idoli pro Palatino argumenta.

Videamus nunc quid Idolum nostrum arcanum Politicorum, de Palatini electione in votis ferat. Equidem cum ad hoc oraculum Palatinus cum suis Politicis omnia

8. Idoli votum pro electione Palatini.

omnia penetrantibus in summis periculis, & angustijs confugeret, exoptatum retulit votum, & responsum. Dixit enim in summa confidentia, Palatini electionem non tantum esse piam, honestam, & justam, vt proximè
9. Argumenta Idoli pro Palatino. dictum est, sed omninò sanctam, quia per illam Palatinus à Deo singulariter vocatus fuerit, vt religioni subveniret, & Dei gloriam promoveret; cui vocationi divinæ
10. Idoli conscientia. salva conscientia, quæ super omnia humana judicia ponderanda sit, resistere non potuerit.

Dixit insuper esse religiosissimam electionem: quia Bohemi zelo religionis defendendæ principaliter illam instituerunt. Non minus dicit illam esse pientissimam, laudabilem, & summè necessariam; quia eligentium Bohemorum, & electi Palatini intentio sit, Evangelio Christi, & fratribus oppressis conjunctis viribus succurrere. laudabilem, quia pro libertate tuenda suscepta; summè necessariam, quia nisi per hanc electionem regno Bohemiæ provideretur, fore certum periculum, ne ipsum cum multis alijs Christiani nominis regnis in potestatem Turcarum redigeretur. vnde pro electione cum gloria votum concludit. Dum autem Idolum Politicum,
11. Idoli arcana pro Palatino. hoc suum votum publicè communicat, suo more arcanum servare sanctis consilijs sibi devotos adstringit, ne scilicet imprudenter prodant, quæ Palatini sanctam vocationem consilia præcesserint; quam religionem ille intenderit, cum omnes Bohemorum sectas fingeret, quã sub specie Christianæ charitatis implacabile odium in Principes Austriaços nutriverit, quam astutè Turcarum auxilia sub nomine sociorum obtinuerit, & quam secretis consilijs vnitorum Principum, & civitatum opes in suum commodum converterit. hoc secretum secretorum esto.

Colli-

Colligat jam Christianus arbiter justus vota, quæ ratio status dictavit, & videbit, electionem Palatini à vera ratione status prorsus injustam damnari: à falsa verò, & arcano Politicorum, solito velamine humanæ astutiæ approbari, & Fortunæ committi. Vnde progrediendo hanc sequelam formabit. ergo Palatinus, vt Christianus, sententiam veræ rationis status, quæ secundum Deum est, & non oracula arcana Politicorum sequi debuit; quia sicut adversus Dominum Deum nullum prævalet consilium, ita in filijs hominum non est vlla salus, atque hoc experientia docuit.

12. Ratio status vera sequenda non falsa.

PVNCTVM XV.

Quod princeps Christianus solam veram rationem status sequi debeat.

AD confirmandam hanc veritatem aliquot rationes adferemus. Ratio prima, Omnis Christianus Princeps velit, nolit, fateatur oportet, se omnem potestatem, excellentiam in humanis, vitam ipsam, honores, bona, gratiam veræ fidei, omniaq; alia à solo Deo habere, ergo illa omnia, & singula secundum Deum administrare, ex ejusque præscripto vsurpare tenetur. hoc autem docet vera ratio status, ergo illam solam sine admixtione sequi obligatur.

1. Ratio status vera sola sequenda.

Secunda ratio est, quia Christus D. N. principibus Christianis populum suum commisit, vt illum ad veram fœlicitatem temporalem, & æternam dirigant, neminem perdant, & de singulis Deo repetenti respondeant. Cum ergo hoc non alia via, quam in obedientia Ecclesiæ Dei per veram rationem status assequi possint, benè dicitur,

2. Principes tenentur Deo respondere de subditis.

citur, quod Principes Christiani hanc solam inire teneantur.

3. Principes Christiani justè regnare tenentur.

Ratio tertia, Principes Christiani licitis honestisq; medijs ad rempub. vel imperium aspirare, & pervenire, illudque gubernare & conservare debent, nisi in Christo D. N. manus & vindictam, & in tyrannidis infamiam incidere velint. Sed hoc totum perfectè docet vera ratio status. ergo ad ejus observantiam omni jure constringuntur.

4. Principis Christiani requisita.

Ratio quarta, in Christiano principe requiruntur veræ virtutes, recta in Christum fides, obedientia Ecclesiæ Catholicæ, religio syncera, justitia, fortitudo, temperantia, charitas, studium pacis. atqui in his omnibus vera ratio status Principes, & subditos eminenter instruit. ergo illa sola, non alia adultera est amplectenda.

Ratio quinta, quia Princeps Christianus in administranda sibi à Deo commissa repub. aut veram, aut falsam rationem status observare tenetur. non autem falsam, quia illa & Deum, & religionem, & virtutes fingere docens, ducit ad interitum, ergo veram vt verus sit, insequi debet.

5. Ratio status vera docetur à Christo D.

His rationibus consentiunt omnia Christi D. N. & Ecclesiæ mandata, consilia, promissiones, & comminationes. quas si Princeps Christianus secundum obligationem intenta mente consideret, non facilè aliam viam, quàm veræ rationis status ingredietur. Neque moveri debet, quod maxima pars orbis in civitate mundi falsam rationem status sequatur. quia pluralitas eorum, qui ex voluntate propria post concupiscentias suas abeunt, terrenis pascuntur, & æterna negligunt, non excusat Christianum ab observantia religionis, voti, & justitiæ. à contrario sensu, quemlibet Christianum principem permovere

6. Peccantium multitudo non excusat.

vere debet ad evitandam viam communem falſæ ratio-
nis ſtatus, in qua mundi ſapientes delirant, vel hæc vnica
veriſſima cauſa, quod omnes, qui ab exordio mundi huc 7. In falſa ratione ſtatus nulla ſalus eſſe poteſt.
vſque veram rationem ſtatus, Eccleſiam Dei, & ejus obe-
dientiam reliquerunt, juſto Dei judicio æternam fœlici-
tatem amiſerint, & in terrenis parum ſecuritatis invene-
rint. Sic Judæi deſertores legis Dei, vagabundi, erran-
tes, fabula mundi facti ſunt, & peripſema. Sic Græci, & 8. Deus eſt vera ſalus.
Romani in pluralitate Deorum mancipia diaboli fue-
runt, vix vnquam in pace vixerunt, & vt plurimum poſt
vanam gloriam miſerè perierunt. Non aliter Chriſtiani
in oriente viam regiam deſerentes, in ſervitutem Turca-
rum prolapſi ſunt.

Omninò eadem de cauſa, quod falſa ratio ſtatus, in 9. Ratio ſtatus falſa eſt cauſa interitus.
Germania, Gallia, Anglia, Belgio, alijſque provincijs
aditum invenerit, terribili Dei judicio diverſæ hæreſes
nobiliſſima Chriſtianorum regna infecerunt, & crude-
liſſimis bellis omnia compleverunt.

In ſpecie hoc ſingulariter obſervet princeps Chri- N B.
ſtianus, quod omnes reges, & Principes, qui per falſam 10. Ratio ſtatus falſa inducit hæreſes.
rationem ſtatus hæreſin in ſua regna, aut provincias diſ-
ſimulando admiſerunt, aut regnis exuti, aut longa po-
ſteritate privati ſint.

Ita in Germania vix vnum Principem reperies, qui 11. Hæreſis à Deo punitur.
in linea recta à primo hæreſis promotore in ſuo princi-
patu deſcendat. Hinc Anglorum reges defecerunt, &
Scoti alias Anglis infenſi, ad regnum vocati ſunt; qua du-
ratione, novit Deus. Sic regum Galliæ regalis Valeſio-
rum linea poſt Turcarum auxilia aſſumpta, & impunè
diſſimulatam hæreſin deleta eſt.

Non refero plura exempla, quia hiſtoriæ fidem fa-
ciunt. Si ergo Princeps Chriſtianus diligenter atten-

dat ad rationes, & præjudicia allata, speramus omninò, quod lubens nobiscum concludet, solam veram rationem status sequendam, falsam verò exitialem abominandam esse.



LIBER



LIBER II.

DE RELIGIONE PRINCIPIS CHRISTIANI.

PUNCTUM I.

Quod Religio sit fundamentum reipublicæ Christianæ.



EGIMUS de Vera & Falsa Ratione status: consequens est, vt consideremus, quid de Deo Optimo Maximo, ejusq; sancta Religione sentire debeat Princeps Christianus. Et primo ne nomen religionis errorem inducat, principalis denominatio religionis erit nobis eadem, quæ in Ecclesia Catholica Romana est fidei Christianæ; vt sit donum Dei, ac lumen, quo homo illustratus firmiter assentitur omnibus, quæ Ecclesia credenda præcipit. Atque hæc est communis significatio. Dicitur etiam religio, cultus ille, seu pietas, quo Deus à fidelibus adoratur & veneratur. Et tertiò magis arctè religio vocatur, illa singularis devotio,

1\. Religio quid sit?

2\. Fides catholica.

tio, quam instinctu Spiritus S. quædam religiosæ Familiæ sub certis regulis in monasterijs profitentur.

Fundamentum solidum, cui inniti debet respubl. Christiana, & Princeps eam gubernans, est vera religio, seu syncera in Christum D. N. fides, Catholica, Apostolica Romana. Probatur primò: quia omnes Reges, & Respubl. ab ortu mundi suam Religionem, & cultum Deorum pro fundamentis Regnorum, & rerumpubl. habuerunt, quemadmodum hoc historiæ contestantur: Ergo & Christiana respub. & Princeps, quam præferunt, religionem Christi pro fundamento suæ reipubl. collocare tenentur. Consequentia confirmatur, quia Gentilium reges, & respubl. solo ductu, & vi rationis naturalis Deos suos coluerunt, vt Conservatores; Christiani autem cum ratione etiam lumine supernaturali ad divini Numinis reverentiam obligantur: Ergo potiori jure religionem suam reipubl. fundamentum constituunt. Probatur secundò. Meritò fundamentum reipubl. statuitur, quod ipsam salvam, & verè æternùm fœlicem efficit. hoc autem indubitanter præstat religio, seu viva fides Christiana: Ergo illa reipubl. fundamentum erit. Minorem nemo Christianus Catholicus negaverit. Hæreticos aberrantes ad veritatem Ecclesiæ Dei remittimus.

3. Religio est fundamentum reipubl.

4. Religio est fundamentũ reipub. apud Christianos.

5. Religio est causa salutis in repubi. Christiana.

Probatur tertiò, quia Christus D. N. in Ecclesia sua per Spiritum S. ponit fundamentum salutis omnium hominum in viva fide: ergo de necessitate respub. Christiana idem habet fundamentum: quia eandem salutem principaliter intendit.

6. Fides viva salus Christianorum.

Probatur quartò, quia hanc veritatem docent omnes SS. Patres, & Doctores Ecclesiæ. Ergo sine excusatione Christiano Principi sequenda.

Proba-

Probatur quintò, quia Imperatores Christiani in Jure Civili, fidem D. Petri Apostoli pro fundamento fœlicitatis reipubl. omnibus commendant & præscribunt, hæreses omnes severè prohibent: Ergo Princeps noster Christianus tam sanctis vestigijs prædecessorum insistere tenetur. 7. Ius Civile probat fidem Catholicam.

Probatur sextò, quia omnes Principes Christiani Catholici in suis inaugurationibus jurant, se velle religionem, tanquam vnicum fundamentum reipubl. illæsam tueri, & protegere. Ergo sine perjurio aliud fundamentum eligere non possunt.

Accedat argumentum septimum, ab ipsis atheis Politicis desumptum, qui etiamsi religionem fingere pro occasione doceant, tamen ipsam religionem pro fundamento reipubl. statuunt. Ergo multò minus Christianus Princeps in hoc hæsitare debet. 8. Religio etiã ab atheis habetur pro fundamento reipubl.

Quod autem de principe Christiano in sua religione dicitur, hoc de omni repub. cujuscunque professionis fuerit, suo modo verum est.

Si quis objiciat, rationem status, & maximè veram, esse normam & fundamentum reipub. benè gubernandæ, & ideo hoc ipsum male tribui religioni. Objectio.

Respondemus, Rationem status non esse propriè fundamentum reipubl. sed prudentiam apud Christianos innitentem fundamento fidei, quæ secundum illud ex divino præscripto dirigit omnia ad Dei gloriam, & ipsius reipubl. salutem, ita vt Religio sit principale medium, quo Ratio status vtitur ad finem sibi propositum, cum summa ratio sit, quæ pro Religione facit. 9. Summa ratio est quæ pro religione facit.

PVN-

PVNCTVM II.

Quare Religio dicatur fundamentum reipubl. & quas vires habeat?

RELigio ideò dicitur fundamentum reipub. quia super Religione fundatur respubl. ita vt deficiente illa, hæc corruat, illa stante hæc salva maneat. Hoc probamus ratione & exemplo. Ratio prima est, quia Deus ita instituit rempubl. vt maxima ratio cultus divini, & sacrificiorum in ea habeatur, quod proprium est religionis præstare: ergo in religione benè dicitur positum reipubl. fundamentum. quia gloriam Dei promovet, propter quam respubl. constituta est.

1. Religio quare dicatur fundamentum reipub.

Ratio secunda, Religio est certum principium ad vltimum finem reipubl. consequendum, ita vt sine religione impossibile sit ad illum, hoc est, ad veram fœlicitatem pervenire. ergo meritò dicitur fundamentum, cui ipsa salus innititur.

2. Sine fide impossibile est placere Deo.

Ratio tertia, Illud propriè dicendum videtur reip. fundamentum, quod eandem in suo esse conservat; sed per Religionem societas humana, hoc est, respubl. vel maximè in concordia conservatur, ergo Religio est reip. fundamentum. Minor probatur. quia æqualis religio multorum conjungit animos, & ad justam defensionem facit vnos, in quo conservatio reipub. vt plurimum versatur.

3. Religio est causa concordiæ.

Ratio quarta, Sine religione nulla respubl. subsistit, & necessariò corruit. ergo religio verè dicitur reipubl. fundamentum. Vt hoc antecedens probetur, adducemus exempla, quæ promisimus.

4. Religionis contemptus est ruina reip.

Primum exemplum sit generale diluvium, quo Deus

5. Religio neglecta provocat pœnas.

Deus propter impietatem, contemptum cultus divini, & execranda ſcelera juſto judicio totam civitatem mundi, hoc eſt, omnes reges & populos atheos vno decreto, vnoq; impetu terribiliter delevit, & in profundum perditionis demerſit. Civitatem vero Dei in Noe cum paucis ſuis admiranda providentia potenter ſalvavit.

6. Jeroboam recedens à religione perdit regnum.

Secundum exemplum refert nobis regnum Iſrael in rege Jeroboam, qui cum ex ſervo regis Salomonis elevatus eſſet in regem decem tribuum Iſrael, reliquit vias, & leges Domini, deſeruit templum in Jeruſalem, ſecutus humanam ſapientiam nova altaria in Dan, & Bethel extruxit, per Rationem ſtatus novos Sacerdotes elegit, Religionis zelum finxit, feſta & ſolennia inſtituit, populoq; libertatem propinavit, vt ipſum ab affectione erga Roboam filium Salomonis alienaret, & à templo in Hieruſalem, hoc eſt, à vero Dei cultu diverteret. atque per hoc Idoli noſtri arcanum conſilium ſe, ſuoſque in regno ſtabiliret. Cui conſilio ita firmiter inhæſit, vt Dei prophetam Achiam promittentem continuationem regni, ſi in mandatis Domini juſtè ambularet, non audiverit, & videns legitimum hæredem Salomonis Roboam ob peccata Patris regno excluſum, ſe verò ex ſervo in regem promotum, infelix Dei gratiam non agnoverit. Quo facto deſolata eſt domus Jeroboam à facie terræ, & non ſolum ejus filius Nadab, ſed omnis poſteritas vltore gladio deleta eſt.

7. Idoli dolus perdit ſuos.

8. Regnum orientis defecit à religione, & perijt.

Tertium exemplum ſit Imperium Orientis ampliſſimum, quod ſecundum veras hiſtorias regibus Paleologis ademptum in Turcas translatum eſt, quia reges à vera Religione Catholica declinarant, in hæreſin abierant, & de Spiritu ſancto malè ſentiebant.

Econtrà ſerviat pro quarto exemplo regnum Da-

9\. David religiosus in Regem vngitur.

vidis, quem Deus repudiato Saule ob peccatum, ex pastore ovium in regem totius Iſrael elegit, victorem omnium hoſtium effecit, ſpiritu Prophetiæ replevit, fœlicitate temporali ſimul, & æternâ donavit, non aliam ob cauſam, vt Deus ipſe teſtatur, quàm quia David erat ſervus ſecundum cor Dei, ambulans in vijs rectis mandatorum, ex toto corde Deum glorificans, religionem cultumque Dei, & populum ab injuria totis viribus defendens.

10\. Regum obligatio.

11\. Stephanus rex Poloniæ.

Quintum exemplum ſit regis Poloniæ Stephani Battorij, qui ob integritatem Catholicæ religionis, & zelum gloriæ Dei (pro quo vitam & fortunas mille periculis objecit) primò in Principem Tranſilvaniæ, tandem præ omnibus æmulis potentiſſimis, Deo diſponente, in regem Boloniæ electus eſt. in quo regno hoſtes glorioſè debellavit, cum religione ipſum regnum fœliciſſimè conſervavit & auxit.

12\. Religionis pietas promovit Auſtriacos ad regna.

Sextum exemplum ſit regnum nobis præſens Auſtriacorum, quod à Rudolphi Comitis Habſpurgi pietate, & D. Leopoldi ſanctitate in poſteros derivata, ad tantam potentiam, & eminentiam pervenit, vt non ſolum omnibus totius mundi regibus ſit formidabile, ſed etiam ab omnibus infidelibus, Turcis, & Chriſtianis continuis bellis oppugnetur. Quia verò Imperatores, Reges, Principes Auguſtiſſimæ domus Auſtriacæ ab avita religione catholica non deflectunt, Deo fideles, in Eccleſiæ obedientia conſtantes ipſam Eccleſiam, & religionem armis, ſanguine, & extremis viribus defendunt, pro majori Dei gloria theſauros omnes liberaliſſimè impendunt, nihil proficiunt hoſtium machinationes, ſtat immobile regnum, & indies per ſingularem Dei gratiam glorioſum accipit incrementum.

13\. Reges Auſtriaci conſtantes in fide.

Simi-

Similium exemplorum historiæ sacræ & prophanæ plenæ sunt, ad quarum lectionem, præsertim de rege Balthasaro, Principem meum invito, vt clarius intelligat, quo modo Deus ipse auctor, & conservator regnorum Religionem pro reipubl. fundamento constituerit, quas vires illi ad salutem, vel interitum addiderit, atque exinde ad constantiam in religione Catholica efficaciter moveatur.

14. Balthasar rex

PVNCTVM III.

Quid Princeps Christianus de Deo sentire debeat.

SEcurissimus erit Princeps, qui simpliciter, & confidenter Ecclesiæ Dei infallibile judicium sequetur: quod vt plenius intelligat, breviter, quæ de Deo decernit Ecclesia, quantum ad institutum sufficere possit, afferemus.

1. Deus infinitæ essentiæ ab homine nec definiri, nec comprehendi potest.

Est ergo Deus, secundum doctrinam Ecclesiæ sanctæ, actus, & spiritus purissimus, omnipotens, æternus, sapientissimus, summum bonum, immensus, immutabilis, incomprehensibilis, cujus sublimitas, & majestas tam infinita est, vt humanus intellectus, sive omnes perfectiones, quas extremè concipere potest, illi tribuat; sive imperfectiones omnes ab eo removeat, ad ejus divini esse veram cognitionem pertingere non possit.

2. Hominis intellectus finitus.

Nam etiamsi humanum ingenium rerum creatarum species omnes cognitione (quod raro fit) assequatur; tamen quia finitis terminis limitatur, infinitam Dei perfectionem in esse, & attributis nunquam adæquare, aut comprehendere potest. Non ergo sit homo curiosus scruta-

ſcrutator Majeſtatis, ne opprimatur à gloria. ſufficiat hic per fidem cognoſcere Deum trinum, & vnum, quem in cœlis de facie ad faciem, vt eſt, videbit fidelis Chriſtianus.

3. Deum cognoſcimus per fidem.

Deinde docet Eccleſia, Deum omnipotentem à nullo alio dependere, ſed verbo omnipotentiæ ſuæ omnia pro voluntate libera creaſſe. omnia, quæcunq; voluit, fecit. cœlum, ſolem, lunam, ignem, aërem, aquam, & terram, & omnia, quæ in eis ſunt; Angelos, ſpiritus, hominem, animalia, piſces, plantas, arbores, & quidquid ex illis producitur, ipſe creavit.

4. Deus eſt independens, creator omnium.

Tertiò, Deus in eadem omnipotentia per infinitam ſuam ſapientiam omnia creata conſervat, & gubernat. Hoc Deus ipſe, & Eccleſia docent, hoc ſapientes mundi etiam Gentiles fatentur; hoc actualiter per viciſſitudines rerum experimur.

5. Deus omnia creata conſervat.

Quartò, Deus ſummum bonum per bonitatem ſuam hominem ad imaginem ſuam formavit, ſpiritum ejus intellectu, memoria, & voluntate ornavit, carnem per animam ſenſibus dotavit, & omnia ſublunaria ejus cognitioni, & imperio gratis ſubjecit: & ne confuſio dominantium diſſolutionem humanæ ſocietatis pareret, paucos multis regnare voluit.

6. Deus creavit hominem, & ornavit illum animæ dotibus.

7. Pauci regnant.

Quintò, idem Deus Opt. Max. per incomprehenſibilem providentiam pluralitati hominum naturalem quendam inſtinctum conjunxit, vt ſuperioribus obediant, moribus manſueſcant. Principibus verò populi certas leges præſcripſit, ſecundum quas, velut Patres, juſti inferiores moderatè regere, & ad æternam temporalemque fœlicitatem dirigere debeant.

8. Deus populos ſubeſſe, Reges imperare docet.

Sextò, Deus per charitatem ſuam ineffabilem miſit filium ſuum vnigenitum Jeſum Chriſtum in mundum,

9. Deus per filium redemit ab interitu hominem.

dum,

dum, vt ille hominem per peccatum perditum pretioſo ſuo ſanguine, & morte ab æternis ſupplicijs redimeret, &, vt perfectiſſimus homo, veram viam ſalutis homines doceret: vnde Chriſtus de ſe dicit: Ego ſum via, veritas & vita.

Septimò, Chriſtus D. N. vt certam faceret vocationem hominum ad æternam ſalutem, viam exemplo perfectiſſimo ſuæ vitæ ſtravit omninò ſine errore rectam, & vt humanæ imbecillitati ſubveniret, leges certas, terminoſque certos ſtatuit, promiſſiones veræ fœlicitatis addidit, & aberrantibus à via pœnas æternas decrevit. Veritatem ſuam infallibilem docuit ore proprio, dum in terra verſaretur, probavit miraculis, & Spiritus S. doctrina in Eccleſia confirmavit. Vitam præbuit hominibus in ſanctiſſimo Sacramento Euchariſtiæ, ſeipſum communicans vſque ad conſummationem ſæculi in vitam æternam. qui enim ex illo pane manducaverit, vivet in æternum.

10. Deus homini certas leges ad ſalutem præſcripſit.

11. Chriſtus eſt via.

12. Deus eſt via, veritas, & vita.

Octavò, Deus in ſacra ſcriptura per Moſen, Prophetas, Apoſtolos, ſanctos Patres, & Doctores Eccleſiæ, ſingulares leges præſcripſit Regibus, quas ſi obſervent, omni fœlicitate, & benedictione hic, & æternum fruantur; ſi transgrediantur, omne maledictioni, miſeriæque humanæ ſubjiciantur, & in æternum pereant. cujus rei ſunt in hiſtorijs tam præclara, & horrenda exempla, vt ſola eorum memoria Regem, & populum in officio continere poſſet.

13. Deus regibus leges imponit.

Poſuimus has octo notas de Deo, vt Princeps Chriſtianus eas conſiderans, cognoſcat, quid de illo ſentire, & credere debeat. Verum tamen vt facilius comprehendat, in quibus ſalus vniverſa conſiſtit, placeat Principi meo, per ſingulas notas diſcurrendo mecum tranſire.

14. Reflexio creaturę ad creatorem parit gratam humilitatem.

Et primò quidem collecta mente consideret, quis sit Deus Opt. Max. & quis ipse Princeps. sic movebitur, vt, quantum potest, de Divino illo esse infinito, æterno & immenso, cum tremore alas contrahens, altissimè sentiat; se autem velut vmbram inanem illi incomprehensibili Majestati quàm humilimè submittat.

15. Deus creator. Rex creatura.

In secundo videat attentè, quod Deus sit creator omnium, Princeps creatura. Unde ratiocinando colliget, quantum cultum, obsequium, honorem, & gratias debeat illi, qui ipsum de abysso nihili in tam nobili esse gratis constituit.

16. Deus dat esse regibus, & conservat, ergo summè venerandus est.

In tertio, elevetur idem Princeps noster mente in infinitam Dei sapientiam, qua cum alijs omnibus etiam se creaturam indignam in dato esse potenter conservat, clementer gubernat: quod si non faciat, omnia ad nihilum redeant. & hinc memor propriæ fragilitatis, Conservatorem suum totis viribus venerandum censebit.

17. Reges à Deo omnia gratis habent.

In quarto, cogitet Princeps, quid divinæ bonitati debeat pro omnibus donis, quibus se sine merito ornatum conspicit, & sine dubio accendetur, vt memoria semper sit grata, intellectus cognoscens amorem Dei excitet, & voluntas pleno affectu Deo placita ferventer exequatur.

18. Princeps à Deo omnia habet secularia.

In quinto, contempletur Princeps, qualem in subditis obedientiam, & concordiam, in se quantam Majestatem, & auctoritatem, dum imperat, inveniat. & divinæ providentiæ, à qua ista promanant, se infinitas laudes debere judicabit.

19. Principes quid debeant Deo redemptori.

In sexto, si Princeps in beneficium redemptionis animum defigat, fieri non potest, quin tanto pretio redemptus servus, in perpetuas gratiarum actiones, & gloriam sui Redemptoris, & Domini resolvatur.

In

In ſeptimo, talem viam, veritatem & vitam in Chriſto D. N. Princeps inveniet, vt ſi ſequatur, fœliciſſimum terminum, æternam ſalutem conſequatur; ſi derelinquat, devius erret, tenebris falſi involvatur, & pro fœlici vita morte æterna crucietur.

20. Via Chriſti ſecuritas ſalutis.

In octavo, deprehendet Princeps in datis legibus promiſſis, & comminationibus tantam Dei Opt. Max. in ſe ſollicitudinem, vt ex omni parte ad obedientiam, gratitudinem, & gloriam ſe obligatum confiteri teneatur.

21. Dei leges ſunt media ad ſalutem.

Ex quibus benè conſideratis, concludet mecum Chriſtianus Princeps, quod ſicut à Deo ſolo ſuum eſſe, conſervationem, vitam, eminentiam ſtatus potentiam, divitias, & omnia bona habet, ita omnia ad ejus gloriam referre, vſurpare, & convertere debeat. Quo altius de Deo, de ſe humilius Princeps ſentiet, eò confidentius ad vltimum finem properabit.

In hac veritate fundatus Princeps Chriſtianus non facile aures dabit Politicorum incantantium vocibus vt ſub excuſatione fati, vel fortunæ impetu, vel Idoli noſtri, ſeu rationis ſtatus perſuaſionibus per peccata Deum privet ſua gloria, ſed ipſum æterna ſalute. quia nec fatum, neque fortuna, aut Ratio ſtatus in vltimo Dei judicio reſpondebunt pro convicto, ſed anima, quæ peccavit, punietur: quæ Deum glorificavit, æternùm ſalvabitur.

22. Omnia ſunt vanitas, præter amare Deum.

PVNCTVM IV.

An Princeps Chriſtianus Eccleſiæ Dei ſe ſubmittere, & de ea, vel de Religione judicare debeat?

1. Politici, & hæretici rejiciunt Eccleſiam.

POliticorum, & hæreticorum impietas in cauſa eſt, quare hæc quæſtio moveatur. Illi enim ſicut Deum non agnoſcunt, religionem pro vtilitate fingunt, ita inſano ſpiritu Eccleſiam Dei deteſtantur, & Principem ab ejus obedientia immunem in abſoluta libertate (vt grati ſint) conſtituunt. Ne itaq; Princeps Chriſtianus blandientem libertatem affectet, & dulci hoc veneno decipiatur, dicemus breviter, quid cum ſecuritate hac de re ſentire debeat.

2. Deus ſacerdotium inſtituit.

Et primò, manifeſtæ veritatis eſt, ex omni ſacra ſcriptura Deum D. N. infinita ſua ſapientia ſacerdotium ab Imperio ſeculari diſtinxiſſe. ergo quod Deus ſtatuit, homo (niſi atheus ſit) non confundet, non diſſolvet.

3. Deus Sacerdotes conſtituit Iudices.

Secundò, non minus verum eſt, quod Deus in vniverſa republ. ſacerdotio, hoc eſt, Eccleſiæ ſupremam auctoritatem, curamque divini cultus, & ſalutis æternæ commiſerit, regesque, & judices in dubijs ad Eccleſiæ deciſionem remiſerit, ergo qui huic ordinationi reſiſtit, Deo contradicit.

4. Deus mandat regibus obedire Eccleſiæ.

Tertiò, conſtat ex ſacra ſcriptura, quod Deus ſub graviſſimis pœnis regibus præcipit à ſacris abſtinere, ſacerdotes conſulere, Eccleſiam audire, eamq; defendere. ergo non niſi impius ſeſe ab obedientia Eccleſiæ Dei ſubtrahet.

5. Reges ſunt filij Eccleſiæ.

Quartò, Eccleſia Dei eſt pia mater, quæ omnes gremio

nio ſuo inhærentes duce Spiritu S. ad æternam ſalutem promovet, reges autem & principes ſunt filij Eccleſiæ. ergo illam amore, & honore filiali proſequi tenentur, niſi execrationem divinam experiri velint, non habebit Deum patrem, qui Eccleſiam noluerit habere matrem. Qui non audit Eccleſiam, ſicut Ethnicus, & publicanus eſto.

Quintò, Imperatores, & legum humanarum conditores Eccleſiam Dei à Civili ſua juriſdictione eximunt; 6.
ſe autem in ſacris cenſuræ Eccleſiaſticæ ſubjiciunt. quod non ſolum multis legibus, ſed & plurimis Regum, & Principum in vtraque lege glorioſis exemplis comprobatur. ergo Chriſtianus noſter Princeps, quod Jura docent, Imperatores cum æterna laude faciunt, non detrectabit.

Leges civiles eximunt Eccleſiam.

Sextò, ad confuſionem Chriſtianorum adducimus 7.
leges, & conſuetudines mundi Sapientum, Gentilium, Græcorum, Romanorum, & omnium aliorum, quibus Cæſaris Imperium à Jove diviſerunt, & ſummam rerum ſalutem determinationi Sacerdotum ſubmiſerunt. hoc produnt omnes hiſtoriæ. ergo multò magis Chriſtianus Princeps Eccleſiæ Dei infallibili ſeſe ſubmittere tenetur.

Gentiles ſacerdotum judicio paruerunt.

His poſitis veniamus ad argumenta Politicorum, quibus ſæcularium Principum exemptionem ab Eccleſia, libertatem, & imperium in ipſam Dei Eccleſiam aſſeverare conantur.

Argumentum primum ex veteri Teſtamento. Dominus Deus pro Moſe conſtituit hominem ſuper popu- 8.
lum, qui ſicut Paſtor oves regeret, nominavitque Joſue,
quia ſpiritus erat in illo. ergo Joſue accepit curam ſpiri- 9.
tualium, & ovium, & factus eſt ſupremum caput populi.

Argum. 1. Atheiſtarum contra Eccleſiam.

In Joſue erat ſpiritus Dei, ergo eſt caput Eccleſiæ.

quod autem Deus in Israel statuit de Josue, hoc eodem jure regibus concessit, ergo quilibet Rex habens spiritum in suo regno exemptus est à Jurisdictione Ecclesiæ, & vt supremus judex de omnibus decernit, quia omnium cura sibi à Deo commissa est.

Argum. 2. 10. Reges sunt extra Ecclesiam, suo damno.

Secundum argumentum. Ecclesia secundum Apostolum Paulum non habet jus in eos, qui foris sunt; sed reges, præsertim hæretici, sunt extra Ecclesiam. quia Deus judicat de Regibus. ergo Ecclesia non habet jus in Reges'.

Argum. 3. 11. Reges sunt absoluti rerum domini, ergo & Ecclesiæ.

Tertium argumentum. si reges subessent imperio Ecclesiæ, non essent liberi, nec absoluti Domini, sed æqualis conditionis cum subditis. quod omninò repugnat ex natura rei statui regum, qui non agnoscunt superiorem, omnibus verò imperant. ergo non Ecclesia in reges, sed reges in Ecclesiam, cujus defensores, & pastores sunt, potius habent imperium.

12. Martinus Becanus Soc. Iesu.

Ad hæc argumenta doctissimè more suo respondet Societatis Jesu eximius Theologus P. Martinus Becanus de controversia Anglicana, quem vt curiosi legant, & intelligant, exopto. Ego pro tenuitate mea in his argumentis dulce venenum Idoli nostri latere existimo, de cujus malitia ad evertendam Ecclesiam magis doleo, quàm de solutione argumentorum laboro. Consilium Idoli nostri est, Reges de ratione status non posse habere superiorem. ergo nec Ecclesiam. quo dato pergit armare regum præsumptam libertatem in Ecclesiam Dei, vt eam bonis spolient, auctoritate exuant, & ipsi liberè sine cujusque reprehensione dominentur. quod vt regibus gratum novit antiquus serpens hostis Ecclesiæ, ita illud ipsum per suos Doctores in Ratione status subtiliter instillat, vt Ecclesiæ deletæ libertas vitiorum reges simul,

13. Idoli status fraudes in Ecclesiam Dei.

14. Idolum servit Diabolo.

ſimul, & populum in laqueos æternæ ſervitutis præcipi- 15. Libertatis injuſtæ fructus.
tes agat. atque hic eſt fructus injuſtæ libertatis.
Hac cautione prævia, dico ad primum argumen- Solutio arg 1.
tum. non valere conſequentiam: ſpiritus Domini erat 16. Ioſue ſpiritus quomodo intelligendus.
in Joſue, ergo data eſt illi cura ſpirituum. nam ſi valet,
potius hæc valere debet, ſpiritus Domini erat eodem
tempore in ſummo Sacerdote Eleazaro, ergo illi data eſt
cura ſpirituum. atque hoc verum eſt, quia hunc Deus
Eccleſiæ ſingulariter præfecit, Joſue Eccleſiæ obedire
juſſit. Similiter corruit annexum. Joſue fuit Paſtor
ovium, & caput populi, ergo liber ab Eccleſiæ jurisdi-
ctione. quia non fuit Joſue declaratus Paſtor ovium, ſed
mandatum, vt ſicut Paſtor populum juſtè, & benignè
regeret ſecundum legem, quam Deus ſacerdoti ſummo 17. Ioſue, & Reges Iſrael à ſacerdote mandata ſumpſerunt.
tradiderat. Ex quo à fortiori concludent reges, quod
ſicut Joſue, & omnes reges Iſrael juſſi fuerunt in ſpiri-
tualibus, & gravioribus cauſis ſacerdotum judicium ſe-
qui, ita ipſi ſeculari poteſtate contenti Eccleſiam audire,
& defendere, non Ratione ſtatus ſeducti imperium in
ipſam affectare debeant.
Ad ſecundum argumentum, dicitur in minore di- Solutio arg. 2.
ſtinguendum eſſe de Regibus, qui ſunt Catholici Roma- 18. Hæretici ſunt extra Eccleſiam.
ni, vel hæretici, & Pagani. nam illi ex mandato Dei Ec-
cleſiam, in qua ſunt deſignati filij, lubentes audiunt,
venerantur, tuentur; hi extra Eccleſiã poſiti verè Deum
juſtum judicem invenient, qui de ipſis, & vſurpato Pri-
matu, quando peccata erunt completa, ſeverè judicabit.
non ergo ſequitur, reges hæretici, & Pagani, qui ſuo dam- 19. Extra Eccleſiam non eſt ſalus.
no ſunt extra Eccleſiam, non tenentur ejus legibus, ergo
omnes reges, etiam Catholici ſunt liberi, & exempti ab
Eccleſiæ juriſdictione. abſit hæc maledictio à Principe
Chriſtiano, quia extra Eccleſiam Dei non eſt ſalus.

Solutio arg. 3.

20. Reges dependent à Deo.

Ad tertium argumentum respondeo; falsum esse, reges non habere superiorem. quia velint, nolint, Deum habent supremum Dominum, & ex ejus mandato Ecclesiam in terris pro judice controversiarum. Qui ergo Spiritui S. nolunt resistere, & sub specie libertatis in retia diaboli incidere, ordinationi Divinæ obsequentur, & in vera libertate Christiana fœlices regnabunt, Ecclesiam Dei cum gloria defendent.

21. Ecclesiæ resistere, est Deo resistere.

22. Principes non sunt judices Ecclesiæ.

Altera pars propositæ quæstionis, an Princeps Christianus de Ecclesia, & religione judicare possit, aut debeat? licet ex prioris resolutione vt plurimum dependeat, tamen quia Ratio status Regibus dominium hoc, & judicium tribuere videtur, paucis perstringemus.

23. Principes de Ecclesia non debeant judicare.

Constans est sanctorum Patrum, & omnium Catholicorum sententia, quod princeps secularis de Ecclesia, personis Ecclesiasticis, de rebus fidei, & religionis judicare non debeat. rationes sunt: 1. quia Deus aliter disposuit. 2. quia lex sacra prohibet. 3. quia leges civiles hoc non concedunt 4. quia ab exordio mundi consuetudo generalis est in contrarium, 5. quia si princeps cognosceret de rebus sacris, inferior judicaret inverso rerum ordine de superiore.

24. Inferior non debet cognoscere de superiore.

25. Paradoxum politicum.

Contra hanc veritatem insurgit Ratio status, & per suos Secretarios atheos persuadet regibus multa licita esse Ratione status, quæ alias prohibita videantur. Vnde inferunt, quod quando rex ob religionem regnum periclitari advertat, tunc de ipsa religione pro conservatione regni statuere possit. ita reges Angliæ Henricum, Eduardum, Elizabetham, Jacobum, Primatum Ecclesiæ fœliciter suscepisse, vt regnum conservarent. sic plerosq; Germaniæ principes Lutheranos, & Calvinistas Ecclesiæ suæ leges dare, ne Status detrimentum capiat.

26. Multa licent ratione status, etiam prohibita.

27. Hæreticorum pietas.

Ad

Ad impium hoc paradoxum (licere multa Ratione 28. Paradoxi resolutio.
ſtatus, quæ aliàs prohibita ſunt) ex communi omnium
bonorum judicio dicendum eſt, quod ſit inventum,
nunquam vlla ratione probatum, indignum Chriſtia- 29.
nis, Deo, legi, rationi & veritati contrarium, & ideò dam- Paradoxum quare damnandum.
nandum, & fugiendum. Ratio eſt, quia, ſi hoc parado-
xum valeat, fruſtrà ſunt omnia jura divina, & humana,
cum ſuadente Ratione ſtatus illa impunè infringere li-
cere, velint Politici. Serviat pro exemplo mors Roffen- 30. Thomas Morus.
ſis, & Thomæ Mori in Anglia, in Gallia mors Cardinalis, 31.
& Ducis Guiſij, qui cum in foro juſtitiæ à Regibus con- Cardinalis Guiſius.
demnari non poſſent, de ratione ſtatus vita mulctati, &
trucidati ſunt. Si Deus ſanguinem innocentem repe- 32. Ratio ſtatus
tat, ſi mandata ſua, & juſtitiæ leges objiciat iſtis Regibus. occidit, quos juſtitia ſalvos
reſpondebunt, Rationem ſtatus exegiſſe mortem iſtam, declarat.
vt reges ſecurè regnare, & regna conſervari poſſent: præ- 33.
fertur ergo Ratio ſtatus Deo, & juſtitiæ ſecundum Poli- Idolum ſtatus præfertur
ticorum doctrinam, quod eſt evertere ordinem vniverſi, Deo. 34.
& ſupra Deum verum, Rationem ſtatus pro Deo ſummo Atheis plus valet ratio ſtatus, quam
conſtituere, cujus imperio ſtandum ſit. horret animus, Deus.
inter Chriſtianos talem impietatem nominari, doceri, &
exerceri. Cum itaq; hoc paradoxum omninò falſum ſit, 35. Ideli horror
non eſt mirum, ex illo falſa arguméta deſumpta eſſe pro
Primatu regum in Eccleſia. non eſt offendendus creator
propter creaturam, non Deus propter regnum; non
periclitanda æternitas propter momentaneum. Neque 36.
valens exempla regum Angliæ ad probandum judicium Angliç Reges
ſeculare in Eccleſiam, & Religionem, quia potius omni- in primatu pereunt.
bus Principibus terrori debent eſſe, cum videant ſolos
Anglos hoc judicium vſurpare, & infœliciter ſatis ex hu-
manis aboleri.

De Germanis Principibus, qui aliquo modo imitari

conantur Anglos, afferam vnum, vt veriſſimum, ita memoria digniſſimum exemplum. Fuit quidam Catholicus princeps invitatus ad aulam Principis Lutherani; ad quam cum veniſſet, conventum quindecim Principum invenit, & in omni converſatione, in conſilijs, & in menſa audivit ſingulos ſibi hoc prædicatum tribuere. ego ſum Papa in mea provincia. provocatus, vt idem diceret, & in ſuis ditionibus libertatem religionis, hoc eſt, exercitium Lutheranum permitteret, diu reſtitit, tandem importunitate victus poculum vini manu geſtans, dixit, & ego ſum Papa in meis provincijs. quo verbo prolato, decidit poculum, manus tremuit, lingua defecit, & multa triſtia conſecuta ſunt. non ergo invitabunt, ſed deterrebunt principem Chriſtianum hæc exempla ad præſumendum de Eccleſia. ſecurè ambulat, qui Deo confidit, Eccleſiam audit.

37. Exemplum ſecularis Papæ in Germania.

38. Princeps Papa in ſua provincia.

PVNCTVM V.

De Conſcientia principis Chriſtiani.

QVia non ſufficit principi, aut cuicunque Chriſtiano, in Deum recta fide credere, Eccleſiam audire, religionem Catholicam profiteri, niſi condignis operibus hoc ipſum comprobet, ideò de conſcientia principis paucis agemus, vt in illa velut in ſpeculo actiones ſuas examinet, & ad optatum finem deducat.

1. Conſcientia quid ſit?

Conſcientia hominis Chriſtiani eſt ipſiusmet de proprijs factis, verbis aut cogitatis ſemper præſens judicium. quod ſi homo, juxta doctrinam Eccleſiæ ſedulò exerceat in omni virtutum genere excellet, Deo charus, hominibus gratus erit; ſi negligat, ſi contemnat, per vias malas

malas in abyſſum abominationum corruet, & ſe hominibus exoſum, Deo inviſum reddet.

2. Conſcientiæ puræ fructus, & qualitates.

Conſcientia pura, ſeu bona, quæ per frequens examen acquiritur, eſt in adverſis, ſolatium; in perſecutione, refugium; in perverſo hominum judicio, ſecuritas; in laudibus, veritas; in vituperio, certus judex; hæc deteſtatur vitia, virtutes inquirit; non quærit latebras, nec erubeſcit publicum; liberat à metu, fiduciam excitat; dat vera menti gaudia, latentem fugat triſtitiam; tranſcendit omnia humana ſolatia, judicem æternum conciliat; ſpem ſalutis facit ſolidam, & Deo confidenter inhæret.

N B.

3. Conſcientiæ malæ incommoda, & qualitates.

Conſcientia mala, eſt tortor continuus, vermis ſemper acerbum mordens, ſtimulus inceſſanter pungens; horror in ſomnijs, timor vigilantis; eſt animæ malleus duro verbere quietem repellens, corporis afflictio vires corrodens; eſt teſtis proprij mali, proditor veri, & primus judex peccati. hæc omnes ſuſpectos habet, & metuit accuſatores; fugit lucem, cum dolore in tenebris deliteſcit; dum exterius lætatur, mentis triſtitia torquetur; neſcit pacem, virtuti bellum inſtruens; quærit neſciri, & Deum omnia ſcientem provocat; nuſquam ſecura hominem conſumit, & æterna ſupplicia ſemper tremens exſpectat.

N B.

4. Conſcientiæ ſtimulus omnibus communis.

Cum autem ita natura comparatum ſit, vt omnis homo ſive bonus, ſive malus, magnus, aut humilis, hunc ſtimulum conſcientiæ etiam nolens & repugnans ſentiat. Dicimus principem Chriſtianum intentis viribus adniti debere, vt in pura conſcientia coram Deo, & hominibus ambulet.

5. Princeps quare conſcientiam purã ſervare debeat.

Ratio eſt prima, quia princeps in theatro hujus mundi eſt præfulgens cæteris actor nobiliſſimus, qui tanquam

tanquam primum mobile rapit multitudinem reliquā, ita, vt ad exemplum regis componatur orbis. Ne ergo

6. Rex est primum mobile in terra.

princeps sordibus vitiorum vilescens subditos in communem trahat interitum, necessariò suis actionibus strictum conscientiæ judicium adhibebit. eò magis, quod

7. Regis peccata quare alijs graviora.

sicut peccata principum propter scandalum sunt alijs graviora, ita conscientia eorum purior esse debeat. Et si

8. Reges debent [illegible]

integra sit principis conscientia, virtutibus rempub. fulgore splendido illuminabit, quod est officium veri principis.

Ratio secunda, quia Deus D.N. fidei principis committit animas subditorum, ornat eum majestate, & honore, ditatque bonis terræ, vt sicut quidam Deus, aut sol, cæteris præluceat, sub hac conditione, vt de singulis rationem reddat, & respondeat. non potest autem prin-

9. Conscientia pura est parata ad reddendas rationes.

ceps vel de proprijs, vel de alienis actibus justas rationes subducere, nisi frequenter conscientiæ dictamen audiat, & in quantum cor arguat, observet. ergo vt securus ad rationes veniat, conscientiam inviolatam servabit.

Ratio tertia, quia S. Paulus Apostolus vas electionis

10. Iustitia justi non est secura, quid erit de mala conscientia?

cum sibi nihil conscius esset, dixit. se in hoc non justificatum. quia Dominus (inquit) est, qui judicat me. Vnde benè inferet princeps Christianus. si justitia justi non est secura; si judicia Dei nobis abscondita, in se tamen justificata, hominis conscientiam bonam in examen vocant, ergo indubitatum est, principem in mala conscientia coram Deo non posse subsistere, & in bona vias suas, & subditorum dirigere debere.

Ratio quarta, quia princeps nisi puram conscientiam semper alat, privabit se omni fructu, & solatio,

11. Rex sine conscientia fit impius.

quod bonæ conscientiæ inesse descripsimus. incidet autem in horrenda mala, quæ mala conscientia suis man-

cipijs infligit. atque hujus veritatis ego alium teſtem (ô
princeps) non requiro, niſi tuam propriam conſcien-
tiam.

Si quærat Princeps, quomodo inter tam varias oc- Objectio Politica 1.
cupationes, & occaſiones ad puritatem conſcientiæ per-
venire poſſit? Reſpondeo breviter. habet Princeps Ec- Solutio objectionis 1.
cleſiam, ejuſque Doctores ſanctiſſimos, habet, ſi vult, 12. Conſcientia
Confeſſarios doctiſſimos, illos audiat, illos conſulat, illis Reges conſervat.
vulnera detegat, nihil cor arguens celet, illorum ſequa-
tur judicium, & pacem, quam quærit, conſcientiæ inve-
niet. dabit frequens examen puritatem. De occupa-
tionibus adminiſtrationis regni nihil obtinet princeps 13. Davidis pietas.
pro excuſatione ſua; quia David rex occupatiſſimus in-
ter mille perſecutiones Saulis, & proprij filij non deſti-
tit, ſepties in die orare Dominum, quod & plurimi reges 14. Conſcientia
ex fide hiſtorica fecerunt, & etiamnum reges Chriſtiani pura alleviat regnandi moleſtias.
laudatiſſimè faciunt, neque propterea rempubl. negli-
gunt. imò ſi permittit princeps meus, liberè loquar.
quantò majores difficultates ſunt in regno, aut republ.
tantò arctius inhærendum Deo in pura conſcientia. quia 15. Gloria Dei
ſumma actionum eſt, quæ pro gloria Dei, & ſalute ani- ſuprema lex.
marum facit. non impedit terrena, quod promovet cœ-
leſtia. Idem de occaſionibus ſentio; ſi ſpeculum con- 16. Conſcientia
ſcientiæ ſæpius accedas, vitabis facilè: ſi negligas, labe- eſt ſpeculum.
ris incautus, & peribis.

Si dicas ex doctrina Politicorum, non eſſe atten- Objectio 2.
dendam conſcientiam, vbi de ratione ſtatus agitur. quia 17. Politicorum
hoc toto orbe jam receptum eſt, nec aliter ſalva poteſt conſcientia.
eſſe reſpublica.

Reſpondeo. Me quidem non admodum mirari, Solutio objectionis 2.
quod iſti Doctores vitiorum principis conſcientiam à 18. Athei non habent Deum,
republ. rejiciant, cum Deum ipſum non admittant. De- ergo neque conſcientiã.

inde, non ſufficit paucos atheos tam impia docere, cum Ethnici ſapientes, omnes boni, virtutum ſectatores, univerſa Eccleſia, & Chriſtianorum generalis doctrina contrarium clamet. Neque valet ratio, quod praxis illa ſit communis, quia negamus ſimpliciter, illam eſſe communem, niſi atheis: aſſerimus autem eſſe damnatam Chriſtianis, quia ſine graviſſimo peccato, & pœna non exercetur, cujus rei exempla, ſi hiſtorias inquiras, non pauca deprehendes. Multò minus verum eſt, quod ſub pura conſcientia principis reſpubl. ſalva eſſe non poſſit. quia hoc repugnat æternæ veritati, Deo, qui puritatem requirit, facinoroſos repellit. Repugnat etiam rectæ rationi, quia pura conſcientia principis auget virtutes, quibus propriè ſalvatur reſpubl. ergo falſa eſt atheorum doctrina.

19. Politicorum impia doctrina de regum conſcientia.

Objectio 3.

20. Conſcientia politicis nociva.

Objiciunt hoc loco Politici exempla regum Galliæ, & Venetorum, qui ſi conſcientiæ Chriſtianæ ſtrictas regulas ſecuti fuiſſent, jam dudum in jugum Hiſpanorum incidiſſent. quia verò per rationem ſtatus Hollandis, licet hęreticis, & injuſtis, auxilia & conſilia ſubminiſtrant, bellum in exteris prudenter alunt, vires Hiſpanorum variè diſtrahunt, Turcas provocant, ideò ſua regna, & provincias ſalvas conſervant.

21. Idoli prudentia contra conſcientiã.

Solutio objectionis 3.

Ad hæc deploranda exempla, quæ Idolum noſtrum in ſui majorem cultum glorioſè nimis adducit, reſpondemus negativè. Non enim eſt bona conſequentia. Galli, & Veneti in hoc caſu deſerunt Chriſtianam conſcientiam, ergo regna ſua, & provincias conſervant.

22. Peccata non merentur præmia.

Quia ſi hæc ſequela eſſet vera, peccata invenirent præmia. quod divinæ juſtitiæ repugnat. Nam facere contra conſcientiam, juvando hæreticos contra Eccleſiam Dei; eſt grave peccatum, ex quo ſi obtinetur ſalus regni,

regni, ſanè peccatum magnum accipit præmium. Sic 23. Iniquitas ſibi mentitur.
gratulatur ſibi mentiens iniquitas. Si quod res eſt, clarius intueamur, verius dici poſſe videtur. Galli, & Veneti Hollandis auxilia ferunt contra leges Dei, & conſcientiæ. ergo ſua regna, & provincias multis periculis exponunt. quod illi non negabunt, ſi damna regni, civilia bella ab ipſis hæreticis provocata, tumultus, cædes bonorum, everſionem vrbium, & deſolationes poſt diſſimulatam hæreſin conſiderent. hi facilè cõcedent, quan- 24. Conſcientia mala nunquã ſecura.
do conſpirationes internas, orientis opes ſubtractas, theſauros ſolo metu belli conſumi, ſine paſſione advertunt. Prætereo lubens Deum ſibi reſervare majorem pœnam, quando nimirum, peccata erunt completa, & longanimitas ad reſipiſcentiam neglecta fuerit.

Caveat ergo princeps Chriſtianus laqueos Idoli, ne 25. Cautio principibus ſervanda contra Idolum.
dum per rationem ſtatus ex humanæ prudentiæ damnata praxi regna conſervare nititur, ex juſta Dei providentia eiſdem privetur. non eſt peccatum ſecurum à pœna. Si princeps inter proſpera verè jucundari, & in adverſis conſolari deſiderat, curet puram conſcientiam, ſtet in conſpectu Dei. & decident à facie inimici.

Vnum monere Principes, & Confeſſarios hoc loco 26. Ratio falſa ſtatus non habetur pro peccato.
neceſſarium duxi. quod, videlicet, plerique Principes Chriſtiani ea, quæ Ratione ſtatus fiunt, non habeant pro peccatis, & ideò non confiteantur: cum tamen illa, ſi ex Idoli doctrina procedant, maxima ſint, & continua peccata, quæ ſine decreta omiſſione dimitti non poſſunt. attendant itaque Principes, & eorum Confeſſarij, quid in re tam gravi agant, quid conſulant, ego vtroſq; ad judicium Eccleſiæ remitto.

PVNCTVM VI.

Quod in republ. Christiana vna tantum debeat esse religio.

1\. Religio quare debeat esse vna? COlunt veri Christiani vnum Deum omnipoten-
tem, vt puncto tertio dictum est. ergo & vnam re-
ligionem vel fidem habere tenentur. Antecedens est
de fide, & non admittit dubium. consequentia proba-
2\. Deus est vnus, ergo & religio. tur. quia sicut simplicissima est diuina vnitas,& indiuisi-
bilis: ita vnum certum cultum, & religionem requirit:
3\. Vnus Deus vna religione colendus. & si diuersas religiones Deus concederet, etiam in se di-
uersitatis opinionem excitaret. sequeretur insuper di-
uersarum religionum aliam esse veram, aliam falsam, &
Deum tam falsa, quàm vera religione colendum esse.
quod est contrarium doctrinæ Christianæ. ergo vna re-
ligio,eaque vera concedenda. Atque hoc ipsum Deus
D. N. clarissimè docuit, cum in lege veteri ritus, & mo-
dos cultus diuini præscriberet, strictissimè statuens, ne
quis vel vnum apicem in ijs immutaret. Eodem modo
in lege gratiæ ita Euangelium suum, & regulas fidei in
vnam certam formam redegit,vt angelum de cœlo aliud
docentem nolit audiri, & declinantes æternis pœnis de-
uoueat.

4\. Ecclesia Dei est vna. Secundò, Certum est Christianis, Ecclesiam esse
vnam,ergo & vna fides. quia sicut Deus Spiritus S. vnus
est, per omnia æqualis Deo patri, & Filio, & rector Ec-
clesiæ, illam in vnitate veritatis fundatam conseruans;
ita fidelium mentibus vnum, & idem lumen salutis in-
5\. Fides vna salutaris. fundit. quod est fides, seu Christiana religio, sine qua
impossibile est placere Deo.

Tertiò, Docet Christus D. N. vnam tantum esse viam 6.
ad salutem æternam. idem affirmat omnis sacra scriptu- Salutis vna via.
ra, & SS. Ecclesiæ Doctores. ergo & vna fides instar boni
Ducis debet Christianum per viam hanc ad portum sa- 7.
lutis deducere. atque hæc omnia sunt præcepti divini, Via salutis est vna apud Christianos.
quo obligatur omnis Christianus vnum Deum, vnam
Ecclesiam credere, vnam viam salutis agnoscere, & vnam
fidem Catholicam profiteri. Ergo in vniversa republ.
Christiana vna tantum, & eadem religio admitti debet.

Solent hic multi scriptores difficulter sese explica- 8.
re, quænam sit illa vna Religio in republ. Christiana am- Deus non homines timendi.
plectenda; ne dum vnam præferunt, alterius sectatores
offendant. Sed vanus est, & non sine errore humanus
ille timor, quem Christus D. N. disertis verbis eximit,
cum dicit: Qui me confessus fuerit coram hominibus,
confitebor & ego eum coram patre meo. Ne ergo cum
adulatoribus plus respectui humano, quàm Creatori
nostro Deo deferamus, dicimus intrepidè cum Ecclesia 9.
Dei. solam religionem, vel fidem Catholicam, Aposto- Religio Catholica sola digna Principe.
licam, Romanam esse illam, quam Princeps Christianus
acceptare, in republ. conservare, & extremis viribus de-
fendere debeat.

Contra hoc decretum grunniunt suo more Politici 10.
athei, qui Religionem idolo suo, hoc est, Rationi status Politicorum opinio sua impietate confunditur.
servire volunt, ita vt indifferenter liberum sit, illam re-
ligionem fingere, quæ saluti reipubl. magis expediat.
Sed quia hi sine fundamento impij sunt, responsa non 11.
merentur, fortunæ cœlo destinati. Idolum vult religionem servire reipu.

Moderatiores Politici objiciunt, quemlibet sive Ca- Objectio mollium 2.
tholicum, sive Lutheranum, sive Calvinistam in sua Re- 12.
ligione salvari posse, ergo nec vnam, nec Catholicam Religio quæcunq; salvat.
Religionem necessariam esse.

Solutio objectionis 2.

His pro me respondet R. P. Becanus in suo compendio manualis, quem vt principes, & subditi legant, rogo. Ego antecedens illud distinguendum puto. nisi enim Catholicus cum fide sua conjungat bona opera, servet mandata, & ne quidem in minimo offendat, non salvabitur. Lutheranum, & Calvinistam, qui in sola fide salvari volunt, ad illum judicem, qui dicit, si vis ad vitam ingredi, serva mandata, brevitatis causa rejicio.

13. Fides sine operibus mortua est.

Objectio hæreticorum 3.

14. Hæreticorum felicitas ex diversa religione.

Fortius impugnant hanc propositionem hæretici, qui negant vnam religionem, eamque Catholicam in republ. esse necessariam, affirmantes per suam religionem, & cum permissione aliarum religionum regna, & respubl. plurimas feliciter administrari, conservari, augeri. pro exemplis proferunt Anglos, Hollandos, &c. qui plures sectas in suis provincijs permittunt, Catholicam religionem abominantur, & tamen ad invidiam feliciter regnant, & prosperantur.

15. Hæretici vnã religionem permittunt.

Respondemus hæreticis ex proprijs eorum legibus, quibus in Anglia, Hollandia, & vbicunque hæresis principatum tenet. in effectu tantum vna religio publicè docetur, aliæ dissimulando permittuntur, sola Catholica sub pœna capitis prohibetur. Vnde liquet, quod de vnitate religionis idem nobiscum sentiant. Ad id, quod de sua religione, & profectu gloriantur. dicimus, hæreticos eodem fundamento vanitatis humanæ inniti, quo omnes Gentiles, Græci, Romani, Turcæ, Indi suam felicitatem sub cultu Deorum prædicant. Sicut enim illi per humanam prudentiam terrena sola sectantur, & cum gloria inani à terra absorbentur; ita hæretici extra Ecclesiam Dei suis erroribus pascuntur, in tempore proficiunt, & vera felicitate æternà, quæ Christianorum finis est, Dei justo judicio privantur. non ergo benè glorian-

16. Hæretici sibi sunt contrarij.

17. Ante finem nemo beatus.

tantur de sua prosperitate, qui sequentes sensum proprium, abundantes in seculo, æternæ felicitatis summi boni, jacturam faciunt. si vrgeant hæretici suam religionem esse salutarem. negat Ecclesia, quæ non errat. ipsi vero hoc non prius probabunt, quàm duo contraria (vt sunt Catholicæ Ecclesię doctrina, & hęreticorum) ostenderint simul esse vera.

18. Religio hæreticorum non est salutifera.

De Germanorum varia religione sub vno imperio nihil singulare dicam. quia communi censura comprehenduntur. Diuturnitatem vix sibi pollicentur; pallescunt metu; bellis exhauriuntur; an manus Dei euadent, trepidi conscientia hærent dubij. Vtinam ad veram vnitatem redeant, vnum Deum in vna Ecclesia, in vna religione colant, & in regia via vna, infallibili, salutem æternam quærant, & inveniant. hoc imprecor.

19. Convertantur qui quærunt Ecclesiæ mala.

PVNCTVM VII.

Quare in vno regno, aut republ. non sint admittendæ plures Religiones?

IN superiori puncto diximus vnam tantum religionem in republ. concedi debere, nunc rationem damus, quare plures religiones in vna repub. ferendæ non sint.

Ratio prima, quia religio est fundamentum reipub. quod necessariò est vnum. ne pluralitas fulcrum incertum reddat, & ruinam provocet. si ergo plures religiones in republ. concederentur, carerent fundamento, hoc est, subsistentia, & per consequens inutiles essent.

1. Fundamentum reipubl. est vnum, ergo & religio.

Ratio secunda, quia naturaliter à contrarijs omnia corrumpuntur. ergo & respubl. contrarijs impugnata, peribit.

2. Religionis diversitas subvertit rempubl.

peribit. sed diversæ religiones sunt sibi contrariæ. ergo respublica, quæ illas simul admittet, non subsistet. Antecedens clarum est. quia vna alteram damnat, proscribit, exterminat. consequens est naturalis necessitatis, cui frustra callidus Politicus, zizania sperans, oblatrat.

3. Religio est vinculum reipub.

Ratio tertia, quia religio est vinculum solidissimum, quo respubl. in suo esse conservatur, quod si dissolvatur, si in diversas partes distrahatur, minus stringet, & ruinæ portas aperiet. Hoc assumptum tam est verum, vt etiam Doctor vitiorum Macchiavellus fateatur, nullum esse fortius medium ad conservandam, & evertendam rempubl. ipsa Religione. Curanda ergo est ejus vnitas, vt conservetur: profliganda pluritas religionis, ne subvertatur respubl. Quare autem religio dicatur vinculum

4. Amor conservat remp.

conservans rempubl. hæc ratio est, quia nihil ita efficaciter vnit animos principis & populi, amoremque mutuum conciliat, sicut religionis pietas in Deum. & cum in amore, & concordia religiosè dicata Deo stet salus reipubl. benè vinculum conservans dicitur religio, quæ vnionem, & amorem germinat.

5. Ex diversitate religionum procedunt omnia mala, & quare?

Ratio quarta, quia diversitas religionis producit pleraque mala, quibus respubl. everti possunt & solent. ergo non est admittenda. Antecedens probatur. Diversitas religionis provocat diffidentiam, disjungit animos hominum, incendit odia, excitat seditiones, instruit factiones, molitur novitates, aspernatur imperium, obedientiam fugit, bellum quærit, exteris adhæret, principem detestatur, Deum ad vindictam accendit. quæ omnia, & singula certissima media sunt ad quamcunque

6. Religionis diversitas quos fructus edat.

rempubl. dissolvendam. Videamus ergo, quomodo ex hoc fonte diversitatis religionis tanta mala in republ. prodeunt. Diffidentiam parit diversitas religionis, quia

natu-

naturaliter diffidimus eis, qui nobiſcum non ſentiunt, & multò vehementius ijs,qui in religione alium à nobis finem habent. Disjungit animos, quia in vno vero Deo non amplius conveniunt, qui diverſa petunt. Incendit odia, quia nutrit invidiam charitatis peſtem. Excitat ſeditiones. quia quælibet religio dum favet ſuis, conventicula ſuadet, pertinaciam,& ſeparationes,vnde maximæ ſeditiones oriuntur. Factiones inſtruit,quia ſanctum habetur pro religione ſtare, quæ ſi diverſa ſit, diverſas factiones concinnabit. Molitur novitates, quia novam libertatem aucupatur. Aſpernatur imperium, quia ſciunt, qui diverſam à principe, aut à reipubl. profeſſione religionem ſequuntur, non poſſe diu ſubſiſtere ſuam intentionem ſub contrario imperio. ideò ab illo pro viribus deflectunt, & mutationibus ſtudent. Obedientiam fugit, quia quælibet religio ſibi ſuperiores eligit,& ſibi adverſis parere, ſacrilegium exiſtimat. Bellum quærit, quia in illo victoriam, & protectionem ſperat quælibet religio. Exteris adhæret, quia in diverſitate domeſtica parum auxilij videt,cæteros in ſubſidium vocat. Principem deteſtatur, quia diverſa non poteſt approbare bonus Princeps, præſertim in divino cultu, cujus directionem Deus Eccleſiæ ſuæ commiſit. Diximus vltimo loco, quod diverſitas religionis iram Dei accendat, & hujus ratio eſt, quia Deus D.N. vt vnus eſt, ita vnam Eccleſiam, vnam religionem inſtituit, quam vita in humanis aſſumpta ſanctiſſimè confirmavit, ſanguine ab interitu redemit,& vineam bonam ſine defectu plantavit. cui ſi per humanam ſapientiam adverſum quid in rempub. afferatur, meritò contradicit,& tandem gladium vindictę exerens,impiorum conſilia diſſipat.quod ſolum ſufficere deberet ad repellendum à republ. Chri-

7. Proprietates hæreſeos.

8. Vinea Chriſti eſt vna.

ſtiana, quidquid præter excultæ vineæ Chriſti doctrinam Novatores hæretici, & athei pro diverſis ſectis inducere conantur.

9. Gentiles non admittunt deos alienos.

10. Gentilium pietas eſt Chriſtianorum confuſio.

Poſſent hic adferri multæ rationes Gentilium, qui ſumma vigilantia prohibuerunt, ne quis in republ. deos inſolitos, non approbatos coleret. quod ideò ſapienter ſtatuerunt, ne diverſus Deorum cultus periculoſos in republ. motus concitaret. ſed quia Gentilium religionis obſervantia Chriſtianos magis confundit, quàm docet, referemus breviter, quid Deus D. N. in vtraque lege hac de re mandarit, & per exempla nobis demonſtrare voluerit.

11. Præcepta Dei de religione in Veteri lege.

Primum præceptum eſt. non habebis deos alienos. ſoli deo ſervies, illum adorabis. cum Gentilibus non communicabis. ſi ſervaveris hanc legem meam, eris mihi in populum, & ego tibi in Deum. ſi filij regis manſerint in vijs Domini, ſedebunt in Iſrael in æternum. ſi autem declinaverint in mores Gentium, auferam ſceptrum de manibus eorum. nihil clarius. & ſic loquitur vniverſa ſcriptura ſacra Veteris Teſtamenti. In novo Teſtamento clamat Chriſtus D. N. qui non eſt pro me, contra me eſt. qui non colligit mecum, diſpergit. Qui non audit Eccleſiam, ſit tibi ſicut Ethnicus. nemo poteſt duobus Dominis ſervire, & cum vtroq; pacem habere. non ſubſiſtunt tenebræ cum luce. Qui tanget picem, inquinabitur ab ea. Per Apoſtolos docet, hæreticos devitare, impios fugere. Per Concilia ſtatuit, ne agamus, ne comedamus, ne communicemus cum hæreticis. Per leges civiles arcet hæreticos à communione Eccleſiæ, declarat inhabiles ad hæreditates, teſtamenta, & officia publica. ergo ſi veri Chriſtiani ſumus, vt benedictione Domini fruamur, & pœnas comminatas effugiamus, concludemus

12. Præcepta Chriſti in lege gratiæ.

13. Lex civilis excludit hæreticos.

mus cum Christo, in Christiana republ. non esse admittendas plures religiones. quia non est conjunctio Christi cum Belial. quia sponsa pura nescit adulterum. 13.

Exempla Ethnicorum, si quem movent, legat historias, & videbit, quot reges, quot regna, quot respubl. per novos Deos, vt loquuntur, & novos cultus deorum subversæ sint, & quo modo multæ per vigorem vnius religionis ad summam potentiam pervenerint.

In sacra historia habemus hujus veritatis exempla plurima. quale est illud celebre de Jeroboam rege Israelis, quod suprà memoravimus, qui regnum amisit, quia novum cultum diversum à lege Dei introduxit. Sic rex Judæ Asa, quamdiu purè mansit in terminis legis, & veræ religionis, felicissimè pugnavit contra Zarum regem Ethiopiæ. quando verò communicavit cum rege Syriæ Gentili, eique obtulit thesauros templi, subitò Deus per Prophetam reprehendit regem Asam, privavit illum victoria, & multis calamitatibus, bellisque in pœnam afflixit. Sic Deus multa millia populi sui delevit, quando diversa religione vitulum adoravit. Et tunc regnum Judæorum in Romanos transtulit, quando illi relicta vera lege Dei in mores Gentium abierunt, & sacrificijs falsis sacra templi contaminarunt.

14. Historia præbet exempla.

15. Iudæi à Romanis subjunguntur ob mutatam religionem.

In lege Christi D. N. similiter nobis patefaciunt historiæ, quot Bella, quot seditiones, quot conversiones regnorum ex diversitate subortarum hæresium natæ sint. Superiori seculo (vt antiqua relinquam) ob novitatem religionis, rustici in Germania gravissima bella suscitarunt, quæ non nisi ipsorum sanguine sopiri potuerunt. Hoc nostro seculo principes pro religione sua (sic loquuntur) arma sumpserunt. hoc testatur incautus Palatinus, qui dum Bohemos in errore religionis defenden-

16. Religionis diversitas parit bella.

17. Rustici bella susceperunt.

18. Principes pro sua religione pugnant.

fendendos ſuſcipit, pœnas mutatæ religionis avitæ incurrit, regno alieno turpiter ejicitur, & hæreditate privatur. Hunc religionis titulum præfert rex Daniæ,& miratur Germanos Principes non ſerius pro ſua religione pugnare; quem fructum hactenus obtinuerit, abundè ſentit; quid de manu juſta Domini ſperare poſſit,eventus docebit. In Gallia cum Anglo Calviniſta rex Chriſtianiſſimus ſuperiori anno fœdus inierat contra quoſcunque Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ reges & principes, & per conſequens in ruinam Eccleſiæ. attende. Ne perverſum hoc Politicorum conſilium inultum maneret. immiſit Deus ſpiritum vertiginis in confœderatos, ita vt Duce Subiſio pro tuenda Religione Rex Angliæ potentem exercitum in Galliam duxerit, & affinem ſtricto ſibi fœdere junctum hoſtiliter invaſerit. ſic vterq; Rex Dei vindictam guſtavit. Gallus, quia cum hæretico conſpiraverat. Anglus, quia oſculum pacis ſimulans, fracto ſacramento fœderis ſocium opprimere ſtuduit. Tales fructus producit diverſitas religionis. ſi antiqua exempla fidem non faciunt, quæ, heu dolor, oculis obverſantur, negari non poſſunt.

19. Religio præbet ſpeciem recti.
20. Daniæ Rex.
21. Gallus,& Anglus quare diſcordes.
22. Idoli conſilia arcana.

Ad objectiones, quæ contra hanc propoſitionem fieri poſſent,in præcedenti Puncto reſponſum eſt. Quod de zizanijs, tribulis, & ſpinis in republ. ferendis dicitur, Eccleſia Dei pro me ſententiam tulit. hæc propriè de permiſſione Dei, qua omnia peccata permittit, intelligenda eſſe, de quibus ſibi ſoli judicium reſervat. Chriſtus vineam bonam plantavit, ſemen purum, religionem ſanctam, vnam, in agro Eccleſiæ & cordis humani ſeminavit: inimicus autem homo dormiente rege, zizania injecit, quæ dum Chriſtus amore tritici prohibet evellere, non ſui cauſa vult conſervare, ſed tantum ad meſſem

Solutio objectionum.
23. Zizania quomodo intelligenda.
24. Religio vinea Chriſti.

messem expectare, vt tunc sine damno boni fructus, ignibus concrementur. ita prorsus agendum cum hæreticis. & hæc cura boni principis primaria, vt quantum humanitus fieri potest, advigilet, ne inimicus hæresin disseminet in agrum regni sibi commissi. si autem contingat, principem Idoli nostri dulci veneno deceptum dormire, & clam novas sectas crescere, & ad periculum invalescere, sequetur æternam sapientiam Christum D. N. expectabit tempus, & occasionem, quo sine evidenti damno fidelium, semina hæreticorum extinguat. quod si non faciat, manus Domini non evadet.

25. Ratio agendi in repub. cum hæreticis.

26. Principis est vigilare.

Pvnctvm VIII.

An Religio sit necessaria in republica?

NOn videtur necessaria religio in republ. quia Politici docent cum Macchiavello, Rationem status omnia dirigere, religionem servire tantum, & quamcunque fingi posse, vt respubl. conservetur. ergo quod servit, quod fingitur, non est absolutè necessarium.

Argum. 1.
1. Religio non est necessaria in republ.

Secundò ex Gentilium regnis, & rebuspubl. constat, illas sine religione Christiana feciliter administrari. ergo ad minus Christiana religio non est necessaria ad rempublicam.

Argum. 2.

Tertiò, Religio solum Deum respicit, & spiritualibus intendit. Respubl. autem purè mundana est, & humanæ societatis conservationem sibi objectam habet. ergo hæc ab illa planè distincta est, & illius necessitatem non habet.

Argum. 3.
2. Republ. mundi excludit Deum.

His non obstantibus, Dicimus primò. In quacunq; republ. sive Gentilium illa sit, sive Christianorum, religionem

Conclusio 1.
3. Religio necessaria in repub. quare?

gionem esse necessariam. Ratio est, quia Deus auctor
naturæ, & creator omnium est necessarius, ne dissipetur
humana societas. ergo etiam necessaria est Dei religio,
seu cultus. Antecedentis veritatem cognoverunt sapi-
4. Gentiles credunt omnia dependere à Deo inesse, & conservari. entes Gentilium ex interitu successivo rerum omnium,
etiam hominum, & regnorum; ex consistentia perpetua
corporum cœlestium, quam cum finito suo judicio non
caperent, Dijs immortalibus attribuerunt. Vnde benè
judicarunt, res omnes sublunares in esse, & conservari
à Dijs dependere, quæ summa est necessitas. Conse-
quentia est aperta. quia sicut Gentiles Deos agnoverunt
sibi necessarios, ita etiam eorum cultum, & honorem
necessarium existimarunt, ne ingrati iratos Deos ad vin-
dictam irritarent, & perirent.

Ratio secunda, quia homo à natura sic comparatus
5. Natura ducit in cognitionem Dei. est, vt propter animam spiritualem internos motus ad
Deum, ejusque cultum sentiat. ergo ne naturam exuat,
& societas humana, hoc est respubl. pereat, necessariò
pia religione authorem nobilissimæ naturæ suæ & rei-
publicæ veneratur.

6. Omnes homines Deos colunt. Ratio tertia, quia nulla vnquam fuit, aut nunc in-
venitur gens tam barbara, quæ non suo modo deos co-
luerit, vel colat. ergo quod omnes homines faciunt, in
humanis necessarium esse, vt fiat, non malè dicitur. At-
7. Athei non habent Deum, & tamen religionem fingunt. que hinc opinor atheos (qui Deum negant) ne ab vni-
versa humanitate confundantur, nobiscum in eo sen-
tire, quod religionem in republ. necessariam esse fatean-
tur, cum tamen ipsi Deum non habeant, & per conse-
quens nullam religionem. non entis enim nullæ sunt
qualitates.

8. Religio ex cõmuni opinione est necessaria in republ. Ratio quarta, quia experientia docet, nullum me-
dium ad conservandam rempublic. efficacius esse reli-
gione.

gione. hoc Gentiles, hoc Christiani, hoc boni, & mali, hoc fideles,& infideles, hoc totus mundus affirmat. ergo religio est necessaria, sine qua respubl. consistere nequit.

Ratio quinta, quia religio est fundamentum,& vinculum reipubl. quo nihil magis necessarium dici potest. ergo & ipsa summè necessaria est. quia communi omnium sapientum sententià menti humanæ à Deo indita reges in officio continet; subditorum obedientiam, & amorem conciliat. in quibus salus reipubl. consistit.

9. Religio est fundamentum reipubl. ergo necessaria.

Et hæ quidem rationes omnibus communes sunt. quia tamen Christiano Principi non sufficiunt, in specie videndum, an Christiana, & quidem Catholica religio in republ. sit necessaria.

Dicimus ergo secundò, solam Catholicam religionem Christianis esse necessariam in republ. quia sola ducit ad vltimum finem, æternam felicitatem. prout in præcedentibus punctis satis declaravimus. & nunc iterum ad Judicem, Ecclesiam Dei, provocamus.

Conclusio 2. 10. Religio Christiana ducit ad vltimum finem.

Ad primum argumentum Politicorum respondemus, distinguendo, Rationem status in veram,& falsam. In falsa concedimus religionem famulari, & fingi, ex mente Macchiavelli. In vera hoc fieri negamus. quia vera ratio status, vt dictum est, habet religionem Christianam Catholicam pro fundamento, sine quo respubl. nec gubernari nec conservari possit. ergo ejus necessitatem agnoscit.

Solutio arg. 1. 11. In falsa ratione status, est falsa religio.

Ad secundum Gentilium argumentum respondemus, negando ipsorum regna feliciter administrari. quia reges,& subditi Gentilium mancipia sunt Diaboli, quem sub manufactis figuris stultè nimis adorant; Reges vt plurimum à militibus, aut seditiosis interimuntur; paucis naturaliter mori conceditur: subditi durissimà servi-

Solutio arg 2. 12. Gentiles quare non sint felices.

13. Gentilium cœcitas.
tute premuntur, à regibus facultatibus exſuguntur, ab exteris ſpoliantur, & dum bellis continuis exhauriuntur, vix vnquam pacis otia, & dulces fructus experiuntur; tandem poſt miſerias humanas ad deos ſuos æternum cruciandi tranſeunt. cui hæc felicitas placet, ſecurus eſt ab invidia. Non ergo ex tam infelici antecedente ſequitur, Chriſtianam religionem Gentilibus eſſe neceſſariam, vt ſuo more æternùm pereant; ſed benè, & ſimpliciter neceſſariam, ſi veram felicitatem conſequi velint.

Solutio arg. 3. 14. Idoli impietas.
Ad tertium argumentum, dicimus hoc magnam impietatem involuere. ita enim rempubl. à religione, & Deo ſeparat, quaſi nullam dependentiam à Deo agnoſcat, omnem providentiam divinam neget, & humanam ſocietatem per ſe ſine Deo ſubſiſtere poſſe ſupponat. quod cum communi judicio ſit contrarium, ſua turpitudine meritò cadit.

15. Ratio ſtatus non liberat à judicio Dei.
Sentient aliquando Chriſtiani, qui Deum, & religionem à republ. exulare, & famulari volunt, quàm infelici fato, & iniquæ fortunæ ſe commiſerint; quàm parum ſubſidij in Ratione ſtatus invenient, cum liber ſcriptus proferetur, in quo totum continetur, vnde mundus judicetur. Facilius Numa, Plato, Cicero, & omnes Gentilium ſapientes, qui Dijs ſuis magno zelo ſacrificarunt, & cultum divinum in republica cum primis neceſſarium eſſe docuerunt, veniam impetrarent apud Deum, quam Chriſtiani Nominales, qui religione, vt famula, vt larva ad fallendum populum abutuntur, & Rationem ſtatus Deo, & divinæ providentiæ inſano auſu præferunt.

16. Politicorum horrenda impietas.
Si quis à quocunque rege, principe, vel magiſtratu nunc regnante liberè quæreret, qua re machinam reipu.

maximè

maximè ſuſtentaret, populumq; in officio conſervaret?
Reſponderet vtique, ſe hoc Dei beneficio, & religioni tribuere, quæ vinculum ſit pacis, & amoris. 17. Dei gratia regnant principes.

Si populo proponatur quæſtio, quare regi, vel magiſtratui pacificè obſequatur? reſpondebit vltrò. quia regem noſtrum Deo devotum, religioſum, & charum videmus, obſervamus eum, quem Deus præeſſe voluit, qui nos in vna religione, & pace tuetur, & conſervat. Tale judicium profert libera mens Chriſtiana, ex quo neceſſitas religionis in republ. ſatis colligitur. 18. Populus reges obſervat propter Dei providentiã.

PVNCTVM IX.

An libertas conſcientiæ ſeu religionis ſit concedenda in republica?

NIhil ita vrgent hæretici mixti Catholicis, ſicut libertatem conſcientiæ, & religionis. Statuuntque generale pronunciatum, conſcientiam debere eſſe liberam, & non admittere violentiam. 1. Hæreticis conſcientia eſt libera.

Rationes adducunt, prima, quia quilibet homo tenetur reddere rationem de anima ſua ſine interventu, vel auxilio tertij. ergo cura animę, ſeu conſcientia illi debet eſſe libera, ne ab alio, vel aſtu, vel metu, aut violentia in diſcrimen æternum rapiatur. ſi autem libera. ergo, & concedenda. quia quæ liberè fiunt, non prohibentur. Argum. 1. 2. Conſcientia quæ libera.

Ratio ſecunda, quia libertas conſcientiæ eſt homini innata. ergo contrarijs legibus in republ. coarctari non debet. Argum. 2. 3. Libertas conſcientiæ eſt congenita homini.

Ratio tertia, Deus ipſe non cogit conſcientiam hominis, cum omnibus, & ſingulis in vniverſo orbe Paganis, Turcis, Chriſtianis libertatem conſcientiæ ipſo facto Argum. 3. 4. Deus permittit libertatẽ conſcientiæ.

permittit. ergo multò magis respubl. vel Princeps libertatem religionis dare tenetur.

Argum. 4. 5. Conscientiæ non imperant reges.

Ratio quarta, quia magistratus non habet potestatem in animas subditorum. ergo religionem, & conscientiam, quæ animam judicant, liberam concedere debet.

Argum. 5.

Ratio quinta, quia hæretici dicunt, se æquè Christianos esse, atque Catholicos, eandem fidem profiteri, & in spe salutis æternæ convenire. ergo ipsis libertatem conscientiæ, & suæ religionis in regnis & rebuspubl. Catholicorum omninò concedendam esse.

6. Hæretici sunt Christiani.

Argum. 6. 7. Hæretici quare ferendi.

Ratio sexta, quia exclamant hæretici, speciem tyrannidis esse, fratres, populares, & concives ob res merè spirituales in exilium ejicere, à quibus si ferantur, multum vtilitatis in rempubl. redundare possit. vnde libertatem permittendam inferunt.

Speciosa sunt hæc. sed videamus, quid Deus D. N. quid Ecclesia Dei, quid leges, quid recta ratio, quid experientia hac de re judicet, & quid Idolum nostrum sub hac fucata libertate suo more arcanis consilijs moliatur.

8. Lex Dei non dat libertatē credendi.

Lex Dei D. N. immaculata, vna, immutabilis sub æternis pœnis prohibet, aliam doctrinam admittere præter eam, quæ in libro, & tabulis Moysis scripta sit. ergo Deus non concedit libertatem credendi, quod cuilibet suum dictat ingenium. de qua re qui dubitat, libros Deut. & alios legat.

9. Fides Christiana est vna, non vaga.

Christus D. N. vnam legem, vnam fidem, vnam Ecclesiam, vnam viam salutis sacro sancto ore docuit, & præscripsit. ergo non voluit in incertum vagari nostram libertatem. Qui animam suam pro nostra salute posuit, prohibet communionem cum hæreticis. ergo princeps non debet libertatem dare, quàm Deus denegavit.

10. Christus D.N. prohibet cōmunionē cum hæreticis.

Eccle-

Ecclesia Dei idem cum capite suo fert judicium.

Leget tam civiles, quàm Ecclesiasticæ damnant omnes hæreses, vt legenti patet. ergo non concedunt libertatem conscientiæ, quam prætendunt nostri seculi hæretici.

11. Leges Civiles prohibent hæresin.

Quid recta ratio in hoc casu decernat, clarius ex judicio Gentilium, qui lumen fidei non habuerunt, evincitur. Illi autem sine exceptione omnes, subditis istam libertatem religionis ademerunt, ergo Princeps Christianus vagam libertatem non potest concedere, quam Ethnicus detestatur.

12. Recta ratio in Gentilibus non admittit libertatem cultus Dei.

Experientia denique vi rectæ rationis demonstrat, libertatem conscientiæ permittere in republ. nihil aliud esse, quàm ad omnia scelera, flagitia & peccata impunem licentiam dare. Tum etiam, quod nusquam secura, vel diuturna pax sit, vbi libertas religionis conceditur, & quod vera libertas reipublicæ periculo proxima est, quando vaga illa religionis electio inducitur. hoc exemplis infinitis certum facit historia. lege.

13. Experientia probat libertatem religionis esse damnosam reipubl.

Et quid tandem Idolum nostrum, Ratio status, intendit, cum vbique callidis consilijs, & armis libertatem conscientiæ obtinere conatur? Hoc agit cum dormit Princeps Christianus; emittit selectos in regna, in civitates Catholicorum, qui gratam humanæ fragilitati libertatem dulciter instillent, paulatim progrediantur, sedes inveniant, officia venentur, & auctoritatem mereantur. Si Princeps evigilet, nova consilia suggerit, vtilitatem obtendit, libertatem conscientiæ pretio, & precibus redimit. si victus Princeps iterum dissimulet, Idolum vires acquirit, principem tentat, auxilia meditatur, arma parat, vt si libertas conscientiæ negetur, & securitas periclitetur, per insidias violenter imparatos opprimat, &

14. Idolum status quare libertatem venditet.

15. Modus agendi hæreticorum.

ejecto principe, suos Dominos reipubl. constituat. sic actum in Anglia, vbi feliciter libertate conscientiæ, & Primatu Ecclesiæ regem in suas partes induxit, & integrum regnum occupavit. sic in Gallia, Germania, Belgio, & alijs provincijs parvis initijs crevit, libertatem quæsivit, donec aut imperium obtineret, aut regna gravissimis bellis opprimeret. Hoc callidè nimis agit Ratio status. sub specie religionis, ambit regnum; sub colore libertatis, servitutem machinatur, sub velamine amicabilis compositionis, tempus & occasiones armorum meditatur. Quod vt plenè credat Princeps, observet acta præterita, & mores hæreticorum. Ex actis cognoscet principia, progressus, fraudes illorum, & damna Catholicorum. Ex moribus, infidelitatem, & dolos malos. Quàm primùm enim in republica imperium obtinuerunt, Catholicis libertatem conscientiæ non solum denegant, sed illos ab officijs rejiciunt, & severis legibus constringunt. si libertatem conscientiæ sine fuco prętendunt, & justam, imo necessariam esse volunt, quare in Hollandia, in Gallia, in Anglia, in Germania, vbi rerum potiuntur, alijs, præsertim Catholicis, eandem libertatem non concedunt?

16. Anglia sub specie libertatis oppressa.

17. Hæretici cognoscuntur ex operibus.

18. Hæretici sibi contrarij libertatem non concedunt.

Ad hoc respondet Idolum, Ratio status. Catholicos arceri à republ. non vt tales, sed quia seditiosi sunt. subtiliter. sed si Princeps Catholicus hanc rationem in hæreticos convertat, & tanquam seditiosos amoveat, nunquid malè faciet, qui eodem jure vtetur? Vtique tyrannus dicetur, qui conscientiæ vim infert. si idem hæreticis objiciatur. respondent sibi in Gallia pacta cum rege, in Germania legem religionis libertatem conscientiæ tribuere. si quæras, an illa pacta, & lex non sint reciproca? an quod sibi permitti gloriantur, Catholicis denega-

19. Idoli status impia subtilitas.

20. Hæretici proprijs argumentis confunduntur.

negatum ſit? erubeſcunt, non evadunt; & aut doloſum
ſyncretiſmum machinantur, aut bellum inſtruunt. Hæc 21. Libertas iniqua.
eſt monſtroſa libertas, quam ratio ſtatus hæreticis de-
beri fingit, cui princeps facilè obices inveniet, ſi eiſdem
armis hoſtes vere ſeditioſos configat. Volui hæc nonni- 22. Idoli venenum.
hil deducere, vt pateat, quomodo Idolum noſtrum ſeſe
rebus ſacris immiſceat, religionem, & libertatem fingere
doceat, vt vtramque deleat. Non vltrà dormiat princeps
Chriſtianus, quia poſt tergum ſtat, qui juſtum judicabit.

Ad rationes propoſitas reſpondetur, ad primam. Solutio arg. 1.
Pronunciatum hoc (conſcientiam hominis eſſe libe-
ram) eſt falſum. quia etiamſi Deus homini liberum ar- 23. Deus homini dedit liberum arbitrium.
bitrium ad benè, & malè agendum dederit, tamen ne
naturali inclinatione dilaberetur, certas leges ad ſalu-
tem conſtituit, quas ſi liberè tranſgrediatur, juſtè judi-
cabitur, & ſic mala conſcientia, quam à violentia hære-
tici volunt immunem, juſtitiæ Dei rigorem experietur.
Quod autem afferunt hæretici, quemlibet in particulari 24. Hæretici tenentur Deo ad rationem, ergo à lege non ſunt liberi.
de anima ad rationem teneri, & ideò liberam debere eſſe
conſcientiam, vnde ratio petatur. falſam habet conſe-
quentiam, quia potius ſequitur. homo tenetur reddere
rationem actionum ſuarum. ergo non habet libertatem 25. Lex Dei generaliter omnes obligat.
credendi, ſeu faciendi, quod vult, ſed obligatur ad le-
gem, de cujus obſervantia ratio exigetur. Privantia ſunt,
teneri lege, & liberum eſſe. ſi dicant, ſe non obligari le-
gibus, Chriſtiani non ſunt, & Chriſtiana libertate pror-
ſus indigni.

Ad ſecundam rationem dicitur. ſi per libertatem Solutio arg. 2.
conſcientiæ intelligant liberum arbitrium hominis, 26. Arbitrium hominis eſt liberum.
concedimus, quod Calviniſtæ negant, hoc à Deo con-
ceſſum; non tamen exinde ſequitur prætenſa libertas
credendi, quæ legibus circumſcripta eſt.

Solutio arg. 3. Ad tertiam rationem, dico cum Ecclesia, falsum esse hoc impium antecedens in sensu communi hæreticorum explicatum, quod nimirum Deus non cogit conscientias hominum, vt sensus sit, homines possunt credere, quod volunt ad salutem. quia arguit Deum injustitiæ, qui de lege puniret, quod in genere permisisset. qui sibi contrarius libertatem daret, legibus tolleret. non vt homo judicat Deus. Cogit conscientias hominum per divinas, & humanas leges amore salutis. sed non aufert liberum arbitrium ad obediendum, aut resistendum. hoc sensualitatem sequentes vsurpant Pagani, Turcæ, & mali Christiani. sed non sine peccato, & gravi pœna. ergo illi libertatem non habent, qui supplicia inviti expectant.

27. Leges Dei arguunt hæreticos.

28. Conscientia quare non sit libera.

Solutio arg. 4. Ad quartam rationem respondetur: principem, vel Magistratum non habere propriè potestatē in animam hominis, vt illam occidat, quæ immortalis est. habet tamen à Deo mandatum & potestatem, hominem seditiosum, rebellem, transgressorem legum pro qualitate puniendi, & vita privandi. quod satis est imperij, vt libertas malè agendi tollatur. neque anima, quæ libertatem contra leges Dei quærit, manus Dei effugiet.

29. Princeps non occidit animam, sed malè viventes.

Solutio arg. 5. Ad quintam rationem, damus hæreticos ob baptismum susceptum cum Catholicis Christianos dici, sed negamus illos eandem fidem profiteri, & in spe salutis convenire. si enim eandem habent cum Catholicis fidem, quare contrariam docent, & armis defendunt? quare non pacificè cum illis sub vna lege vivunt? quare proscribunt, occidunt? si in spe salutis æternæ conveniunt, quomodo bona opera rejiciunt, solam fidem justificare volunt? cum tamen Catholici vtrumq; conjungendum censeant, vt in misericordia Dei sperare audeant? non

30. Hæretici quomodo dicantur Christiani.

31. Hæretici sperant sine fundamento.

ſtultè ſperant hæretici, ſi divinis mandatis ſapienter in- 32. Differentia hæreticorum à Catholicis.
hærent. Catholicis mandata Dei per gratiam gravia non ſunt, hæreticis impoſſibilia. ſanè ſicut hæ voces malum concentum eliciunt, ita ex malo antecedente libertatem ſibi deberi, malè hæretici concludunt. Melius inferrent. nomen, & fidem cum Catholicis communem habemus. ergo eiſdem legibus tenemur.

Ad ſextam rationem reſpondemus. ſi tyrannis eſt, Solutio arg. 6.
hæreticis non concedere libertatem, & illos in exilium
ejicere. majores tyranni ſunt ipſi hæretici, qui confra- 33. Hæretici ſe accuſant Tyrannidis.
tres ſuos fraudulenter, & violenter opprimunt, mille cruciatibus afficiunt, crudeliter occidunt. ſi reipubl. vtile eſt hæreticos compati. quare reſpub. hæreticorum, ferendo Catholicos, eandem vtilitatem non ſectatur.?
quare injuſtè in alios ſtatuunt, quod ſibi jure concedi 34. Hæreticis non placent leges adverſæ.
deſiderant? nimirum leges non admittunt, qui liberè peccare volunt.

Dicat curioſus, quid tandem intelligendum ſit ſub 35. Libertas conſcientię quid?
nomine libertatis conſcientiæ, quando vniverſus ferè orbis illam obtendit, & infenſiſſimis bellis propugnat?

Reſpondemus primò, ex parte Catholicorum non 36. Hęreticorum libertas.
dari iſtam libertatem conſcientiæ, ſed pro defenſione religionis, & Eccleſiæ juſtum bellum decerni. Hæretici per libertatem conſcientiæ intelligunt indifferentiam fidei, quam perſuadent Catholicis, vt ſecurè cum illis habitent, ad bonorum Eccleſiæ communionem admittantur, & tandem incautos in ſervitutem redigant. Politici, ſi arcana Idoli velint prodere, dicent, libertatem 37. Politicorum libertas Atheiſmus.
conſcientiæ in effectu nihil aliud eſſe, quam ipſum atheiſmum. involucrum aptum, quia gratum ad fallendum; medium convenientiſſimum ad evertendam rempublicam, ſubtile venenum, quia mentes occupat. Et

ideò

ideò omnes hæretici ex Politicorum consilio bellis suis injustissimis titulum libertatis conscientiæ præfigunt, vt mentes capiant, populum in Catholicos tanquam hostes libertatis concitent, & ipsos ab imperio conjunctis viribus depellant. Scrutetur jam curiosus rei veritatem ab effectu, extendendo considerationes in singulas Europæ provincias, inveniet vtique, quod supra indicavimus. sit exemplum.
38. Exempla libertatis. Pugnarunt Hollandi quinquaginta annis pro libertate conscientiæ, vt præfert causa belli. quid obtinuerint, loquuntur Arminiani ipsorum concives, quibus non tantum gravi pœna inhibita est pro-
39. Libertas servitute gravior. fessio suæ fidei, & adempta libertas conscientiæ, sed etiam jus naturale, defensio, denegata manet. Idem testatur Gallia, & idem continuis bellis afflicta Germania
40. Libertas conscientiæ nusquam datur. nimis verum facit. libertas grata in titulo, in ambitione imperium prætenditur. si curioso non sit satisfactum, ostendat ipse vnum regnum, aut rempubl. in vniverso orbe, vbi libertas conscientiæ publica lege concedatur. non inveniet. acquiescat ergo, & credat evigilare principes, & laqueis Idoli, Rationi status, sub falsis titulis non vlterius confidere. terrentur vestigijs. hoc faxit Deus.

PVNCTVM X.

An hæretici propter alienam Religionem puniri possint?

1. Politici nolunt puniri hæreticos. Argum. 1. POlitici athei, qui libertatem religionis, officinam vitiorum, aperiunt, dicunt hæreticos ob hæresin nullo modo puniri posse, eò, quod fides, & conscientia
Argum. 2. hominis libera sit. Cum his idem sentiunt Lutherani, qui tyrannum judicant esse principem, qui hæreticum pœna capitis damnet, & conscientiæ vim inferat.

Argum. 3.

2. Fides est donum Dei, ergo liberum sine pœna.

Bodinus in sua republ. docet, hæreticos non castigandos, sed suaviter reducendos. non alio fundamento, quàm quod religio seu fides sit donum Dei gratuitum, quod vim non admittat, sed gratiam. cum quo Calvinistæ communiter consentiunt, licet Calvinus velit, hæreticos puniri posse.

3. Catholicorũ sententia.

4. Infideles non puniuntur, si fidem non suscipiant.

5. Hæretici quare puniendi.

Catholici docent, infideles, Paganos, non baptizatos in Christo non debere compelli ad fidem, multò minus ob eam, quam profitentur, superstitionem puniri; Hæreticos verò, qui in baptismo nomen dederunt, ob hæresin omni jure castigari posse, quia turbant rempub. seditiones excitant, pacem, & concordiam auferunt, odia, & bella accendunt, & animas ad interitum seducunt.

6. Lex Dei mandat occidi falsos prophetas.

Hanc sententiam tulit ipse Deus, quando per totam legem morte mulctari præcipit eos, qui sacerdoti, hoc est, Ecclesiæ inobedientes fuerint. atque in vim hujus legis omnes idololatræ, & falsi prophetæ ad mortem condemnati sunt; Israelitarum multa millia interierunt, quia idolum vituli adorarunt, & per successionem rempublic. seditiosè turbarunt.

7. Lex gratiæ condemnat hæreticos.

Non magis indulget hæreticis lex gratiæ, quia vocat illos lupos rapaces & latrones, qui ideo puniri possunt, & debent, quia dolosè ovile Christi intrantes, oves discerpunt, & novo veneno animas fidelium occidunt.

8. Ecclesia Dei damnat hæresin.

Ecclesia Dei non solum reges, & principes, qui hæreticos voluntariè permittunt, verùm etiam Episcopos, negligentes in præcavenda hæresi, regnis, provincijs, & officijs privari statuit. prout hoc in Jure Canonico, & multis exemplis in historijs clarum est.

9. Ius Civile statuit pœnas hæreticis.

Quam severè Jus Civile in hæreticos pœnas decernat, ex legibus Imperatorum Constantini, Theodosij,

Justiniani, & aliorum patet. qui magistratum non castigantem hæreticos tanquam fautorem, & suspectum hæreseos excommunicandum censent.

Vnde pro Catholicorum sententia rectè infertur. Quod Deus D. N. in vtraque lege statuit, quod Ecclesia confirmat, Jura divina, & humana decernunt, hoc justum esse nemo nisi impius negaverit; ergo justa est pœna capitis, quæ in hæreticos pronunciatur. qui dubitat, legat Doctorum Ecclesiæ præclara scripta, Cardinal. Bellarminum, Baronium, & alios, vtique satisfactionem inveniet.

Transeamus ad rationes partium, & primò de Catholicis videamus. Dicunt hi, hæreticos puniendos,

10. Hæretici quare puniendi.

quia recedentes ab Ecclesia violant juramenta, & fidem illi datam, ob quam causam de jure communi castigari possunt, eò magis, quod Deo, & Ecclesiæ juratam fidem sine necessitate, imò cum scandalo, & consequenti damno proximi infringant. Quod autem omnis Christianus in Baptismo Christo, & Ecclesiæ data fide obligetur, hoc Sacramenti ratio docet, nemo negat.

Sententia Catholicorum 2.

11. Hæretici turbant rempub.

Dicunt secundò, hæreticos castigandos, quia perturbant rempubl. si quæras, quo modo hoc fiat? respondent. Omnes, qui legibus divinis, & humanis contraria sentiunt, docent, & faciunt, turbant rempubl. sed hoc evidenter committunt omnes hæretici. ergo turbant rempublicam. Major est certa. quia sicut legibus stat respubl. ita illis violatis corruit. Minor in facto verificatur. si enim hæretici nova, & contraria non docerent, non essent hæretici, & falsa ipsorum professio, qui de contradictione gloriantur.

Sententia Catholicorum 3.

Dicunt Catholici tertiò, hæreticos seditiones excitare, & ideò puniendos. hoc probant, quia contra leges

12. Hæretici sunt seditiosi.

patrias conventicula instituunt, & conciones; conjurant pro sua secta, factiones efformant, magistratum contemnunt, quod sicut nullo modo negare possunt, ita, proh dolor, in omni republ. mixta exemplis luctuosis comprobatur.

Sententia Catholicorũ 4. 13. Non est pax hæreticis.

Quartò dicunt Catholici, hæreticos pacem, & concordiam è republ. auferre. Demonstrant. quia pax & concordia ex consensu animorum oritur, hæresis autem dissensiones parit, eò graviores, quod mentes à sacris divertat. & hoc per vniversum orbem tam clarum reddit experientia, vt etiam in privata familia pax conservari non possit, si hæreticus in illam admittatur.

Sententia Catholicorum 5. 14. Hæretici sunt causa belli.

Quinto dicunt, hæreticos accendere in repub. odia, & bella. hoc etiam probant. quia naturaliter execrantur sibi contrarios, præsertim in rebus fidei, quæ mentem occupant, & æternam salutem concernunt. atque ex hoc ardenti odio bella suadent, arma sumunt, vt quos jure non possunt, violenter opprimant. hoc testantur omnes historiæ, & non est provincia sub sole, quæ hæresin suscepit, aut saltem gustavit, quin lamentabili sua desolatione, & ruina bella hæreticorum deploret.

Sententia Catholicorum 6. 15. Hæretici seducunt animas.

Dicunt sextò, ideò hæreticos puniendos, quod animas ad interitum deducunt, & occidunt. & meritò. Quia si humanæ justitiæ legibus justum est, homicidas, latrones, & fures punire, qui tantum civilem politiam offendunt, quantò magis castigandi sunt, qui animas occidunt, Ecclesiam simul, & rempublicam perturbant? Quod hoc faciant hæretici, probant Catholici: quia omnis hæresis est peccatum, est contraria legi divinæ, est pertinacia erroris, & ponit hominem extra Ecclesiam. atqui peccatum occidit animam. ergo & hæretici, qui illo vtuntur.

Obiectio hæreticorum de zizanijs. Si objiciant hæretici, hunc rigorem esse verbis Christi D. N. contrarium, qui vult zizania simul toleranda cum tritico vsque in diem messis.

Solutio objectionis. Respondent Ecclesiæ Catholicæ Doctores, Christum hoc loco loqui de extremo judicio, & per zizania
16. Zizania. non solos hæreticos, sed omnes malos intelligere, sicut per triticum omnes bonos. quos quia nec angeli messores, multò minus homines purè cognoscunt, ne errent,
17. Deus permittit, non probat malum. Deus sibi judicium ad messem reservat. Permittit autem hæresin in republ. quia homini dedit liberum arbitrium; non ratificat, non præcipit hæresin. quia hoc infinitæ Dei bonitati repugnat, vt malum approbet, quia in peccata æterna supplicia statuit. non ergo valet consequentia. Deus permittit zizania crescere, hæreticos vivere: ergo idem tenetur facere princeps in republ. Quia etiam Deus homicidas, & fures per leges ad mortem condemnare jubet. Et si hæc illatio esset valida, nulla peccata in republ. puniri possent, quia à Deo permittuntur. quod est contra divinæ, & humanæ justitiæ regulas.

Porro, vt aliquid de rigore juris remittant Catholici Principes, imitantur Deum D. N. permittunt aliquando illos in suis provincijs vivere, quando sine periculo ejici
18. Lenitas Catholicorum in hæreticos. non possunt; non quod ratificent hæresin, aut hæreticis faveant, sed quia aliter impedire non possunt. Quando verò fortiores facti sunt, lenitatem rigori præferunt; nam quos jure pœna capitis afficere possent, spe conversionis sine damno bonorum emigrare concedunt. quod ipsum si hæretici cum Catholicis observarent, non tot cruces in Anglia erigerentur.

19. Hæresis bella provocat. Vnum velim ex animo hic observent indifferenter Catholici, & hæretici. hæresin tale esse peccatum, quod

Deum

Deum D. N. ordinariè provocat ad vindictam in nos exercendam per bella. quia hæresis Deo, & ejus sanctis legibus bellum inferre velle videtur. atque hinc non solum hæretici, qui hæresin docent, bellis affliguntur, sed etiam Catholici reges, & principes, qui dormientes hæresin in suis provincijs admiserunt, aut illis lucri vel sanguinis causa faverunt, cum subditis miserè consumuntur. fugiat peccatum, qui pœnam metuit.

Ad rationes Politicorum jam suprà responsum est, (Solutio arg. 1. 20. Politicorum impietas.) quod impium sit affirmare, fidem Christianis esse liberam, cum Deus certam legem constituerit, juxta quam hominem Christianum velit in republ. vivere. prætensam autem libertatem de solo libero arbitrio intelligendam esse.

In Lutheranos retorquent Catholici tela, quibus (Solutio arg. 2. 21. Iuris regula.) petuntur, & quæ jura in se ab illis statui experiuntur, illa in eosdem exercere non putant injuriam.

De Bodino aliorum sit judicium. ego miror, quod (Solutio arg. 3. 22. Bodinus Calvino contrarius.) cum Calvinista sit, in hoc contra Calvinum sentiat, libertatemq; conscientiæ defendat. quam equidem qui quærunt, si non athei sunt, ad atheismum inclinare videntur. Et ideò illis, sicut Politicis respondere sufficiat. Ad id, quod de suavi reductione docet Bodinus. Dicunt Catholici. quamvis experientià constet, indulgentià hæreticos deteriores fieri, tamen principem solere primò (23. Hæretici indulgentia deteriores fiunt.) lenitate vti, vt illos reducat. si non proficiat, tunc exilio, aut pro qualitate delicti severius castigare debere. Vbi omninò distinguendum inter hæreticos, qui simplicitate sua in errores lapsi sunt, & qui vel authores, vel Doctores hæreseos esse cognoscuntur; vt illi lenius dimittantur, hi secundum leges puniantur.

PVNCTVM XI.

An liceat principi Christiano religionem fingere, dissimulare & hypocrisin exercere?

1. Idoli arcanum fallere.

PVgnandum hoc loco est contra mundi sapientes, Politicos atheos, qui summam arcanorum suorum in hoc fere stare arbitrantur, vt aliud dicendo, aliud agendo, quovis dolo & specie imperium obtineant, & conservent, ideoque acies nostra in Deo, & recta ratione instruenda est.

2. Macchiavellus. Argum. Pol. 1. — Argum. 2. — Argum. 3. — 3. Macchiavello licet esse malum. — Argum. 4. — 4. Principis est fingere pietatem. — 5. Argumentum 5. plenum paradoxis. — 6. Dissimulare.

Macchiavellus docet, Primò, quod non sit necessarium principi, actualiter esse religiosum, & virtuosum, modò dextrè se talem fingat. Secundò, quod hoc ipsum sit damnosum in actu, & vtile, quando princeps exterius habetur pro religioso, ipse autem sciat pro re nata mutare, & facere contrarium. Tertiò, quod sit impossibile principi exercere veras virtutes, quia sæpè ad conservandum statum cogitur violare fidem, religionem, charitatem, humanitatem, & pro varietate fortunæ mutare vela, vt sit bonus quando potest; malus, quando necessitas hoc requirit. Quartò, quod summè necessarium sit, princeps ita mores componat, vt ab omnibus pro pio, religioso, & virtuoso habeatur, quia homines vehementer religionis opinione ducuntur. Quintò, quod necessarium sit, cautè dissimulare. quia qui nescit dissimulare, nescit regnare. qui legibus virtutum paret, verus rex esse non potest; qui non vtitur fallaci astutiâ, decipitur ab alijs regibus: & qui conservat conscientiam, perdit regnum.

Hæ ſunt præcipuæ impietatis Politicorum ſubtilitates. videamus nunc, quid Deus D. N. vera fides, & recta ratio nos doceat, vt cum ſolido fundamento illis reſpondeamus.

Dominus Deus noſter æterna, & infallibilis veritas per Spiritum ſanctum dicit. abominatio Domini omnis illuſor. Væ duplici corde, & labijs ſceleſtis, & manibus malefacientibus. væ peccatori terram ingredienti duabus vijs. Hic populus labijs me adorat, cor autem longè abeſt à me.

7. Sententia Dei in hypocritas.

In Evangelio Christus nullum peccatum ita execratur, & reprehendit, ſicut hypocriſin. hinc dicit. væ vobis hypocritæ. quid me tentatis hypocritæ? vocat illos fermentum corrumpens totam maſſam, & mandat cavere ab hypocritis, qui in veſtimentis ovium ſunt lupi. Qui negaverit me coram hominibus. negabo & ego eum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Qui diſſimulat, delinquit dupliciter.

8. Sententia Christi D. N. in hypocritas.

Fides noſtra Chriſtiana docet, quod Deum D. N. ex toto corde, & totis viribus amare, & colere debeamus, proximum autem ſicut nos ipſos. quod homo debeat ſervare veram fidem in vita, veritatem in judicio, fugere mendacium, cavere à dolo, ambulare vias ſimplices, in corde recto coram Deo ſtare. ergò non licet religionem fingere, nec diſſimulando fallere. Hoc idem docet ſancta Eccleſia, omnes ſancti Patres, & Doctores.

9. Fides Christiana damnat hypocriſin.

Lex naturæ clamat. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.

10. Lex naturæ æquitatem amat.

Recta ratio, vt ſeparata à lumine fidei, in Gentilibus clariſſimè reſplendens, dicit. Quod vera virtus, & gloria agit radices & creſcit; res autem fictæ, vt flores citò marceſcunt, nunquam durant. Cicero dicit, quod non ſit

11. Recta ratio quærit vera, non ficta.

major

major pestis inter hominum vitia, quàm illorum, qui quantò magis fallunt, tantò meliores haberi, & malitiam tegere procurant. Hoc idem docet Plato, quod summus gradus malitiæ sit, præ se ferre justitiam, & non esse justum. Salustius monet. Cura esse bonus, non videri. Plinius. Multi famam, conscientiam pauci verentur. Cicero concludit, quod optima reverentia Dijs exhibetur, quando semper honorantur, & pura, syncera, integra, vna mente, & voce adorantur. Si Senecam, & alios Gentilium sapientes legat Christianus, verè confundetur cum dolore, quando Politicorum doctrinam vitijs abundare, illos virtutibus prælucere convincetur.

12. Gentiles abominantur fictionem virtutum.

13. Hæreticus Ciceroni respondeat.

14. Gentiles confundunt Christianos.

Recta ratio illuminata sic discurrit. Quodcunque bonum in genere boni excellentissimum est; hoc purissimum amorem meretur. Deus est excellentissimum, & summum bonum. ergo Deus purissimum amorem meretur; non falsum, non adulterum, qualem Politici docent fingere.

15. Recta ratio illuminata puritatem exigit, dolum odit.

2. Deus est ipsa infinita sapientia, omnia præterita, præsentia, & futura perfectissimè sciens, qui nec fallit, nec falli potest. ergo malè consulunt, qui Deum humanis figmentis duplici corde decipere conantur.

16. Deus nec fallitur, nec fallit.

3. Deus verè solus est, qui dat, & aufert spiritum principum; qui de stercore erigit pauperem, & superbos humiliat. ergo purissimo cultu adorandus est, qui in manu sua habet vitam principum, omnium jura regnorum, & æternam salutem.

17. Principi benè cõsideranda.

4. Omnis hypocrisis, mendacium, dolus malus, est peccatum, privans Deum sua debita gloria, & hominem sua honestate, & felicitate. ergo diligentissimè fugienda sunt, quæ tam ingentia mala inferunt non docenda.

18. Hypocrisis proprietates, & fructus.

5. Tam est abominabile malum hypocrisis, vt quando

19. Comminatio Dei de hypocritis.

quando Deus ob peccata iratus pœnas minatur, dicat se nobis reges hypocritas daturum. Et cum per Spiritum ſanctum nobis deſcribitur, qualis ſit futurus Antichriſtus, dicitur, quod perfectiſſimus erit hypocrita. ergo non eſt quærenda, ſed deteſtanda, hypocriſis.

6. Diabolus quando vult decipere homines, tranſfigurat ſe in angelum lucis ſub ſpecie boni, promovet malum. Idem facit hypocrita, diſſimulator, doloſus. ergo ſicut Diabolum, ita ejus diſcipulos hypocritas, & eorum doctrinam fugere debemus.

20. Diabolus eſt magiſter hypocritarum.

Hoc quadrato agmine muniti, in quo mandata Dei ad dexteram ducem agunt; fides viva, & vera corpus format; ratio illuminata ſiniſtrum latus defendit; & recta ratio naturalis ordines claudit, progrediamur ad deſtruendum exercitum argumentorum, quę à Politicis atheis nobis oppoſita ſunt.

Ad primum argumentum, quod non ſit neceſſarium, principem eſſe religioſum, & ſufficiat, ſi ſciat ſe talem fingere, Reſpondetur ex ipſius Macchiavelli doctrina. hoc modo. Macchiavellus docet neceſſarium eſſe Principi fingere religionem, fidem, charitatem, aliaſque virtutes; rationem addit, quia ad conſervandum ſtatum nihil religione, & virtutis opinione fortius. ex quo infero. ſi ficta religio, pietas, charitas, fides, & quæcunque virtus principi eſt neceſſaria, ergo multò magis vera religio, & virtus eſt neceſſaria. quia nobiliorem effectum producit res ipſa, quàm ejus vmbra, & opinio. Et ſi ſtatum, hoc eſt, rempubl. conſervat religio, & virtus ficta; quomodo hoc ipſum non ſolidius præſtabit vera & realis?

Solutio arg. I.

21. Macchiavelli falſitas.

22. Præſtantius eſt corpus vmbra, res quam figura.

Ad ſecundum argumentum, quod ſit damnoſum Principi, ſi actu ſit religioſus, virtuoſus. Vtile autem, ſi

Solutio arg. 2.

P talem

talem se fingat. Respondetur ferè eodem modo, quo ad primum. Quia videtur implicare, esse aliquid vtile in opinione, & damnosum in actu. cum res ipsa fortius

23. Macchiavelli error.

agat sua opinione. hinc dico. Ex mente Macchiavelli. religio, & virtus ficta ideò conservat rempub. quia optimo vinculo trahit, & conjungit animos populi inter se, & cum principe, & ideò est vtilis. Sed hoc multò efficacius præstat actualis religio, & virtus. ergo illa est vtilior, & non damnosa. Minorem probo ex superiori ratione,

24. Abominatio omnis illusor.

& sensu communi. Invertamus argumentum retorquentes tela. Quæ ficta sunt in humanis, parum durant, probata non subsistunt, cognita contemnuntur. Si autem subditi religionem, & virtutes sui principis, vt solent, diligenter observent, fucatam inveniant, pro virtute simulata vitia prædominari advertant, nunquid orietur diffidentia, vbi prius erat concordia? nunquid

25. Religio ficta solvit statum.

populus amabit principem, quem Deo illudere, & omnia fingere conspiciunt? pergo. Sed sine concordia, & amore mutuo non conservatur Respubl. ergo damnosa fictio religionis, & ejus actus vtilissimus: quia illa dissolvit vincula reipubl. hic conciliat.

Solutio arg. 3.

Ad tertium argumentum, quod sit impossibile principi veras virtutes exercere. quia sæpè cogitur fallere,

26. Politici docent impia.

&c. Respondetur, hoc argumentum vere ostendere, Politicos esse atheos, quia in illo sequuntur Lutheranos, quando dicunt impossibile, sequi virtutes, servare mandata Dei; astipulantur Calvinistis, cum dicunt, princi-

27. Politici credunt omnia, & nihil.

pem cogi ad violandam fidem; Consentiunt Catholicis, quando volunt principem debere esse bonum, quando potest; profitentur atheismum, quando docent mutare vela, & fingere prò varietate fortunæ. sic omnia credunt, nihil credentes. Videamus singula. Impossibile non

potest

potest esse, quod Deus auctor omnis boni, & justitiæ 28. Deus non mandat impossibilia.
præcepit. Sed Deus præcepit sequi virtutes, & servare
mandata. ergo hoc impossibile esse non potest. Major
est vera. quia si Deus homini impossibilia imponeret,
non esset summè bonus, sed injustus. de qua re videnda 29. Vitia difficiliora virtutibus.
Ecclesiæ Dei certa doctrina. Minorem nemo audet ne-
gare. Dein si impossibile est sequi virtutes, quare non
magis impossibile est, sequi vitia? Annon facilius est se-
qui rem existentem, quam fingere, quod non est? Dicit
æterna veritas, jugum meum suave est. clamant impij.
ambulavimus vias difficiles, lassati sumus in via iniqui- 30. Politici nolunt intelligere, vt benè faciant.
tatis. Neutrum credunt Politici, donec sentiant, ideoque
magis impiè pro impossibilitate dicunt, principem cogi
ad fallendam fidem, ad vitia. Sed etiam hoc falsum est.
quia Deus non impellit ad vitia, quia severè illa prohi-
bet. Non fatum; quia astra non necessitant voluntatem 31. Fatū gentile non valet.
hominis, quam Deus liberam asseruit. Non cogit na-
tura, sed tantum inclinat ad malum, cui si frenum rectæ
rationis injiciantur, sequitur bonum. quid ergo, mi
Macchiavelle, cogit principem ad vitia? an fortunæ im- 32. Macchiavellum fortuna necessitat ad malum.
pulsus, cui dicis resisti non posse? sic dixisti. declara ergo
mihi, quid sit fortuna tua te impellens. an Divinum, aut
Diabolicum, aut humanum quid est fortuna? Non est 33. Fortuna quid?
quid divinum, nec diabolicum, quia tu Deum, & diabo-
lum esse negas. est ergo quid humanum, & hoc credo,
quod sit malitia cordis tui, quam vt in te, & in alijs secu- 34. Politici delirant.
ram facias, nec Deum, nec diabolum; nec præmium vir-
tutis, neque pœnas peccati concedis. Vnde mirum est,
quod cum Catholicis doces, Principem debere esse bo-
num, quando potest: cum per impulsum fortunæ dicas 35. Macchiavellus sibi contrarius.
illum cogi ad malum. quomodo enim erit bonus, qui
necessariò est malus? Sed inquies etiam fortuna impellit

ad bonum. Si ita eſt, quare dicis eſſe impoſſibile ſequi virtutes? Iterum effugis, dicendo, quod princeps aliquando debeat eſſe bonus, aliquando malus, prout expedit Reipubl. Nota quid de te ſentiam, Macchiavelle. quia principem doces eſſe malum, puto te non intelli-
36. Macchiavelli ſectatores. gere, vt ſit aliquando verè bonus, ſed vt ſe bonum fingat, quod eſt eſſe malum. & ſic qui ſemper malus es, ſemper ad malum informas tuum Principem. Si autem velis ipſum verè bonum, quare, vt malus ſit, & virtutes fingat, doces?

Reſtat quod Politici docent ex fundamento athe-
37. Princeps politicus non obligatur ad vnam religionem. iſmi. Principem debere mutare vela pro varietate fortunæ. ſi nimirum videat ſibi obeſſe vnam religionem, ad obtinendum, aut conſervandum imperium, aſſumat aliam. quod eſt proprium atheorum, qui nec Deum, nec cultum habent. Contra hos videtur dicendum, quod illa mutatio in Principe non ſit ſecura, nec ſolida pru-
38. Princeps Chriſtianus eſt ſicut Civitas in monte poſita. dentia. Ratio eſt, quia princeps eſt quaſi Civitas in monte poſita, quæ abſcondi non poteſt: ſi autem ſubditi videant Principem ad quemcunque ventum religionem leviter mutare, non facilè confident illi, quem Deo fidem datam infringere noverunt. cui enim ſervabit fi-
39. Deo infidelis nunquam bonus. dem, qui Deo præſtita juramenta violat? & qui in divinis ludit, religionem incertam habet, quid faciet in humanis? Qui in Deum injurius, & ingratus eſt, quām ſpem
40. Dolus nemini prodeſſe debet. juſtitiæ, & clementiæ præbet ſubditis? Mutet Princeps quantum velit Religionem, nunquam ſua inconſtantia conſtantes acquiret ſubditos; nunquam dolus ſecuritatem dabit. ergo malè docent Politici, Principi expedire religionis mutationem, cum illa ſecuritatē evertat Reipubl. & animos populi alienos reddat. quo modo iſta levitas prudentiæ nomen mereatur, Sapientes judicent.

Ad quartum argumentum, quod ſummè neceſſarium ſit Principi, ita mores componat, vt ab omnibus pro pio, religioſo, & virtuoſo habeatur, etiamſi talis non ſit. Reſpondetur hoc eſſe conferendum cum primo argumento, in quo docetur, quod non ſit neceſſarium Principi revera, & actualiter eſſe religioſum, ex vtroque hoc infertur. Religio, virtus, pietas ficta, non autem realis, & vera eſt principi neceſſaria. quod in primo argumento refutavimus. Solutio arg. 4. 41. Ficta non proſunt.

Ad quintum argumentum, & axioma Politicorum, qui neſcit diſſimulare, neſcit regnare. Reſpondetur, Chriſtianos habere legem certam, non licere diſſimulare cum peccato; ſi verò ſine offenſione Dei, & juſtitiæ ſimulatio neceſſaria ſit, hanc actum eſſe prudentiæ. Quod autem Macchiavellus non intelligat hanc Chriſtianam prudentiam, patet ex eo, quia paſſim docet, dolo doloſis obviandum, pellem vulpis induendam, vbi leonis deficit; fictam religionem, & virtutem ſufficere. fidem violare neceſſitatis eſſe quæ omnia plena ſunt peccatis, & abominatio coram Deo, ideoque Principi Chriſtiano fugienda. Solutio arg. 5. 42. Diſſimulare quomodo liceat. 43. Macchiavelli ſubtilitates.

Ad axioma vulgare dicitur, hoc non aliter eſſe verum, quàm ſi ad legem Chriſtianam reſtringatur. Si autem ex mente Macchiavelli ad dolos, & hypocriſin extendatur, verius fore, ſi axioma in vertatur hoc modo. neſcit regnare, qui ſcit doloſè diſſimulare. Ratio eſt, quia vere imprudenter, & infeliciter regnat, qui Deum auctorem omnis imperij ficto corde colit, amicos fallit, in verbo pacis occidit, & in re ficta ſummam ſapientiam conſtituit. hoc totum facit hypocrita, qui doloſè diſſimulat. ergo imprudenter, & infeliciter regnat. Major probatur. quia nihil ſtultius fit ab homine, quàm divi- Solutio axiomatis. 44. Neſcit regnare, qui ſcit doloſe diſſimulare. 45. Hypocritæ proprietas.

nam providentiam, & veritatem impugnare. nihil certius ducit ad interitum, quam hypocrisis, & dolosa mentis fictio. ergo qui his vtitur, imprudenter regnat, cum Dei & hominum favorem amittat.

Solutio proverbij Politicorum.

Ad secundum proverbium Politicorum, quod verus rex esse non potest, qui legibus virtutum alligatur. Respondetur, Politicos hoc frustrà persuadere Christianis, qui planè contrarium credunt, & statutum habent. quod verus rex esse non possit, qui legibus divinis non obtemperet, humanis vim inferat. Si curiosus scire desideret, quare Politici hoc axioma producant. dico. quia regem à Deo, & omni lege liberum volunt; si autem legibus virtutum alligaretur, liber non esset. ergo verus rex non esset. insignis prudentia. non sic sapit Christianus, cui servire Deo, regnare est; cui virtus veram libertatem confert.

46. Verus rex Deum, & iustitiam colit.

47. Reges sub Deo, & lege.

Solutio tertij axiomatis.

Ad tertiam maximam Politicorum, quod qui non vtitur fallaci astutia, decipitur ab alijs regibus, vicinis. Respondetur, non esse veram: quia non sequitur. hic Princeps vtitur dolo. ergo non decipitur. imò potius contrarium sequitur justè. qui dolo vtitur, dolo circumvenietur; sicut qui gladio ferit, gladio perit. Porro ad hoc, vt princeps non decipiatur, debet prudenti consilio vti, dolosis parum fidere, non assumere peccatum, vt evitet malum. quia hoc provocat ipsum malum. Et quandoquidem totus ferè mundus in maligno positus, benefaciet Princeps, si prudenter investiget artificia doli, non vt illis vtatur, sed vt præveniat, & fugiat.

48. In dolo vincere dolum.

49. Principis consilia.

Solutio 4. axiomatis.

Ad quartam maximam atheorum, quod qui conservat conscientiam, perdit regnum; Respondetur, illam apud veros Christianos non tantum falsam, sed impijssimam esse. falsa est, quia conservare conscientiam puram

50. Conscientia pura perdit regnum.

à pec-

à peccato, est opus bonum, Deo cum primis gratum;
perdere autem regnum est pœna peccati. Si ergo Rex
privaretur regno ob puritatem conscientiæ, vtique pro-
pter bonum opus castigaretur. quod est falsum. Impijs- 51. Idoli gravis impietas.
sima est, quia Deum, qui mundos corde Beatos vocat,
hypocritas abominatur, arguit injustitiæ, cum docet,
quod regnis exuat eos, qui ipsi in puritate conscientiæ
serviunt. Non ita de Deo D. suo sentit Christianus. Ju-
stus est Dominus.

Jam pugnatum satis contra omnes insidias, & acies
Politicorum, quis victoriam reportarit, judicent sapien-
tiores. Ego Reges, Principes, & omnes Christianos fide-
les humiliter oro. considerent ex supradictis, in quam
fragili fundamento Politici athei nostri suam subtilita- 52. Politicorum fundamenta.
tem, & quam venditant, supremam prudentiam, collo-
catam habeant. in figmentis, in mendacio, in dolo, in
hypocrisi, in malo confidunt. quod Deus D. N. Ecclesia
Dei, omnes Sancti, & omnes sapientes docent, hoc ipsi
improbant; Idolum suum, Rationem status Deo præ-
ferunt, Deum ipsum negant, vt vitia liberè exerceant. Si
hæc sapientia est, stulti sunt omnes Sancti, & fideles, qui
Deum puro corde sequuntur. Si verò hi sapientes sunt, 53. Politicorum stultitia.
qui optimam partem, Deum, summum bonum elege-
runt; Stulti manent Polici, qui rebus fictis pascuntur,
& non minus cœci reges, qui ipsorum consilia suscipi-
unt. Caveant, iterum instanter oro, Reges & Principes Cautio ad reges Christianos.
sibi ab istorum atheorum doctrina, quia via est, quæ vi-
detur homini justa, novissima autem ejus deducunt ad 54. Politici quare fugiendi.
mortem. sedent in insidijs cum divitibus (regibus) vt
interficiant innocentem. Loquuntur pacem cum pro-
ximo suo, mala autem in cordibus eorum. tota die do-
los concinnant. Et ideò disperdet dominus vniversa
labia

labia dolosa. Dominus irridebit eos. gladius eorum intrabit in corda ipsorum; & arcus eorum confringetur. Injusti disperibunt simul; reliquiæ impiorum interibunt. Fugiant Reges Christiani laqueos Politicorum, ne simul comprehendantur, & pereant. Legant historias, & cognoscent rei veritatem. De jure nemini debet prodesse suus dolus. apud Deum soli recti corde exultant.

PVNCTVM XII.

An religio Christiana auferat fortitudinem animorum?

1. Religio aufert fortitudinem.

NOn est intentio mea hoc loco de virtute fortitudinis agere, hoc enim fiet sequenti libro; sed de falsa opinione Macchiavelli, qui scribit, religionem Christianam auferre fortitudinem animorum. Primò: quia

Argum. 1. 2. Macchiavelli levitas.

non vtitur cruentis sacrificijs ferocium animalium, sicut antiqui fecerunt, qui exinde ferociores evaserunt. Secundò: quia religio Christiana docet, & laudat humilitatem, & paupertatem; fortitudo autem (sicut in antiquis videtur) requirit animos elatos, viros potentes, duces exercituum, & intrepidos ad omnia. Tertiò: quia

Argum. 2. 3. Macchiavello non placet humilitas.

Argum. 3. 4. Patientia.

etiamsi religio Christiana videatur aliquam fortitudinem exigere, tamen magis suadet patientiam. Quartò: quia religio Christiana injurias ferendo exponit rempubl. malis, & perversis, vt illi sine resistentia securè pro libitu eam perdant.

Argum. 4.

5. Christiani soli habent veram fortitudinem.

Pro defensione Christianæ religionis nostræ dicimus contra Macchiavellum, & omnes atheos impios. nostram religionem non solùm non auferre fortitudinem

nem animorum, ſed ipſam docere, & habere, imò extra religionem Chriſtianam non eſſe veram fortitudinem. Probamus ſingula. & primò, quod religio noſtra non auferat animorum fortitudinem, ex eo clarum fiet, quod illam ſolam veram fortitudinem habere aſſeramus. Secundò. quod doceat. Probatur. Quia religio Chriſtiana prudenter conſiderans, ſe mille hoſtibus expoſitam, jam à carnis inclinatione, mundi fallacijs, & diaboli aſtutijs infeſtari; jam à Paganis, Turcis, & hæreticis aperto Marte oppugnari; jam ab atheis, & Politicis ſibi continuas inſidias parari, & vndique bella moveri, neceſſitatem defenſionis apprehendit, & fortitudine ſuos cultores contra tam diverſos hoſtes inſtruit. Carnis impetum docet rectæ rationi; & ſpiritui ſubjicere, & mortificare; mundi perituras fallacias præ æternis bonis contemnere; diaboli aſtutias in viva fide, & charitate ſuperare. apertis hoſtibus fortiſſima Dei auxilio munita pectora opponere; atheorum impietatem, & inſidias conſtanti prudentia vincere, & eludere. Hoc teſtantur hiſtoriæ, & innumerabiles Chriſtianorum de quibuſcunque hoſtibus victoriæ. Hoc actu ipſo experiuntur, qui religionem noſtram hoſtili auſu aggrediuntur. Quod autem Chriſtiana Religio, non tantum doceat, ſed habeat fortitudinem, Probatur tertiò. Quia ſi non haberet in actu exercito veram fortitudinem, non poſſet tam innumeris hoſtibus, à quibus ab exordio impugnatur, reſiſtere; jam verò conſtat ex hiſtorijs, Chriſtianos prudenti fortitudine omnes ſuos hoſtes debellare, confundere, & ſi qui novi inſurgant, etiam novis armis fortiſſimè expugnare. ergo quod res ipſa loquitur, quod hoſtes ſuo damno ſentiunt, & deplorant, non cadit in dubium. Quartò quod ſola Chriſtiana religio veram habeat fortitudi-

6. Chriſtiani verè fortes.

7. Fortitudo Chriſtiana.

8. Chriſtiani hoſtibus terrori.

nem, Probatur. quia illa ſola cognoſcit lumine fidei Deum, ad quem tanquam ad vltimum finem, & ſummum bonum vera fortitudo, & omnis virtus dirigi debet. Virtus enim, quæ non habet ſummum bonum pro ſuo objecto, non eſt vera virtus, & ideo Gentilium virtutes, quia vanitatem propriæ gloriæ reſpexerunt, pro veris non æſtimantur. Deinde, religio Chriſtiana ſola habet verum, & nobiliſſimum præmium fortitudinis. ergo & ſola veram fortitudinem. Antecedens probatur. Quia præmium fortitudinis eſt felicitas æterna, quæ in gloria Dei D. N. conſiſtit; hanc autem ſola Chriſtiana religio agnoſcit. ergo ſola habet veram fortitudinem. Minor probatur, quia Gentiles, & infideles laqueis diaboli in terrenis, & vana gloria concluſi ex defectu veræ ſapientiæ æternam felicitatem non agnoverunt, & ideò illam, rem ignotam, ſibi proponere non potuerunt. Chriſtiani autem pro Dei gloria, & felicitate æterna, omnia ſuſtinent, & fortiter agunt. quia in hoc per lumen fidei vltimum finem ſuum conſtitutum habent. ergo felicitatem æternam, quam ſperant, agnoſcunt. cum perſeverant, conſequuntur. & quia nobilius habent præmium, quàm omnes aliæ gentes, etiam excellentiorem habent fortitudinem.

9. Fortitudo vera cognoſcitur ex objecto, & fine.

10. Chriſtiani habent veras virtutes.

Confirmantur prædictæ rationes hoc argumento. Deus ſummum bonum dat electis ſuis, & amicis præſtantiſſimis virtutes, & media ad æternam ſalutem; cum ergo Chriſtianos aſſumpſerit in gentem electam, ſine injuria cogitari non poteſt, quod illis non dederit præſtantiſſimas virtutes. ergo & veram fortitudinem. Si autem Deus Gentilibus dediſſet, aut adhuc atheis daret excellentiorem fortitudinem, quàm Chriſtianis, ſequeretur Deum magis favere ſuis hoſtibus, blaſphemis con-

11. Deus dat veram fortitudinem, & quare.

tempto-

emptoribus, quàm fidelibus electis, quod eſt contra naturam ſummi boni.

Poſtremò. Deus D. N. promiſit Eccleſiæ ſuæ, quod nulli inimici, ne portæ quidem inferi adverſus eam prævalebunt, ergo neceſſariò illi fortiſſimos dedit defenſores Chriſtianos. Superaddidit Chriſtus. quod cum Chriſtianis futuris ſit vſque ad conſummationem ſeculi. ergo verè fortiſſimi ſunt, cum quibus Chriſtus Deus omnipotens pugnat. *12. Chriſtiani quare fortes.*

Objiciunt nobis athei, & Pagani, quod exercitus Chriſtianorum ſæpè deleti, & regna ipſorum occupata ſint. *13. Objectio Paganorum.* Reſpondetur, Chriſtianos aliquando juſto Dei judicio ab infidelibus ſuperari, & provincijs ſpoliari, quia per hæreſin, aut alia peccata à Deo D. ſuo per vias malas declinant. quando verò conſtantes in fide, zelo gloriæ Dei armati pugnant, nunquam expugnari. *Solutio objectionis. 14. Chriſtiani quare puniantur.*

His muniti præſidijs, quod Deum pro nobis habeamus, reſpondemus ad argumenta Macchiavelli. *Solutio arg. 1.* Ad primum, Quod in illo auctor prodat ſuam ignorantiam, & malitiam. *15. Macchiavelli confuſio.* quia allegando ferocitatem, quæ ex conſuetudine effundendi ſanguinis ſacrificiorum contrahitur, oſtendit ſe veræ fortitudinis qualitates neſcire, & quemcunque lanionem fortiſſimo bellatori prævalere. Malitia patet ex eo, quod veram à Deo datam virtutem fortitudinis defœdare velit barbara feritate. Equidem ſi hæc feritas fortitudo eſt, benè concludit Macchiavellus, quod Chriſtiana Religio fortitudinem auferat, quia pro feritate humanitatem colit. *16. Feritas non eſt virtus.* malè autem ſi veram fortitudinem, quæ animos invictos prudenter, & juſtè pugnare docet, intelligit. quia talem Religio Chriſtiana profitetur.

Ad ſecundum argum. Reſpondetur negando con- *Solutio arg. 2.*

 ſequen-

ſequentiam. Quia non ſequitur Christiana Religio docet humilitatem, & paupertatem. ergo aufert fortitudinem. Non eſt contraria fortitudini humilitas, & paupertas; ſimul enim ſtare poſſunt, & ornare fortem. Neſcit, vel contemnit myſteria fidei, qui tam ſiniſtrè judicat. ſuperbia dejicit, humilitas erigit. hoc atheis abſonum, Chriſtianis dulcis veritas eſt. vt aliquo modo intelligant. Dicimus, Chriſtianos debere eſſe humiles in quacunque de hoſtibus victoria, aut re benè geſta; quia nihil ex ſe tanquam ex ſeipſis habent, omnia autem à Deo accipiunt. & quò hoc humilius agnoſcunt, & Deo intenſius gratias agunt ſine admixtione vanæ gloriæ, eò fortiores, & hoſtibus terribiliores evadunt. Si verò cum Gentilibus, & atheis in feritate, & proprijs viribus ſuperbè confidant, ob peccati turpitudinem à quovis hoſte ſuperantur. Vir inſipiens non cognoſcit, & ſtultus non intelligit hæc. Non ergo ſequitur, quod Macchiavellus infert, ſed planè contrarium. quia per humilitatem vera virtus, & fortitudo acquiritur, non aufertur. Idem de paupertate ſpiritus dicendum eſt.

17. Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus dat gratiam.

18. Chriſtiana humilitas.

Ad tertium argum. Reſpondetur, eandem Chriſtianam Religionem, quæ docet patientiam in privatis injurijs, etiam docere fortitudinem ad vindicandas injurias publicas, Deo, Eccleſiæ, vel patriæ injuſtè illatas. hoc experiuntur hoſtes Chriſtiani nominis eſſe verum. Macchiavellus non vult intelligere, quia virtutibus bellum indixit, vitia prædicat. Non tam impiè ſapientes Gentilium de fortitudine ſenſerunt, qui potiorem partem ejus in tolerandis adverſis conſtituerunt. Sic Chriſtiani non contenti fortiter agere, etiam in adverſis patientiam docent, vt vtranque fortitudinis partem exerceant,

Solutio arg. 3.
19. Chriſtiana patientia.

20. Chriſtianum eſt agere, & pati fortia.

& in se verum faciant, quod meritò dicitur. agere, & pati fortia Christianum est.

Ad quartum argum. Respondetur eodem modo, quo ad tertium, quia non sequitur, Christiana religio docet non vlcisci, sed ferre privatas injurias. ergo exponit rempub. vt à perversis sine resistentia evertatur. Nam etiamsi ex lege charitatis privatas vltiones prohibeat, non tamen ideò seditiosos, pacem publicam turbantes, hostes rempublic. aut Ecclesiam infestantes stulta lenitate ferendos, sed viva fortitudine propulsandos censet, & actu complet. — *Solutio arg. 4.* — *21. Charitas christiana.*

Si quis curiosus his non acquiescat, legat Christianorum historias, & vndiq; prælucentem fortitudinem admirabitur. Ego ad virtutes Principis transitum facio.





LIBER III.

DE VIRTVTIBVS PRINCIPVM.

PVNCTVM I.

De virtute in genere, & de vitio ejus contrario.



IACTA ſunt in Religione fundamenta Veræ Rationis Status, ſeu Reipubl. conſequens eſt, vt de medijs, quibus ingens hæc moles, ſocietas humana in altum elevetur, firmetur, & feliciter conſervetur, proſpiciamus. Hoc communi omnium ſapientum judicio quia præſtat virtus, de illa propoſita nobis brevitate agemus, vtque clarius innoteſcat, vitium eidem opponemus.

1. Virtutis definitio. Eſt autem virtus, bona qualitas mentis, qua rectè vivitur, qua nemo malè vtitur, quam Deus ſine nobis in nobis operatur. Dicitur bona qualitas mentis: quia

2. Virtus eſt bona qualitas. mentem ad omne bonum accendit, ſenſualitatis infrenes motus domat, & in contemptum terrenorum ad æterna erigit, & deducit: tum quia corporis vires, ſenſuum

ſuum actiones & motus nomine virtutis non intelliguntur, niſi quando ab illa perficiuntur. Dicitur bona qualitas, qua rectè vivitur, quia eſt via, quam infinita bonitas homini aperuit, vt per hanc ad portum felicitatis vitam ſuam deducere poſſit. Dicitur, qua nemo malè vtitur. quia neſcit dolum virtus, abhorret malum; ſi in 3. Virtus neſcit dolum.
malum vertatur, deſinit virtus. Dicitur vltimò, quam Deus ſine nobis in nobis operatur. vt homines agnoſcamus hoc donum virtutis, 4. Omnis virtus à Deo.
ſicut omne datum optimum, à ſummo bono, æterno Deo D. N. nobis immeritis, gratis communicari, ideoque non nobis, ſed illi ſoli virtutum noſtrarum gloriam deberi.

Quare verò Deus menti humanæ virtutes infundat ratio videtur: quia conveniens eſt, illi media ad vltimum finem dari, cui ſalus æterna ad gloriam Creatoris pro vltimo fine ſtatuta eſt. Hinc Deus per lumen fidei tenebras 5. Deus quare virtutes det.
intellectus illuſtrat, vt veritatis lucem agnoſcat; per ſcientiam voluntatem ad purum amorem incendit; & per gratitudinis virtutem, memoriam excitat, vt in continua gratiarum actione verſetur. Per juſtitiam facit juſtum, per prudentiam providum; per fortitudinem fortam, & ſimiliter omnia in omnibus pro ſua voluntate ſapientiſſimè operatur. Vtque homines perfectius viam 6. In Deo omnis perfectio virtutum.
virtutis ingrederentur, Chriſtus D. N. ex SS. Trinitatis decreto, de cœlo deſcendit, & veras virtutes vita, & exemplo docuit. Præmia æterna illis conſtituit, & quod promiſit, in electis, & Sanctis ſuis actu complevit. Sed nec hoc admirabili virtutis teſtimonio contenta divina bonitas fuit; continuum enim per angelos, per Eccleſiam, per Doctores, & ſanctos ſuos ad virtutem hominibus præſtat incitamentum. atque hæc apud veros Chriſtianos certa ſunt.

Quid in Republica valeat virtus, res ipsa demonstrat. Vna est, & communis omnium hominum sententia, quod sine virtute nulla Respublica, nulla humana societas subsistere possit, quodque virtus tam sit necessaria Reipubl. sicut Sol mundo. Ratio est, quia virtus est, quæ Rempubl. ducit ad vltimum finem, æternam felicitatem. Virtus conciliat gratiam, & auxilium Dei; conjungit animos populi cum Principe, dissoluit odia, decernit justa præmia bonis, pœnas malis; ad pacem solidam consilia, ad bellum media, & vires suppeditat. Nihil in Republ. verè honestum, pulchrum, vtile, vel jucundum est sine virtute. Sola illa Respubl. felix est, & beata, quæ virtutem colit, & sequitur. Et quia hoc adeò verum est, vt etiam mali, & lationes sine virtute suam societatem conservare non possint, subsistam, & post definitionem, breviter virtutis divisionem attingam.

7. Sententia communis de virtute.

8. Virtus est sol Reipubl.

9. Virtutis operationes.

Virtutis præcipuæ species sunt fides, spes, charitas. has proximè sequuntur, Castitas, patientia, paupertas, humilitas, obedientia, mansuetudo, misericordia, & similes solis Christianis notæ, & vsitatæ: aliæ sunt morales, prudentia, justitia, fortitudo, temperantia, liberalitas, clementia, gratitudo, &c. aliæ sunt intellectuales, vt scientia, consilium, providentia. Sunt & aliæ virtutes, quæ vel ex his nascuntur, vel ad eas referuntur.

10. Virtutis species.

Postularet, fateor, ordo de singulis speciatim tractare, sed quia hoc à multis doctissimè præstitum est, ego in terminis instituti me continebo, & quantum ad Rempublicam vtiles sunt, & necessarie breviter ostendere conabor.

De fide Christiana jam in præcedenti libro actum est. De spe Christianorum, qua præter temporalia, quæ

11. Spes in Deum quomodo vtilis Reipubl.

cum Gentilibus communia habent laborum ſuorum æterna præmia, & felicitatem perpetuam à Deo expectant, hoc dicere poſſumus, quod ſit virtus Reipubl. valdè neceſſaria. quia per fiduciam, quam benè viventes ponunt in promiſſionibus Dei, qui fallere non poteſt, & omnipotens eſt, vt retribuat; eriguntur animi ad omnes virtutes, & heroicas actiones, eò intenſius, quò præmia majora, hoc eſt æterna bona, illis propoſita ſunt. atque in hoc patet excellentia Chriſtianorum, quod, quia ſpe futurorum à Deo ornati ſunt, multò nobilius virtutem exerceant, quàm Gentes, quæ ſpem non habent. Vnde etiam ſequitur nobiliorem eſſe Rempubl. Chriſtianorum, quàm Gentium, quia propter objectum, & vltimum finem eminentiorem, virtutibus excellentioribus condecoratur. De hac virtute poſſunt legi, quæ Eccleſia docet.

12. Chriſtiana reſpubl. nobiliſſima.

Tertia, Regina virtutum eſt Charitas, qua illuminatus homo, Deum, vt ſummum bonum, & proximum ſicut ſe ipſum propter Deum ſyncerè diligit. hæc eſt virtus, quæ complet plenitudinem vtriuſque legis divinæ, ſine qua omnes aliæ deficiunt, & in qua ſingulæ virtutes perficiuntur. De hac virtute licet Politici rarò in ſcriptis ſuis mentionem faciant, & quaſi aliena à Reipubl. adminiſtratione habeatur, auſim conſtanter affirmare, quod ſi juxta Chriſti D. N. & S. Pauli, & totius Eccleſiæ doctrinam mentibus hominum inhæreret, ſufficiens eſſet omne malum, omne vitium à Republ. feliciter avertere. Sanè, Meum, & Tuum, contentiones non excitarent, ſi charitas Chriſtiana in Republica locum haberet: odia, ambitiones, bella, principes, & populum non perderent; ſi charitas animos poſſideret. Doceant athei vitia, Politici diſſimulare; ego Principi Chriſtiano, vt

13. Charitas quare neceſſaria Reipublicæ.

14. Politici non noverunt charitatem.

veram charitatem ſummo loco habeat cum S. Paulo ſyncero affectu ſuadeo. Deus charitas eſt, qui ergo in charitate manet, in Deo manet, quo nihil felicius.

15. Mundi ſapientes rident virtutes christianas.

De ſecundi ordinis virtutibus Chriſtianis, quales ſunt, paupertas, humilitas, obedientia, &c. Gentiles vix vllam cognitionem habuerunt, Sapientes mundi illas pro ſtultitia rident. Chriſtiani verò, quia rempubl. Deo gratam reddunt, & mirificè exornant, de illis ſanctiſſimè ſentiunt.

De Juſtitia, prudentia, fortitudine, temperantia, quia in Republ. valdè neceſſariæ ſunt, ſingulatim agemus, & quantum inſtitutum feret, de ſcientia, & alijs incidenter dicemus.

16. Vitij definitio.

Virtuti opponitur vitium. hoc ſi in genere conſideretur, eſt privatio boni. ego, quia contrarium virtuti eſt, contraria definitione inſigniri poſſe exiſtimo, vt ſit vitium qualitas mala mentis, qua injuſtè vivitur, qua nemo benè vtitur, quam diabolus nobiſcum in nobis operatur. Dico vitium eſſe malam qualitatem mentis; quia illam omninò deformat, affligit, & conſumit. Per hanc injuſtè vivitur, quia in peccato non eſt juſtitia, nec in mala arbore, fructus bonus. Hac qualitate mala nemo benè vtitur, quia ſemper vitium, & peccatum occidit animam. & ſi virtutis ſpeciem induat, duplicem pœnam generat. Diabolus autem illam nobiſcum in nobis operatur, quia ſicut Deus auctor eſt virtutis, ita Diabolus peccati, & per noſtrum conſenſum deducit nos in vitia, & interitum. Ex hac deſcriptione patet, quæ ſit natura, & origo vitiorum. patet etiam, quàm impiè faciunt, qui virtutem fingere, & vitium vſurpare docent, quia Diaboli, non Dei Rempubl. formare intendunt. Quod in quovis homine, in principe, in populo, in vniverſa Re-

17. Diabolus auctor peccati.

publ.

publ. ad gloriosam conservationē, temporalem, & æternam felicitatem virtus operatur; hoc in singulis, & omnibus, ad certam eversionem, ruinam, & æterna supplicia, detestandum efficit vitium. Virtutis præmium, gloria. Stipendium peccati mors est. Sileat Macchiavelli impietas. frustra Christianis pro virtute, vitium suadetur. Sic sentio, & ad prudentiam propero. 18. Stipendium peccati mors.

PVNCTVM II.

De prudentia in genere.

PRudentia est sciētia rerum gerendarum, & omittendarum. Est virtus quæ ab excessu, & defectu moderatur omnes alias virtutes, & actiones humanas: quæ ex præteritorum memoria præsentia disponit, futura prospicit, medium tenet, cursum ad normam conducit, & ad felicem finem omnia dirigit. De hujus eminentia, & necessitate in Republ. nemo ambigit. omnes Politicorum libri pleni sunt, & tam acutè ab antiquis, & novis Doctoribus de hac virtute scriptum est, vt meritò mea insufficientia à lumine soli addendo supersedere possit. Attamen cum institutum mihi sit Idoli Politici, hoc est Rationis status fraudes detegere, & pro viribus oppugnare, vrget necessitas etiam hoc loco, quas circa prudentiam Idolum nostrum insidias struit, solito candore patefacere. Hoc igitur agit, quod in omni virtute, prudentiam insignem virtutem, in astutiam, & dolosam dissimulationem, hoc est vitium transmutare docet. quod vt clarius constet, peculiarem quæstionem, an Politicorum Ratio status vera sit prudentia, instituam, & prius tamen de speciebus prudentiæ, & quibus modis illa

1. Prudentia descriptio.

2. Idoli fraudes in prudentia.

comparari poſſit, quædam media, ſalvo melius ſentientium judicio ſimpliciter proponam.

3. Prudentiæ ſpecies.

Prudentia eſt, alia publica, alia privata. Propria, & aliena. Innata, & acquiſita. Togata, & militaris. quarum ſingulæ alias ſub ſe ſpecies, ſeu functiones habent.

4. Politia.

Prudentia publica eſt, quæ circa Rempublic. occupatur, quam nos Veram Rationem ſtatus appellamus, alij Politiam vocant, & docet modum gubernandi, augendi, & conſervandi Rempublic.

5. Prudentia privata. propria. aliena. innata. acquiſita.

Privata eſt, qua quilibet ſuo commodo vtitur, & maximè in œconomia conſiſtit. Prudentia propria eſt, quam Princeps, conſiliarius, aut quiſcunque vir bonus in ſe ipſo habet. Aliena, quam princeps, vel magiſtratus à fidis conſiliarijs, vel miniſtris quaſi mutuatam accipit. Innata prudentia eſt, illorum, quos Deus, & natura excellenti armarunt ingenio; Acquiſita, quæ multo ſtudio & vſu parta eſt. Togata prudentia eſt, quæ in pace Rempublic. moderatur. Militaris, quæ bellis ad pacem benè præeſt.

6. Humanum genus vivit paucis.

Hanc virtutem omnes laudant, & in ſummo pretio habent, pauci conſequuntur. Quòmodo verò Prudentiam Princeps Chriſtianus acquirere poſſit, hæc mihi potiora occurrunt media.

7. Media ad prudentiam. Timor Domini initium ſapientiæ.

Primum medium eſt, Timor Domini. quia ille initium eſt omnis ſapientiæ, ſine quo omnis hominis prudentia, vanitas eſt, & ſtultitia. Timorem autem Dei habebit Princeps, ſi illum purè amet; quia amor foras mittit Timorem. Si Deum D. ſuum verè amat, non offendet; ſi non offendit, ex virtute rectè vivet. in quo ſita eſt perfectio humanæ prudentiæ. Et amorem Dei excitabit Princeps, ſi proprium ſtatum & Dei immenſam Maieſtatem ſtudeat cognoſcere. In hoc ſancto ſtudio intelliget, quod omnia bona, vita, imperium, honor, po-

teſtas,

teſtas, virtus, ſalus à Deo ſunt, & inde cum Salomone in
ſpiritu humilitatis petet à Deo D. ſuo ſapientiam, qua 8. Prudentia à Deo petenda.
ſe, & populum ſibi concreditum in via veræ virtutis, &
ſalutis dirigere poſſit. Petijt Salomon, & obtinuit. Pe-
tat Princeps Chriſtianus, non fruſtrabitur. Idem vivit
Deus, æquè omnipotens, & liberalis. non negabit virtu-
tem rogatus, qui imperium dedit gratis*. Hoc medium
fundamentale omnis ſapientiæ non ſuadent athei, Poli- 9. Politici Deū ignorant.
tici, quia Deum eſſe nolunt, & in ſpiritu ſuperbiæ omnia
humanæ ſuæ prudentiæ tribuunt.

Poſt hoc divinum medium, eſt aliud, quo pruden- 10. 2. Medium ad prudentiam eſt ſcientia.
tia comparatur, Doctrina, ſive ſcientia. Et licet Princeps
vt plurimum ob imminentia negotia publica à gravio-
ribus ſtudijs, & perfectione ſcientiarum impediatur;
optarem tamen Principis Chriſtiani juventutem quan-
tum fieri poſſet maximè, in ſcientijs exerceri. Si non
poſſit eſſe ſubtilis Philoſophus, aut omninò profundus
Theologus, vel Juriſperitus, de ſingulis tamen ſcientijs
optima delibet, & colligat. quod facilè aſſequetur, ſi vi-
ros doctos lubens audiat, legat, in dubijs conſulat. Geo-
graphiam, quæ & gratum, & facile ſtudium eſt, Principi 11. Geographia quare principi vtilis.
maximè commendo; quia indecorum videtur, vt qui
orbem regit, ejus ſitum non intelligat. Deinde, quia
ſine Geographia ingrata eſt, & infructuoſa lectio hiſto-
ricæ. Tum etiam, quia per Geographiam conſtitutio
totius vniverſi, partium diviſiones, maris ſpatia, inſulæ,
regionum diverſitas, & quæ regna confinia ſunt, addiſci-
tur. quæ principi non minus jucunda, quàm ſcitu ne-
ceſſaria ſunt. In genere ſuadetur Principi ſcientia, quia 12. Scientia eſt via ad prudentiam.
Deus ad acuendum ingenium humanum per ſcientias
ducit ad Prudentiam; quæ cum Principi neceſſaria ſit,
etiam ſcientiæ, ſi propriæ deſint in alijs venerandæ ſunt.

13. Historia medium ad prudentiam. Tertium medium ad prudentiam est lectio historiarum. quia historia Principi tanquam in speculo ad vivum exprimit, quomodo Deus regibus regna concedat, auferat; quomodo bonos, pios, & humiles exaltat: malos, & superbos deprimit. 14. Historiæ vtilitas. Historia declarat omnium regnorum, & rerumpubl. principia, media, cursum, finem, interitum, & admirabiles conversiones. quæ singula si Princeps cum suis causis, & circumstantijs legendo sibi ob oculos statuat, habet in quo virtutem, pietatem, & fortitudinem æmuletur; habet etiam horrenda exempla, quæ à vitijs retrahere possunt. 15. Historiæ fructus. Ex historia sacra, & profana discit Princeps omnium Regum, & sapientum mundi prudentiam: exterorum mores, & ingenia, vicinorum potentiam; suorum prædecessorum errores, & defectus. Historia hostiles dolos manifestat, insidias exponit, consilia gratis communicat, vt quod imitetur, & fugiat, legenti historias deesse non possit. 16. Rex suum statum nosse debet. Si Princeps multæ lectioni vacare nequeat, ad minus hoc agat, vt suarum provinciarum statum, vires, inclinationes perfectissimè cognoscat, & sapientum relatione fideli sæpius vtatur.

17. Medium ad prudentiam est experientia. Quartum medium est vsus, seu experientia, rerum Magistra, scientiarum perfectio. quam Princeps inter Labores, & diversos casus imperando acquirit. egregia est hæc ad prudentiam via, quia semper præsens est, & propriæ certitudini inhæret. 18. Experientia est sera prudentia. Et quia serius obtinetur, curabit Princeps, vt viros bonos à pietate, & multa experientia conspicuos in aula, & consilijs veneretur, qui tarditatis propriæ experientiæ vices feliciter suppleant. 19. Princeps debet interesse consilijs. Si autẽ Princeps labores fugiat, onus imperij ministris imponat, consilijs nõ intersit, & non nisi ab eventu adversa sentiat, sine honore pro statua obscurus serviet, non regnabit.

Solent

Solent Politici hoc loco peregrinationes Principi ſuadere. non improbo conſilium, ſed non puto ſimpliciter neceſſarium. quia per Geographiam, & hiſtorias certior de ſitu, & moribus regionum, prudentia comparatur. habent itinera ſuas difficultates, impedimenta, & pericula: non omnes in melius animum mutant, qui trans mare currunt. Si tamen Princeps poſt ſcientiam Geographicam, & hiſtorias ſuas, & aliorum regiones ſine periculo perluſtrare poſſit, non parum lucis prudentiæ ſuæ accumulabit. 14. Peregrinationes quid proſint.

Hæc mihi videntur præcipua media, quibus ad prudentiam generalem aditus aperitur. Qui alia ſupernaturalia media in fato neceſſitante, vel fortunæ impetu, vel aſtutiâ humana, vel in ſecretioribus cum Dæmone pactis principibus proponere audent, impoſtores ſunt, & Reipubl. Chriſtianæ proditores, vt in ſequenti quæſtione patebit.

PVNCTVM III.

An Politicorum Ratio Status ſit vera prudentia?

DIximus in ſuperioribus, in quo Politici ſummam prudentiæ ſuæ, & ſecretum Idoli Rationem Status conſtituant. nimirum in Fato, in fortuna, in aſtutia humana, in dolo, in fictione virtutum, & religionis, in verſuta diſſimulatione, in hypocriſi, & ſtudioſa in omnes eventus mutatione. Jam quæſtio oritur, an hæ ſubtilitates veræ prudentiæ nomen mereantur? Pro parte affirmativa eſt, communis opinio omnium ſapientum mundi, qui apud Gentiles, Judæos, Chriſtianos, Catholicos, & hæro-

1. Idoli ſecretu.

Argum. 1. affirmativum.

2. Ratio status est vera prudentia.

& hæreticos hanc Politicorum formam regendi Rempublic. optimam & convenientissimam existimarunt, & ipso facto adhuc vbique comprobant. ergo sine offensione veræ prudentiæ nomen illi negari non potest.

Argum. 2.

Secundò, quia experientia continuata constat per Rationem Status Politicorum, Rempublicam feliciter administrari. cum itaq; ad hoc maxima requiratur prudentia, malè de illa dubitatur, quæ in actu eminere videtur.

Argum. 3.

Tertiò. Si Politicorum Ratio Status non esset vera prudentia. ipsi Summi Pontifices, Reges, & Respublic. Catholicorum Christianorum illam non sequerentur. Sequuntur autem plenis velis. ergo vt prudentiam approbant.

Pro parte negativa quod Politicorum Ratio Status non sit vera prudentia. hæc militant argumenta.

3. Ratio status non est prudentia.

Primum, quia Ratio Status Politicorum non est virtus. ergo nec Prudentia vera. Antecedens probatur, docet fallere, & fingere, & non est bona qualitas mentis. ergo non est virtus.

Argum. 2. 4. Ratio status nutrit vitium.

Secundum argumentum. Ratio Status fundatur in humana Sapientia, non est donum Dei, nutrit vitium; ergo nec virtus est, nec vera prudentia.

Argum. 3.

Tertium argumentum. Vera prudentia non offendit leges divinas, & humanas, charitatis, & justitiæ. hoc autem facit Ratio Status Politicorum: ergo illa non est vera prudentia. Minor probatur, quia in dolo, quem exercet, realis est offensio.

Conclusio quæstionis.

Cum hac parte negativa concludimus nihil hæsitantes, Politicorum Rationem Status non esse veram prudentiam. quia cum vitia foveat, à Deo non est, qui virtutum Dominus est.

Quod

Quod vitia foveat, clarum eſt ab effectibus. de qui- 5. Deſcriptio Falſæ rationis ſtatus ab effectibus.
bus ſic ſcribit S. Gregor. Mundi ſapientia eſt, cor machi-
nationibus tegere, ſenſum verbis velare; quæ falſa ſunt,
vera oſtendere; quæ vera ſunt, falſa demonſtrare. hæc
prudentia vſu à juvenibus ſcitur; hæc à pueris precio
diſcitur; hanc qui ſciunt, cæteros deſpiciendo ſuperbi-
unt; hanc qui neſciunt, timidi in alijs mirantur: quia ab
eis hæc eadem duplicitatis iniquitas nomine palliata di-
ligitur, dum mentis perverſitas, vrbanitas vocatur; hæc
ſibi obſequentibus præcipit honorum culmina quæ-
rere, adepta temporalis gloriæ vanitate gaudere; irro-
gata ab alijs mala multiplicius reddere; cum vires ſup-
petunt, nullis reſiſtentibus cedere; cum virtutis poſſibi-
litas deeſt, quicquid explere per malitiam non valent,
hoc in pacifica bonitate ſimulare. Quæ ſingula, ſi ritè
conſiderentur egregia nutriunt peccata. ſic ſecurè judi-
cat Eccleſia. Si negent ſe talia docere. dicant, quid aliud
profiteantur. opera produnt. Si verò Politicis hypo-
criſis, dolus, ſimulatio, vana gloria, & aliæ ipſorum pro- 6. Politicorum effugia ad virtutes.
prietates non ſunt vitia, & peccata, dicant, obſecro, quid
ſint? an virtutes? ſi virtutes. quid ergo ipſis eſt veritas,
candor, humilitas? an vitia? Audi aſtutiam humanam.
medium invenit. proprietates Politicorum prudentiam
vocat, & juſtorum candorem ſimplicitatem. Sed non
ſufficit hoc effugium. ideo quæro, an iſta prudentia, vir-
tus? & ſimplicitas vitium ſit? Hic de neceſſitate reſpon-
dent Politici, ſuam Prudentiam eſſe virtutem, juſtorum 7. Politicorum vanitas.
ſimplicitatem eſſe vitium, & ſtultitiam. Erubeſco de
malitia. Sepulchrum patens eſt guttur eorum. Judica
illos Deus. Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. 8. Politici hypocriſin faciunt virtutem.
abominatio eſt tibi, æterna veritas, omnis illuſio, & hy-
pocriſis. quomodo ergo à Politicis virtus dicitur? at-

tende. dicit insipiens in corde suo, non est Deus. & ideò
fingit sibi propriam felicitatem, proprias virtutes, & sin-
gulare judicium. Sed ridebit Deus in interitu illius.

Quod insuper diximus in conclusione, Rationem
9. Falsa ratio status non est à Deo. Status Politicorum non esse à Deo, sequitur ex præce-
dentibus, quia non est virtus, quæ sola à Deo tanquam
ex fonte derivatur, & quia Ratio Status non est virtus,
etiam vera prudentia esse non potest. quod erat proban-
dum. Vt exemplo res fiat clarior, Proponitur in facto,
10. Exemplum Rationis status. duos Christianos, & quidem Catholicos reges vicinos
pacem certis conditionibus constitutam, & fide data
verbo, scripto, juramento confirmatam habere. alterum
vero, quod videat suum vicinum prosperare, novas pro-
vincias, regna, potentiam, & divitias acquirere, vnde sibi
11. Politicorum perfidia. pericula immineant, à Politicis consilia Rationis Status
postulare. Illos desuper respondere, si regnum, & se sal-
vum velit, hoc agat, vt omni arte, & modo per se, vel per
alios laboret cursum prosperitatis ejus impedire, cujus
potentiam sibi aliquando exitio futuram prævidet,
quod consequetur, si per indirectum illi novos, & po-
tentes hostes conciliet, rebelles foveat, factiones nutriat,
cum hostibus se fœdere jungat, illis auxilia ferat, diversa
bella procuret, in suo regno instructum exercitum alat,
qui suspicionem moveat, atque ita in pluribus occupa-
tas vires quocunque modo extenuet, donec communi
confœderatorum auxilio ipsum expugnari posse co-
gnoscat, & tunc aperto Marte conjunctis viribus illum
aggrediatur. Si autem pacificus, & otiosus spectator sit,
fore, vt vicinus potentior paulatim suos hostes, & rebel-
les in ordinem redigat, & sic imparatum invadat. quod
12. Idoli consilia impia. sine periculo ruinæ vix accidere possit. Si rex ille Ca-
tholicus Politicis alleget pacis vincula, fidem datam, re-
ligio-

ligionis ejuſdem profeſſionem, ſanguinis cognationem, vel affinitatem; jura divina, & humana non permittere ſub oſculo pacis tales hoſtilitates in non offendentem vicinum, regem exercere. reſpondent illi ſummam eſſe rationem, quæ pro imperio facit. neceſſitatem conſer-
vationis non alligari legibus. nunquam deeſſe excuſa- 13. Politicorum ſecreta.
tiones ad effugiendum. plus valere regnum, quàm fidem. Stultum eſſe potentiori confidere. Stultius hoſtis potentiam quieſcendo augere. Stultiſſimum ſub pacis ſpecie regnum amittere.

Similia conſulunt Politici, & Rationem Status vocant, jam quæritur, an hæc conſilia, & Ratio Status ſint vera prudentia, nec ne?

Reſponderi poteſt. Si Politicorum hæc conſilia ſecundum Deum conſiderentur eſſe abominationes. Si
ad leges reducantur, eſſe contra omnia religionis, fidei, 14. Politicorum conſilia quare non ſint vera prudentia.
ſanguinis jura divina, & humana. Si ad examen rectæ rationis veniant, pro vitijs æſtimari: & ideo veræ prudentiæ nomen non mereri. Quod egregiè confirmatur
ex eo, quod Salomon totius mundi judicio hominum 15. Salomon non accepit ſapientiam politicorum.
ſapientiſſimus talem Politicorum prudentiam à Deo non acceperit, in regno ſuo non exercuerit, ſed vt meram vanitatem, & ſtultitiam rejecerit. quando verò relicto timore veri Dei, & vera ſapientia poſt mores Gentium abijt, Idola coluit, quod tunc multis adverſitatibus afflictus fuerit, & regnum in hæredes non tranſtulerit.
ita vt quod illi vera ſapientia, virtus à Deo data, ſumma 16. Salomon exemplum veræ, & falſæ Rationis ſtatus.
cum gloria, & felicitate tribuit, hoc eidem mundi prudentia per infinitas miſerias abſtulerit: Vnde dubitari non poteſt, Salomonis ſapientiam, quam à Spiritu S. hauſerat, & ſecundum quam regnum ſuum infeliciſſimum ſtatum glorioſus evexerat, veram prudentiam fu-

isse; assumpta vero Gentium consilia, quibus adhærens omnem gloriam, & felicitatem amisit, ut vanitatem damnandam esse. Tulit sententiam, factus ipse infelix exemplum.

17. Gentiles prudentiores politicis.

Confirmatur ulterius, quia ipsi Gentiles nunquam prudentiam existimarunt, quod Deorum suorum decretis adversaretur, cum omnia sua juxta deorum Oracula dirigerent. ergo etiam Christianis non erit vera prudentia, quæ non solum contra Deum verum, sed suprà eundem ponit, & suæ vanitatis extollit consilia. hoc autem faciunt Politici, & Ratio Status. ergo veram prudentiam non habent. Assumptum probatur, quia Deus D. N. creator, & conservator omnium præcipit charitatem, fidem servare, dolum fugere: Politici docent contrarium. Deus posuit leges regibus, rationis terminos statuit, ultra quos homo sapere non debeat; Politici os in cœlum ponunt, suprà modum sapere contendunt, & divina consilia transcendunt. Quia Rationem status Deo, & justitiæ ejus præferunt. ergo & contra, & supra Deum prudentes sunt. Quod Rationem Status supra Deum extollant Politici, in superius allato duorum regum exemplo clarum est. quia etiamsi Politici sciant, quæ suo regi supradicto modo consulunt, esse contra Deum, & Leges justitiæ, tamen pertinaciter suadent, eò, quod ratio status sic exigat. præfertur ergo Ratio status Deo. Est itaque Ratio status Politicis plus, quàm Deus, regibus, Idolum, stultis prudentia; sapienti, vanitas; horror omnibus bonis.

18. Politici contra, & supra Deum.

19. Politici Deũ contemnunt. Rationem status Deo præferunt.

20. Rationis status insignia.

Solutio arg. 1. affirmativi.

Transeamus ad argumenta Politicorum dissolvenda. Ad primum respondetur: Benè asseri communem esse opinionem sapientum mundi, non autem eorum, qui secundum Deum in vera virtute sapientes sunt; quia hi Poli-

21. Politici sunt vel Athei, vel pii ut fingunt.

hi Politicorum prudentiam, vanitatem indigetant. Et quando Christiani Politicorum consilia contra Deum, & leges imitantur, tunc illos vehementer à suis Principijs aberrare, & cum Gentilibus delirare. Vide ea, quæ de vera ratione status dicta sunt.

Solutio arg. 2.

Ad secundum argumentum, Respondetur. ex historijs per continuatam experientiam constare, plurima regna per Rationem status Politicorum administrari, sed non feliciter. 22. Politicorum regna infelicia. Et si non feliciter, quomodo prudenter? si dicant regna etiam feliciter administrari, ostendant vnum, & declarent, in quo felicitatem constituant. sit exemplum.

Quæritur à Christiano, & Catholico rege: vt Gentiles prætereamus: qui consilia Politicorum, & Rationem status sequitur, an se feliciorem, potentiorem, in 23. Ratio status falsa non dat felicitatem. pacis dulcedine securiorem, in hoc statu deprehendat, quam erat quando Dei, & Ecclesiæ sanctæ mandatis inhærebat, & in corde recto ambulabat? an sibi æternam salutem promittat? si dicat primum. sit instantia, an rex ille longa pace, & felicitate vsus sit? an diuturnam speret? si affirmat vtrumque. monetur à Christiano, felicitatem illam temporalem, privatione æternę salutis compensari solere, & pauco tempore durare, vt æternùm cruciet. Deinde non credit Christianus talem Regem veram felicitatem temporalem cum Ratione status consequi; quia dum illud Idolum sequitur, morsu durissimo malæ conscientiæ continuo torquetur: sicut ad speciem se amicum, & religiosum fingit; ita ad speciem felix est. 24. Pax non est impijs. non est pax impijs. Si dicat secundum, se nimirum, cum ratione status æternam salutem sperare. Dicat à quo? an à Deo, cui rationem status anteponit? cujus mandata contemnit? vana est spes tam malè fundata. Si non

ſperat æternam ſalutem, quare idolum hoc ſequitur, quod nec præſentia, nec æterna largitur? Quare de felicitate gloriatur, quam ne quidem audet ſperare?

Solutio arg. 3.

Ad tertium argumentum reſpondetur. Summos Pontifices, & Catholicos Reges non ſequi Rationem ſtatus Politicorum, ſed eam, quam ſupra veram eſſe deſcripſimus, & hoc ex fundamento, & doctrina ſuæ religionis. Si verò aliquando ſeducantur, hoc per errorem, per aſtutiam, & dolum politicorum fieri. & tunc non minus imprudenter, quàm impiè regnant.

25. Salomonis ſententia.

Concludo cum Salomone, quod vera prudentia, à Deo eſt, & in ejus timore initium habet. reliqua humana vanitas ſunt. audi Apoſtolum. Si quis videtur inter vos ſapiens eſſe in hoc ſeculo, ſtultus fiat, vt ſit ſapiens. Sapientia enim hujus mundi ſtultitia eſt apud Deum. & ideò David orabat liberari ab humana prudentia, dicens. Domine libera animam à labijs iniquis, & à lingua doloſa. Sic vt faciat omnis princeps Chriſtianus, exopto.

26. Sapientia humana eſt ſtultitia.

PVNCTVM IV.

De Conſiliis, Principis Christiani.

INter ſpecies prudentiæ poſuimus Propriam, & Alienam. Illam, vt princeps Chriſtianus in menſura referta à Deo D. N. obtineat, imprecamur; hanc qua ratione ſibi vtilem, & ſalutarem facere poſſit, paucis aperiemus.

1. Prudentia aliena dependet à Conſilijs. Conſiliũ quid ſit. Conſiliarij qui ſint.

Conſiſtit aliena prudentia in Conſilijs, Conſiliarijs, & adminiſtris. de ſingulis videamus. Conſilium eſt congregatio ſelectorũ hominum, qui Principi pacis, & belli tempore quid quavis occaſione agendum, vel omittendum

dum sit, consulunt. Consiliarij sunt, viri boni, & pru- 2. Ministri qui sint.
dentes, qui consilijs adhibentur. Administri, vel offi-
ciales sunt, qui in debita subordinatione vel aulæ, vel
bello, vel provincijs, vel civitatibus præsunt. Horum
trium functiones si Princeps attentè consideret, nihil
magis sibi necessarium inveniet. Cum enim ipse prin- 3. Principes egent consilijs.
ceps sit homo, in sublimi gradu à Deo positus, vt se, &
populum ad præsentem, & æternam felicitatem dirigat,
ex propria fragilitate cognoscit, quàm parum ad tam
immensum munus, & onus sine consilio, & assistentia
bonorum sufficiens sit. & ideò monetur à Spiritu S. ne 4. Spiritus S. docet Principes vti consilijs.
præsumat de propria sapientia. Sed omnia agat cum
consilio. Quoniam qui vtuntur consilijs, sapienter
agunt. qui sibi confidunt, cadunt, & pereunt. Hinc
æterna sapientia quando Judæorum rempublicam fun-
davit, etiamsi Moysi copiosam gratiam spiritus, & sapi- 5. Moyses consilia.
entiæ contulisset, tamen ad regendum illi septuaginta
selectos seniores, quorum consilijs, & officijs vteretur,
addidit. Sic omnes reges, & principes mundi in auxilia
oneris vocarunt quoscunque potuerunt sapientes: & sic
omnem rempublic. & imperia etiamnum gubernari,
evidenter constat.

Consilia ergo regibus necessaria sunt. videamus
nunc, quatenus convenientiori forma constitui possint, 6. Consilia sunt necessaria.
vt ad finem reipubl. Christianæ reges, & populum diri-
gant. Si enim à fine deficiant, mala sunt, & rejicienda.

Arduum hoc opus est, quod prudentioribus lubens
dirigendum relinquo. ego pro simplicitate mea audeo
meo principi Christiano suadere, vt primum consilium 7. Forma consiliorum Theologorum 1.
formet Theologorum. Ratio est, quia maxima cura
principis est, curare suam, & subditorum felicitatem
æternam, cujus viam, & directionem optimè intelligunt

Theo-

Theologi. In hoc consilium princeps, si liber esse velit in conscientia, referet quidquid in rebus fidei, Ecclesiæ, ejusque jurium, & in controversijs religionis suboritur, ne dormiente principe hæreses, & errores introducantur in rempublicam.

Deinde gravissima, & ambigua negotia, in quibus
8. Theologorũ artes in Rep. humana hæsitat prudentia, ex præscripto Dei Theologis decidenda proponet, vt in dubijs semper hoc, quod magis ad Dei gloriam faciat, concludatur.

Tertiò, ad hoc consilium vocabit quæstiones de
9. Belli liciti Ratio à Theologis petenda. bello suscipiendo. quia, cum non omne bellum sit licitum, Theologorum est definire an bellum sit justum, & necessarium ad Ecclesiæ Dei defensionem, & publicam injuriam vlciscendam, aut evertendam.

Quartò, si Princeps Christianus securè velit agere
10. Exactiones Theologis proponendæ. in rebus ærarij, omnes novas, & insolitas exactiones, earumque causas examinandas Consilio proponat Theologorum. Discet enim an, & quantum ab Ecclesiasticis, & subditis exigere possit. certè, parum proficiet, si totum mundum lucretur, animæ autem detrimentum patiatur.

Alterum Consilium sit Politicum, in quo de Ratio-
11. 2. Consilium status, seu secretum. ne status, conservanda & augenda republica, de bello, & pace, & de summis negotijs publicis, & privatis agatur. hoc aliqui propriè, & non malè consilium status; alij secretum, & privatum; alij sanctum vocant. ego, vt apud principem meum sanctum, ad Dei gloriam destinatum sit, cum primis opto, & vt præsente principe habeatur, consulo.

Tertium consilium sit Justitiæ propriè designatum,
12. 3. Consilium justitiæ. in quo de legibus, de jure principis, & privatorum strictissima ratio examinetur. ne lites producantur, ne voluntas

luntas potentioris pro lege admittatur; ne pauperes, & viduæ opprimantur in judicio; ſed omnibus æqualiter ſancta, & incorrupta adminiſtretur Juſtitia.

Quartum conſilium ſit militare, in quo de bello determinato, & neceſſario; de ejus modo, & executione; de ducibus, & militibus; de hoſtium viribus, & inſidijs; de annona, & neceſſitatib. belli conſideratio inſtituenda eſt. De qua re cum ſingularis liber ſubſequatur, ſiſto. 13. 4. Conſilium militare.

Quintum conſilium erit Ærarij, quod Financiarum, & Cameræ nonnulli dicunt. ad hoc referendi ſunt omnes reditus principis, exactiones, vectigalia, ſumptus, tabulæ dati, & accepti, crediti, & debiti, & quidquid rem pecuniariam concernit; cui ædilitiam curam, & publicas vias conjungo. 14. 5. Conſilium ærarij.

Per hæc quinq; conſilia quilibet Princeps pro qualitate ſui ſtatus omnes occurrentes quæſtiones commodè definire poterit, ſi eiſdem decenti ordine vtatur. quod vt clarius pateat, hanc quæſtionem, an bellum ſit ſuſcipiendum? per quinque Conſilia propoſita deducam, & de ſingulis vnum exemplum afferam.

Modus agendi, & conſultandi ſuper quæſtione mota de bello ſuſcipiendo, pro ſecuritate Principis Chriſtiani hic erit, ſi audiat Conſilia. Conſilium primum Theologorum examinabit bellum, an defenſivum ſit, vel offenſivum: an proprium, vel auxiliare: an in provincia, vel extra eandem gerendum ſit. Si defenſivum, an data hoſti cauſa? an omnia conſilia pacis ſint tentata? an defenſio ſit poſſibilis? an hoſtis nimis potens, vel hæreticus? an pro Deo, religione, & juſtitia neceſſariò ſuſcipiatur? 15. Modus vtendi 5. conſilijs. 16. Belli requiſita.

Si hæ conditiones deficiant, Theologi bellum ſuadere non poſſunt. non enim ſufficit defenſionem eſſe juris naturalis, quia quæ injuſtè habentur, quæ contra 17. Defenſio non licita.

Deum & religionem faciunt, malè defenduntur. præstat pauca injusta deserere, quàm vniversum statum potentiori in prædam exponere. Si bellum sit offensivum, requiret Theologus causam omninò justam, & necessariam, hæc si desit, dissuadet. Si proprium sit futurum, Theologi Principi pericula, incertos eventus, damna Ecclesiæ, excessus militares, peccata enormia, quæ bella comitantur, fideliter exponent, & quo modo de omnibus Deo respondere teneatur ostendent. Si bellum sit auxiliare, nunquam Christiano suadere poterunt, vt hæreticis contra Catholicos consilio, armis, apertè, vel occultè subveniat. Si bellum in provincia propria sit gerendum, non nisi in defensionem necessitatis extremæ consentiet Theologus. Quod extra provinciam tentatur bellum, vt offensionem præse fert, ita jure divino prohibitum est, nisi inevitabilis causa pro Ecclesia Dei id ipsum requirat. Ex hoc videt princeps Christianus non sufficere ad bellum insanos amores, animi passiones, ambitiones regnandi, aut injuriarum vindictam, sed ex Theologorũ consilio nullum prorsus bellum suscipi posse, nisi quod simpliciter necessarium sit, & simul justissimum.

18. Consilia Theologorũ.

19. Reges Catholici observent suas actiones cum hæreticis auxilia ferunt.

20. Bellum sola necessitas concedit.

Audiamus consilij Politici votum in nostra quæstione, an bellum suscipiendum? Si princeps consulat Politicos atheos, aut tales in consilia admittat, dicent omne bellum esse licitum, & necessarium, quod pro conservatione, vel augmento status faciat; nec auxiliare esse negligendum, si hostem metuendum enervet; non esse attendendam religionem, quando status periclitatur. Si vero Politicos Christianos adhibeat, respondebunt ex vera Ratione status, non prius in bona conscientia geri bellum, quàm à Theologis decretum fuerit

21. Votum consilij sancti De bello.

22. Atheorum consilia de bello.

omninò

omninò neceſſarium; à Juriſperitis juſtum; à Politicis honeſtum; à Cameralibus poſſibile; à Militibus facile.

De juſtitia belli ſecurus erit Princeps, ſi tertij con- 23. Votum Juriſperitorum.
ſilij decreta poſtulet. Gravis debet eſſe cauſa, quæ bel-
lum, omnium malorum originem, juſtum pronunciet. 24. Votum militare.
Ex quarto Conſilio intelliget Princeps vires proprias, & auxilia, hoſtis qualitates, & potentiam, ducum, & militum diſpoſitionem, & experientiam, an cum novitijs contra veteranos ſit pugnandum, an regiones, civitates, munitiones à natura, aquis, & arte fortiores ſint, quàm facilè expugnari poſſint, an defenſio ſufficiens, vel offenſio vtilis.

Hæc ſi non prius benè conſideret, Princeps facilè 25. Milites exequi debent decreta.
in bellum ſeducetur, ægrè admodum ad honeſtam, vtilemque pacem perveniet. non credet militi cauſam, ſed executionem belli.

Quintum conſilium reducet propoſitam de bello 26. Votum Camerale.
quæſtionem ad vires ærarij, examinando theſauros, reditus, exactiones, annonam, impedimenta bellica, cur-
rus, equos, viros: an ſumptus ex proprijs haberi poſſint, 27. Ira eſt vana ſine viribus.
an ab alijs ſperari debeant; an, ſi bellum in annos ſit continuandum: quod in voluntate hoſtis eſſe ſolet, ærarium ſufficiat; an tempore belli defenſivi provinciæ aliquid præſtare valeant Principi, vel in offenſivo exercitum alere. Si præſides Cameræ defectum prævideant, malè in bellum ruit princeps, cui vires ad rem benè gerendam non ſuppetunt. vana eſt ſine viribus ira. Ex hac deductione Princeps cognoſcet vtilitatem Conſiliorum, ſi quod monet Spiritus Sanctus, illis ritè vtatur. Aſſu-
mamus nunc aliam quæſtionem. Secundo conſilio Po- 28. An multa prohibita, licita fiant per rationem ſtatus?
litico propriam, & quidem hanc eximiam. An multa licita ſint Ratione ſtatus, quæ alias prohibita ſunt?

29. Votum Theologorum de politicis.

Si Princeps Christianus primam curam conscientiæ habeat, & salutis æternæ, discet ex primo Theologorum consilio, hoc axioma Politicorum esse omninò impium. quia extollit Rationem status supra mandata Dei, & jura honestatis humanæ.

30. Summa ratio est, quæ pro Dei gloria facit.

Non est Christianis summa ratio, quæ pro republic. sed quæ pro Dei gloria facit. Impiè nimis præfertur Deo Optimo Max. hoc figmentum diabolicum, quod nominare horrorem inducit.

31. Votum sanctum seu secretum.

Si Politicorum Consilia accedat, audiet ab atheis speciosè confirmari præfatum axioma. Si Christianos Politicos consulat, dicent, sequendam esse Theologorum sententiam. Rationem status veram nihil facere licitum, quod contra Deum tendat: Falsam, quæ hoc suadeat, esse damnandam. Non posse dici Consilium sanctum, in quo falsa Ratio status Deo, hoc est, humana prudens impietas divinæ sapientiæ damnato judicio præferatur.

32. Regum obligatio.

Juravit Princeps Christianus in præcepta Dei D. N. quomodo ergo violabit fidem datam, ut Idolo tam fœdo serviat? Terribilis est, qui auferet spiritum Principum talia facientium.

33. Votum Iurisperitorum de politicis.

Ex tertio Jurisperitorum Consilio videbit Princeps, nullam esse legem, quæ statuat de abominabili ista axiomatis licentia. imò per hoc omnia jura, & per consequens omnem rempublic. subverti: omnia scelera, violentas oppressiones, & injurias per Rationem status excusari, nec ullum justitiæ locum concedi.

34. Deus judex, non Ratio status.

Crede Princeps, non Ratio status, sed Deus justus Judex est. Si contendis judicio, numerabit, appendet, & dividet te à regno, qui te creavit, conservavit, & regni honore decoravit. pudeat Christianum tam injusta audire, ne dum sentire. Judicia Dei sunt in se justificata. erronea sunt hominum vana consilia.

In quarto Conſilio militari clamabunt fideles nullam ſperari victoriam, vbi Ratio ſtatus falſa de juſtitia belli decernat; in bello non licere bis peccare, contra militaris diſciplinæ ſeveram juſtitiam, multò minus ſequi Rationem ſtatus prohibitam, juſtitiam evertentem. non faciet licitum Ratio ſtatus, quod Deus & juſtitia prohibent. arma pro legibus aſſumenda.

35. Votum militare.

36. Arma pro legibus aſſumenda.

Si ex quinto Conſilio quæſtio reſolvatur, intelliget princeps omnes inventiones novas, & injuſtas, ad augendos theſauros magis obeſſe, quàm prodeſſe; nec ſufficere Rationem ſtatus hoc requirere, quod Dei præceptis, & juſtitiæ legibus adverſatur. quia non eſt vtilitas vera cum injuſtitia. Si Ratio ſtatus ſuadet illicitum vtile, exinde nihil vix divitiarum, Princeps in manibus evigilans inveniet. Solam ſervitutem peccati lucratur, qui ex Ratione ſtatus diteſcere conatur.

37. Votum Camerale de politicis.

38. Ratio ſtatus non ditat.

Videt ergo Princeps Chriſtianus ex auditis Conſilijs, magnum hoc politicorum arcanum. multa prohibita Ratione ſtatus licere. eſſe Theologis impium, Politicis Chriſtianis damnandum, Juriſconſultis iniquiſſimum, militibus ſuſpectum, & quæſtoribus inutile. Vnde ſi ſapit, prudenter concludet, nihil eſſe licitum Principi, niſi quod pium, honeſtum, juſtum, & ſecurum ſit, legibuſque ad vtilitatem permiſſum. In hunc ferè modum omnes difficultates ſubortas Princeps ſervata ſubordinatione per Conſilia deducere, & in ſancto, ſeu ſecreto (quod reliqua dirigit) definire poterit. Sic Spiritus Sanctus monet, ſic hortatur Eccleſiæ, ſic vera ſapientia docet, ſic vt agat meus Princeps, exopto.

39. Politica impietas.

40. Quid verè ſit vtile.

PVNCTVM V.

De Consiliariis, & administris Principis.

ACtum est de consilijs, jam de consiliarijs videndum. Equidem quando magnorum Politicorum scripta considero quàm sancta circa qualitates, & electionem Consiliariorum consulunt, superfluum mihi videtur aures Principis mei repetitis verbis defatigare: quia verò Idoli arcanum maximè hic suas vires exerit, & intendit, dicam pro cautione, quod sentio. In Consiliario requiro super omnes qualitates, vt sit vir bonus, timens Deum, ejusdem cum suo Principe religionis, probatæ vitæ, & bonæ conscientiæ. Rationes sunt; quia timenti Deum omnia cooperantur in bonum. abundantia gratiæ divinæ timentibus promissa est. timor domini fundamentum est veræ sapientiæ. qui non timet Deum, facilè offendit: qui autem Deum suum negligit, vtiq; facilius hominem, principem suum lædere conabitur. Pergo, qui alienæ est à suo Principe religionis, diversum etiam habet propositum sibi finem, & ad eundem diversa media, & animum; & per consequens sana consilia subministrare non potest. Similiter si versutias omnium sapientum quis habere videatur, vita autem impurior animi corruptionem prodat, omninò negligendus est. Sic non sufficit identitas religionis, aut vita exterius ad speciem probitatis efficta, nisi bonæ conscientiæ reale testimonium consiliarium commendet. Ecclesiastici est sententia, quod animus viri sancti melius enunciat vera, quàm septem circumspectores sedentes in excelso ad speculandum. ergo cum timore Dei,

1. Consiliarij qualitates.

2. Sapientia, Timor Dei.

3. Consiliarius ejusdem religionis cum suo principe.

4. Vir sanctus optimus consiliarius.

Dei, in vera religione probatam vitam, & bonam conſcientiam in Conſiliario non malè deſidero.

Altera qualitas Conſiliarij, quem Principi Chriſtiano eligendum deſigno, eſt, actualis per ſcientias, & lon- 5. Conſiliarij prudentia. gam experientiam ſuæ profeſſionis comparata prudentia. qua, ſi quis careat, neſcio quid ſani ſuppeditare poſſit. non eſt prudentia ſine vera virtute, nec virtus ſine prudentia.

Tertia qualitas eſt fidelitas Conſiliarij. niſi enim Principem ſuum ſyncerè diligat, ejus honori, & vtilitati 6. Conſiliarij fidelitas. proprios affectus, & emolumenta poſtponat, imò gloriam, & ſalutem, vt ſuam intendat, parvi facienda eſt omnis alia capacitas, & induſtria. quia multum eſt, vt fidelis quis in actionibus, & conſilijs inveniatur.

Alias qualitates de ætate, de natalibus, de fama, de natione, de vitijs, de moribus aliiſq; circumſtantijs non attingo. quia abundè ſatis ab alijs enarrantur. Super- Arg. 1. quare. eſt difficultas, an Princeps Chriſtianus in conſilia admit- 7. Politici aſſumendi in conſiliarios. tere debeat Politicos, quos vocant atheos? Et quidem ſi mores mundi ſpectemus, dicendum erit, Principem poſſe, & debere adhibere rebus gerendis Conſiliarios Politicos non attenta religione, aut propria virtute, modo de illorum prudentia ſatis conſtet. Primò quia omnes ferè Argum. 2. principes mundi ſic ſentiunt, & faciunt. Secundò, quia per calliditatem Politicorum Princeps poſſit aliorum verſutijs obviare. Tertiò, quia prudentiores ſunt filij Argum. 3. hujus ſæculi filijs lucis. Quartò, quia nec religio, nec Argum. 4. virtus perſonalis faciunt ad conſilia reipub. benè adminiſtrandæ, cum illa extra conſulentem in rem omninò aliam ferantur. Ergo Politici, qui de Arcanis vocantur, 8. Idoli dolus. ex ſchola Idoli noſtri in conſilia principum adhiberi debent. ſic blandiuntur ſibi principes, qui ruinam amant.

Non

Non sic Spiritus Sanctus neque hoc sentit vera ratio status, sed planè contrarium; nimirum principem Christianum nullo modo posse, aut debere atheos Politicos in Consilia vocare, si conscientiam, & honorem illæsum conservare velit. Ratio est, quam in superioribus declaravimus; quia consilia talium Politicorum in sola humana prudentia vanum habent fundamentum. sine Deo sunt, sine vera ratione, & virtute rerum species fingunt. sine religione pia esse volunt, supra Deum sese extollunt; & dum omnia dissimulare docent, nihil solidi comprehendunt. ergo sine læsione gloriæ Dei, & conscientiæ, hæc Idoli pestis in sancta consilia admitti non debet. vtinam hoc intelligant,& sequantur omnes Christiani Principes. quod, vt ex votis intimis facilius assequantur, argumenta dissolvo.

9. Politici Athei quare in consilia non admittendi.

Solutio arg. 1.

Ad primum respondetur, non omnes Principes assumere sibi Politicos atheos, quotquot autem hoc destinata voluntate faciunt, proximos esse ruinæ, & graviter errare; si verò sub specie recti in tales Consiliarios inciderint,tunc illos blandè dimittendos esse. Non sequetur Princeps Christianus malè regnantes, sed Dei D. N. mandatis, & legibus insistentes.

10. Politici rejiciendi à consilijs.

Solutio arg. 2.

Ad secundum argumentum respondetur, non per Beelzebub ejici dæmonia; nec malum in malo, sed in bono vinci debere. Astutijs, & fictionibus Politicorum solidam in Deo, & virtute opponendam esse prudentiam. non per vias peccati destruitur regnum mundi, neque ars eluditur nisi arte bona.

11. Malum in bono vincitur.

Solutio arg. 3.

Ad tertium argumentum respondetur, filios seculi prudentiores, & diligentiores esse in sua vana gloria, & divitijs acquirendis,quam sint filij lucis in æternis bonis comparandis. vnde hi à Spiritu Sancto arguuntur de negli-

negligentia; illi non laudantur, vt boni ipſos imitentur in fine, ſed in medijs ad finem felicitatis æternæ. non ergo ſequitur, filij ſeculi ſunt prudentes ad honores, & opes. ergo præferendi ſunt in conſilijs Principum. valet autem hæc conſequentia. ſi filij ſeculi prudentes, & diligentes ſunt ad inanem ſuam gloriam. ergo filij lucis meritò diligentiores erunt ad æterna bona congreganda. Miſera eſt prudentia, quæ terrenum mox periturum habet objectum. 12. Prudentia ſeculi.

Ad quartum reſpondetur, æternam veritatem ipſum Deum D.N. hoc impietatis argumentum diſſolvere, cum dicit. non producit fructus bonos arbor mala. ſic atheus, qui nec Deum, nec religionem habet, virtutes fingit; nihil ſanctum, nihil ſolidum, nihil verè honeſtum ſuadebit. aut ergo Princeps Chriſtianus rempubl. ſibi commiſſam ſine Deo, ſine religione, ſine vera virtute adminiſtrari poſſe exiſtimat: aut talia conſulentes non admittit. ſi primum intendit, deſinit eſſe Chriſtianus; ſi alterum non faciat, ruit cum conſultore ad interitum æternum. Solutio arg. 4. 13. Politici mali Conſiliarij.

Ex his non obſcurè intelligit meus Princeps Chriſtianus quanta cura pro ſingulis conſilijs debeat eligere Conſiliarios. quia ex hoc judicabitur à Deo, & hominibus ſi conſilijs ſuis & officijs pios, prudentes, fideles, juſtos, doctos, expertos, ſeniores, fama integra conſpicuos, & dignos viros præficiat. Solent enim ſubditi, & exteri oculos in conſiliarios, & adminiſtros principum conjicere, & ex illorum qualitatibus de ipſo principe, de republ. de ſalute publica, & privata judicare. ita vt ſi videant Eccleſiæ inſignes pietate Doctores, & Paſtores præpoſitos eſſe; ſi ſanctiori conſilio, Directorio vniverſali nobiliſſimos heroes, viros graves, ab experientia, & ſci- 14. Electio Conſiliarij probat principis prudentiam. 15. Conſilij forma.

 entia,

entia, dignitate prælucentes adhiberi: si justitiam Jurisperitis incorruptis committi; si ad bellum seniores, pro consilijs, & directione; juniores pro executione constitui; & ærario bonæ conscientiæ viros peritos, & æconomos præesse, omnes subditi spem rei benè gerendæ concipiunt; inde, quod summè optandum: Principem suum syncerè ament, filiali observantia offendere timeant, colant, & venerentur. exteri verò cum regina Sabæ vt Salomonem supra famam laudent, & hostes de prudentia extimescant. Si autem Princeps Politicos atheos, homines leves, ganeones, superbos, avaros, impios, dissolutæ vitæ, addictos vitijs, & malæ famæ in consilia, & officia, vocet, non amabitur à subditis, timebitur vt tyrannus; ab exteris contemnetur, & hostibus spem prædæ aperiet; & quia hoc modo Dei consilia relinquit, spiritu Principum cum regno privabitur, imò æternùm peribit. Si ergo sapis, mi Princeps, elige bonos, vt bonus habearis, & à summo Deo fidelis dispensator inveniaris.

16. Princeps ab atheis hauris consilia ruinæ.

17. Ministrorum qualitates.

Jam de administris, seu officialibus Principis esset agendum, sed quia illi ferè ex Consiliarijs desumuntur, non malè easdem qualitates consiliariorum in ipsis requiro. imò tantò perfectiores, quò magis ipsum principem referunt. solent enim principes consilijs præsertim Arcanis personaliter adesse, officijs autem non nisi per alios providere possunt. ideoque officiales, præsides, gubernatores, prætores, & alij reipubl. præfecti, cum Dei, & principis sui locum teneant, perfectissimis virtutibus præfulgere, Dei gloriam, Ecclesiæ incrementum, principis honorem, & commodum; subditorum protectionem, totiusq; reipubl. felicitatem temporalem, & æternam ita dirigere tenentur, vt principi cum glorioso suo emolumento, & Deo Opt. Max. cum salute extensa fron-

18. Ministrorum obligatio.

te ra-

tæ rationem reddere possint. Restat vt de securitate alie- 19. Securitas alienæ prudentiæ.
næ prudentiæ, hoc est, consiliariorum, & officialium considerem⁹. faciam hoc breviter. Securitas illa consistit in electione, probatione, & dimissione. Si princeps juxta regulas supra insinuatas prudentes eligat viros pios, & bonos, rarò pericula subibit. si suorum velit
tentare, & certam facere fidelitatem. nunquam, ne con- 20. Consiliarij probatio.
fidentissimo quidem, ante consilium mentis inclinationem aperiat, rem deliberandam paucis proponat, singulos attentè audiat, & secundum saniora, & majora concludat. Si adhuc de cujusque fidelitate securior esse desideret, non concludat, deliberanda, denuò referat, & se dubium; & anxium hærere sine dolo dissimulet: sic in repetitione cognoscet, quinam vt cõplaceant principi, in consilijs vacillant, & in votis variant; & qui verè constanter motu conscientiæ prioribus inhærent. Neque tertium probationis genus incongruum erit principi, si de quæstione deliberanda se fingat resolvisse in partem affirmantem, & desuper singulos audiat. Tandem verò
etiam partem negantem proponat, & examinari curet. 21. Probatio Ministrorum.
intelliget enim qui in priori sibi blandiri, & indulgere voluerint, quique in veris terminis rectæ rationis immobiles manserint: & qui in secundo vela flectere, novas causas, vt placeant, invenire; & quinam perfecto judicio primam suam opinionem confirmare non erubescant. ex quibus non difficile erit Principi judicium, cui securè confidere possit. atque hinc ad honores, præ- 22. Dimissio quomodo facienda consiliarijs.
mia, & dimissiones movebitur. Si porro dimissio sit omninò necessaria, cum verò periculosa sit, hoc optarem servaret Princeps Christianus. nunquam violenter agere, nisi delicta vitam auferant. non lædere famam, non auferre bona, non negare salaria, non vias promo-

tionis præcludere, sed benevolè dimittere eos, quos arcanorum suorum, potentiæ, & defectuum novit esse

23. Desperatio periculosa.

conscios. quia filij hominum facile in desperata consilia seducuntur, & ex illis etiam, qui minores videntur, sæpissimè Reges, & Principes in maxima pericula, & damna conjiciunt. Placet in hoc genere prudentiæ supra omnes Augustissima Domus Austriaca, cujus principes non facilè cum offensione suspectos ministros dimittunt, in dubio alunt. dissimulant, ne gravius noceant.

24. Cautio ad Reges in ministris.

Qui de hac prudenti cautione dubitant, legant, quæ ab historicis referuntur. Si ergo delectamini sedibus & sceptris, ò reges populi, diligite sapientiam vt in perpetuum regnetis. Per sapientiam reges regnant. Rex autem insipiens perdet populum suum. si nihil sine consilio faciat, post factum non pænitebit. Qui agit omnia cum consilio, regitur sapientià. Si possidet amicum, consiliarium fidelem, ne dimittat, quia amicus probatus, protectio fortis, & thesaurus incomparabilis. quem vt princeps meus feliciter inveniat, imprecor, & prudentem cum fideli consiliario an justitiam invito.

25. Regum, & ministrorum excessus notabilis.

Vnum & Reges, & ministros monere necessum existimo. quod sicut à regibus graviter peccatur, quando benè meritos ministros indignè habent, leviter rejiciunt, aut injustè persequuntur; ita à ministris gravissimè peccatur, cum Regibus non consulere, sed imperare contendunt: cum reges ad delicias remittunt, curis regni exuunt; cum sub nomine confidentium sceptra regia vsurpant, regibus solum nomen relinquunt; cum gloriam, & vtilitatem regni suam faciunt, & reges suos tanquam incapaces, inhabiles, & indignos vniverso mundo palam ipso facto pronuntiant. Gravis est hæc reipublic. pestis. & divinæ ordinationi contraria. quia

Deus

Deus reges vnxit, & regnis præfecit, non confidentes, seu ministros: à regibus rationem exigit de subditis, à ministris fidele consilium. Si ergo sani judicij sunt reges, & salutem gloriosam desiderant, regnabunt cum consilijs, non servient ministris. Ita, si fideles sunt ministri, consulent, non regnabunt.

26. Regum est regnare: consulere ministrorum.

PVNCTVM VI.

De Justitia.

IUstitia est virtus cuique jus suum decernens, & tribuens. Hæc generalis est, quæ leges omnes adimplere docet, & hominem justum coram Deo, probum in republ. efficit. Particularis alia, quæ hominum negotia dirigit ad æquitatem. & est commutativa quæ contractus quoscunq; respicit. distributiva, quæ bona, & præmia decernit.

1. Iustitiæ definitio, divisio.

Hujus eximiæ virtutis necessitatem esse republic. maximam, sufficit Spiritum Sanctum per Salomonem asseverare, cum dicit per justitiam regna conservari, & sine illa de gente in gentem transferri. Quod vsque adeo verum est, vt etiam societas latronum sine justitia consistere non possit; & maxima regna sine justitia, maxima latrocinia vocentur, & habeantur.

2. Iustitia necessaria Reipubl.

Cum itaque de justitiæ necessitate neminem dubitare existimem, de singulis ejus partibus proposita brevitate agam. Et quidem de generali justitia, quæ hominem coram Deo justum facit, non (attento, quod impij, & athei illam rideant, & à republ. prorsus exulare velint) hoc constanter censeo; quod illa reges, & regna constituat, amplificet, & adornet. Ratio est, quia justi reges

3. Iustitia facit justum.

per gratiam Dei fulgent, vt Sol in mundo: vocantur ad regna, dextera excelsi fortissima proteguntur, benedictionibus adimplentur; & dum ipsi leges divinas sanctè observant, populum ad sui exemplum instruunt, & sic felicissimum regni statum, Deo, & hominibus gratum efficiunt. Beati qui hanc justitiam sitiunt, & in man-
4. Beati Reges qui sitiunt iustitiam. datis Dei sui volunt nimis. Hanc intimè à Deo postulavit rex David, clamans. vias tuas edoce me, & justificationes tuas ostende mihi. In hanc juravit, & statuit cu-
5. David iustus. stodire judicia justitiæ Dei. In hac delectatus est, sicut in omnibus divitijs, super aurum, & topazium. De hac promittit Deo, quod in æternum non obliviscetur justificationes ejus; in quibus se vivificatum gloriatur. Sa-
6. Salomon de Iustitia. lomon rex nunquam prædicare cessat hanc justitiæ virtutem, & in ea solium regni firmari convincit. ergo non malè principem ad justitiam justificantem, hoc est, justum reddentem invitamus. ad quam si cum Davide media nocte exurgat, non dubitamus, quin ad functiones justitiæ in humanis futurus sit felicissimus.

7. Prima iustitia est dare Deo debitam gloriam. Neque principem Christianum movere debet impietas Politicorum, qui hanc justitiæ observantiam, aut omninò in republ. sua prætereunt, aut sicut religionem fingere docent. Quia si justitia est virtus suum cuique tribuens ante omnia Deo satisfacere debet. Quomodo enim princeps justus dicetur, si Deo jus suum subtrahat, aut deneget? & quomodo in subditos justus erit, qui in Deum creatorem, & vnicum benefactorem suum ingratus est, & injurius? Errat secura sibi impietas, quia Deum non agnoscit. errabit etiam princeps, si in vijs justificationis Dei sui non ambulaverit, & mandata ejus non
8. Iustitiæ partes. adimpleverit. In particulari justitia consideranda veniunt personæ, res, actiones. Inter personas, quæ humanam

manam juſtitiam dirigere tenentur, ſumma eſt, & pri- 9. princeps eſt prima perſona in adminiſtranda juſtitia.
maria perſona veri & legitimi principis, ſive ille Eccle-
ſiaſticus ſit, ſive ſecularis. Hic ſi fundatam habet juriſ-
dictionem abſolutè per ſe ſuoſque conſtitutos judices
jus dicit. ſi limitatam, aut ſubalternam poteſtatem ha-
bet; ad ſupremum judicem cauſas remittit. Secundum 10. Iudices.
locum obtinent Judices, qui à principe ad dirimendas
lites electi ſunt. Et tertium gradum perſonarum faciunt 11. Actores & rei.
actores, & rei, benè & malè meriti de republica, & gene-
ratim omnes ſubditi, aut quos delictum judicio ſubjicit.
de ſingulis pauca. De perſona Principis, ejuſque officio
aliter Politici, aliter Chriſtiani ſentiunt. Illi quæ libent
Principi, licere volunt; leges dare, non accipere adula-
tores contendunt. hi principem mandatis Dei Eccleſiæ,
& rectæ rationi ſubeſſe definiunt. Audiamus infallibi-
lem Dei veritatem, & ſententiam quam de principibus 12. Sententia Dei de juſtitia principum.
Spiritus S. per Prophetas, & ſanctos ſuos nobis prodidit.
Quando ſederit rex in ſolio regni ſui, deſcribet ſibi le-
gem Dei in volumine, accipiens exemplar à Sacerdoti-
bus Leviticæ tribus & habebit ſecum, legetque omnibus
diebus vitæ ſuæ, vt diſcat timere Dominũ Deum ſuum,
& cuſtodire verba, & cæremonias ejus, quæ in lege præ-
ceptæ ſunt. Diligite juſtitiam, qui judicatis terram. Deus
regit reges. apprehendit manum Cyri, vt ſubjiciat ante 13. Principis officia.
faciem ejus gentes, & dorſa regum vertat. Princeps à
Deo conſtitutus eſt, vt faciat juſtitiam, & judicium. Si
Princeps excedat terminos juſtitiæ, principis nomine in-
dignus eſt. quia nihil facere debet, quod bonos mores
offendat. Princeps repræſentat Deum, tenetur liberare 14. Iuſtitia Regum qualis.
oppreſſos, & juſtitiam facere. Princeps eſt advocatus
Eccleſiæ, & pauperum; Protector innocentium, Pater,
& Paſtor ſubditorum, Judex malorum. Eſt etiam prin-
ceps

15. Principis obligatio.

ceps vices gerens minister Dei, obligatus de animabus, vita, & bonis suorum reddere rationem. Si ergo princeps Christianus Dei sui mandatis fideliter inhæreat, lumen virtutum ad subditos diffundat, justitiam colat, tueatur bonos, & malos castiget, replebitur benedictionibus, & rerum omnium abundantia. eripiet eum Deus de inimicis suis fortissimis, & cadent subtus pedes ejus. oculos superborum humiliabit, & disperdet omnes insurgentes. Subjiciet illi populos, & anima ejus in bonis demorabitur, & semen ejus hæreditabit terram. Magna erit gloria justi in salutari Dei; magnum decorem imponet, super eum. Rex justus eriget terram; qui judicat in veritate pauperes, ejus thronus in æterno firmabitur. Ecce, sic benedicetur homo, princeps, qui timet Dominum, & diligit justitiam.

16. Benedictiones justi Regis.

17. Maledictiones Regis injusti.

Si autem Princeps (quod absit) extendat manum suam ad iniquitatem, Dei Domini sui cultum negligat, Ecclesiam non defendat, potentiam suam justitiæ præferat, vitia frequentet, inauditos indefensos condemnet; vim subditis, eorumque bonis inferat; si pauperes, inferiores, in judicio opprimat, & vim faciat causæ humilium; si impium justificet, & damnet justum; abominabilis erit Deo, & inexcusabilis. Terribilem sentiet eum, qui aufert spiritum Principum. Sicut lutum platearum delebitur, & in puncto descendet ad infernum. Et quia durissimum est incidere in manus Dei viventis, præmonentur reges ab æterna sapientia, ne impingant. Dicit enim. Audite Reges, & intelligite, discite judices finium terræ, præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum, quoniam data est à Deo potestas vobis, & virtus ab altissimo, qui interrogabit opera vestra, & cogitationes scrutabitur. Quoniam cum essetis Ministri regni illius,

18. Exhortatio Dei ad Reges.

19. Potesta. à Deo.

non

non rectè judicaſtis, nec cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neq; ſecundum voluntatem Dei ambulaſtis. Horrendè, & citò apparebit vobis, quoniam judicium duriſſimum his, qui præſunt, fiet. exiguo enim conceditur miſericordia. potentes autem potenter tormenta patientur. non enim ſubtrahet perſonam cujuſquam Deus, nec verebitur cujuſquam magnitudinem. quoniam puſillum, & magnum ipſe fecit, & æqualiter eſt illi cura de omnibus. fortioribus autem fortior inſtat cruciatio. Hujus immutabilis juſtitiæ divinæ exemplum refert Rex 20. Saul punitur.
Saul, qui præveniendo mandatum Samuelis, projectus eſt à Deo, & regno privatus. Similium exemplorum plenæ ſunt hiſtoriæ, & ſacra ſcriptura æternum væ injuſtis regibus comminari non deſinit. Quibus omnibus ſi princeps Chriſtianus fidem non adhibeat, neque mores componat, actu in laqueos Politicorum incidiſſe judicabitur.

Illi enim dum blandiuntur regibus, omnia licere, quæ libent; juſtitiam, leges, & omnem honeſtatem proſtituunt, ad omnia flagitia portas aperiunt, & ad ſcelera impunitatem promittunt. Hoc, vt plenius intelligat 21. Politici quare Regibus decernant licentiam.
meus Princeps, conſideret mecum in hac dulci licentia latens venenum. Dat Politicus Principi ſuo licentiam, vt nihil deneget oculis ſuis, nihil deroget affectibus, non 22. Idoli venenum.
vivat ſecundum leges, ſed dando leges alijs imperet. Si non faciet, nihil differet à ſubdito, nulla Majeſtas, nulla authoritas erit alligati ad leges imperij. Sic de profundo Rationis Status loquitur adulator impius. Sed attendat venenum Princeps, lata eſt hæc ad omne malum via, quæ homini videtur bona, noviſſima autem ejus ducunt ad interitum ſempiternum. Errant aliquando, & in peccata declinant ex fragilitate connata principes

Christiani, qui Dei, Ecclesiæ, & justitiæ legibus obſervantiam promiſerunt, quid facient, ſi nullis legibus divinis,nec humanis teneantur? Rex Regum Deus omnipotens duriſſimum minatur judicium ijs, qui præſunt, & leges ſuas violant, Politicus diſſolvit leges, & gratam ad omne facinus licentiam propinat. aut ergo Deus infallibilis ſapientia verum docet, aut Ratio Status falſum aſſerit. Si Chriſtianus es, de Deo mendacium non præſumes. Si atheus, cum Ratione Status tenebris falſitatis obruens, libertas tua vinculo indiſſolubili æternis ignibus alligabitur. Ratio Status falſa ſplendidè mentitur, non Deus æterna veritas. non licet, quod libet,ſed quod juſtum eſt in oculis Dei, ô princeps Chriſtiane, hoc decet, ad hoc obligaris. Hoc ſi credis, vt profiteris, quare Idolum Status conſulis? quare ejus arcanum venenum non reſpuis? & quare magnis ſumptibus peſtifera ſuadentem in aulam, & penetralia admittis? Cura, ne cito, & horrende veniat, qui judicabit mundum in juſtitia. Cura omninò, ne licentia Rationis Status te in vincula doloris conjiciat, vbi Potentes potenter tormenta patientur. Conſidera Regem David, qui de poteſtate regia vxorem ſubditi rapuit; Achab & Jezabel,qui aliena ſibi adjunxerant; quam terribili pœna à Deo juſtiſſimè afflicti ſint. Reges erant & illi, ſed quia voluerunt ſibi licere, quod paſcebat oculos, & affectus, horrendas pœnas ſuſtinuerunt. Non ſalvavit illos, nec liberavit Ratio Status, nec dulce venenum Idoli (licentia) veniam impetravit. idem tibi judicium propone, & ſi cum Davide delinquis, cum eodem viam pœnitentiæ ingredere, in lege Domini meditare, juſtitiam dilige,ne cum Jezabele dilanieris, & æternùm crucieris. Cogita benè, quiſquis regis alios,oculos in primisDei,in cujus conſpectu ſtellæ

23. Comparatio Rationis ſtatus cum Deo.

24. Non licet, quod libet.

25. Cautio ad Reges ne Idolo fidant.

26. David, Iezabel exempla injuſtitiæ.

27. Deus videt omnia.

non

non ſunt mundæ, actiones tuas, imò cogitationes omnes perfectiſſimè intueri: exteros, & ſubditos mores tuos obſervare: te miniſtrum eſſe Dei, & juſtitiæ; Patrem pauperum, exemplar virtutum; ſi piè, & juſtè officio defungaris, intrepidè ſceleratos caſtigabis. Si ipſe reprobus ſis, adulter, aliena rapiens, homicida, perjurus, & vitioſus, quo colore talia facientes condemnabis? quid reſpondebis Committenti? Inexcuſabilis es, qui judicas; in quo enim alium judicas, te ipſum condemnas; eadem enim agis, quæ judicas. Peccata Principum trahunt multitudinem ad infernum: virtutes autem cœlum aperiunt, & duplici gloria coronantur. Qui de officijs boni Principis plura volet, legat Chriſtianos Politicos, mihi ſufficit Idolum Status prodere, & confundere.

28. Rex exemplar virtutū.

29. Principum peccata perdunt populū.

In ordine ſequuntur judices, quos Rex, aut Princeps conſtituit ad cognoſcendum & judicandum de cauſis, & differentijs quibuſcunque; de delictis & pœnis; de vita, & morte ſubditorum. In quo gravi officio duo benè conſideranda ſunt. electio principis, vt diligenter attendat, quibus juſtitiam, hoc eſt, regnum ſuum committat, & onus judicum, quod in ſe recipiunt. De priori jam ſuprà de eligendis conſiliarijs diximus; certumque eſt, ſi principes, quibus Deus regna mundi gubernanda dedit, vitioſis, malis, injuſtis, atheiſque impijs juſtitiæ regni adminiſtrationem commendent, in culpam incidere, & Deo ſuo ad ſtrictam rationem teneri. paria enim ſunt, errare, injuſtè agere: & errantes fovere, non caſtigare, malis juſtitiam committere. De officio, & onere judicum, pleni ſunt ſapientum libri. & quia pro ſua ſcientia injuriam reputant, Magni legum Doctores, judices, ſi ab alijs moneantur, ego vt parcè agam, illos non ad volumina Juris, ſed ad ſcholas Spiritus S.

30. Iudicum qualitates.

31. Spiritus S. monet Iudices. provoco. Qui judicatis terram, diligite justitiam. Judi-
ces non hominis, sed Dei judicium exercent, inque eos
redundant judicata. hinc alibi dicitur. Quæret ab ad-
32. Dei leges in Iudices. ministris suis, num rectè judicarint. Judicabunt popu-
lum justo judicio, nec in alteram partem declinabunt.
Non accipient personam, nec munera; quia excæcant
oculos sapientum, & mutant verba justorum. Maledi-
33. Munera recipere quia. ctus sit, qui accipit munera contra innocentem. Væ vo-
bis, qui justificatis impium, pro muneribus, & justitiam
justi aufertis ab eo. propter hoc sicut devorat stipulam
lingua ignis, & calor flammæ exurit; Sic radix eorum
quasi favilla erit, & germen eorum, vt pulvis ascendet.
Audite vlterius, clamat Deus. Constitui viros sapientes,
nobiles, vt doceant populum, his præcepi. Quod ju-
stum est judicare, sive civis sit ille, sive peregrinus. nulla
erit distantia personarum, ita parvum audietis vt ma-
gnum; nec accipietis cujusquam personam, quia Dei ju-
dicium est. Noli quærere fieri judex, nisi valeas virtute
irrumpere iniquitates, ne fortè extimescas faciem po-
tentis, & ponas scandalum in æquitate tua. Pro justitia
34. Iustitiã mandat Deus. agonizare pro anima tua, & vsque ad mortem certa pro
justitia, & Deus expugnabit pro te inimicos tuos. In ju-
dicando esto pupillis misericors, vt pater, & pro viro
matri illorum; & eris tu velut filius altissimi, & misere-
bitur tui magis, quàm mater. hæc omnia, & infinita alia
sunt Spiritus S. documenta, quæ si judices in corde san-
ctè considerent, & in judicio fideliter observent, non
illos dejiciet metus magnatum, non declinabit avaritia,
non amor excæcabit, nec odium ad injusta transferet.
35. Iudex timens Deum justè Iudicat. Mihi hoc vnum certum est, si judex Deum suum timeat,
quod non facilè leges, & justitiæ terminos præteribit; si
passionum suarum dominus sit, quod aliena rectè judi-
cabit;

cabit; ſi principem ſuum amet, quod ejus ſubditos non opprimet in judicio. Ex his poterit quilibet judex conſtitutus prudenter deſumere, quod ſibi magis ad honorem, & ad ſalutem expedire æſtimaverit. ego delicatos mundi judices ad juſtiſſimum Dei Domini noſtri judicium, vt illud dum ſecundum leges judicant, in conſpectu ſemper habeant, fideliter remitto.

In tertio gradu perſonarum ſunt Actores, & rei. 36. Actores in Iudicio.
Actores vocantur, qui ex juſtis cauſis, vel enormiter in fama, aut in bonis læſi, aut violenter oppreſſi ſunt à potentioribus, æqualibus, aut inferioribus. Qui ob famæ offenſionem lites inſtituunt, diligentiſſimè caveant, ne leges charitatis Chriſtianæ tranſiliant; ne veniam deprecantem proximum aſpernentur; ne media compoſitionis rejiciant; ne per vindictam famæ æterna infamia confundantur. Neque moveat, quod crudelis ſit, qui famam negligit, & quod honor, & vita æquiparentur. Quia non docet Chriſtus D.N. famam negligere, ſed proximo dimittere, & inimicos diligere, ſi dimiſſionem ab eo ſperet, aut cœlos apertos cum Stephano videre deſideret. Glorioſius reſtituitur fama parcendo, quàm dubiè litigando. Securius ſalvatur cum honore vita, hoſtes in bono vincendo; quàm gladio feriendo.

37. Actores quid attendere debeant.

38. Proximus diligendus.

Qui bonis ſpoliati, aut defraudati ſunt; non minus 39. Rei provocati quid ſervare teneantur.
diligenter conſiderent, quæ Spiritus S. per Sanctos ſuos docet; ne injuſta, aliena, vel incerta requirant bona: ne fictis, aut falſis rationib. innocentem circumveniant; ſed ſic juſtè, piè, & verè tranſeant per temporalia, ne amittant æterna. Et ſi omninò neceſſitas, hoc eſt obſtinata malitia proximi ad lites provocet, non ideò naſcatur cum peccato in perſonam odium, ſed per licita juris media cauſæ deciſio judici committatur.

40. Oppressorum sors. Qui violenter opprimuntur, non clament vindictam; non armis, sed jure violentiæ causam agant, quando pacis media contemnuntur; quia Deum vltorem habent, si justum in terris non inveniant judicem.

41. Voluntas potentis lex. Si potentes cum inferioribus litigent; attendant, ne potentiam suam velint esse normam justitiæ; neve pauperem opprimant; Quia durissimum judicium fiet potentioribus, vt potenter tormenta patiantur.

42. Lites fugit sapiens. Æqualibus, & inferioribus sufficiat via compositionis, & legum. Qui sapit, lites fugit. non contendit cum potentiore, non defert ad judicem, quod amicè reduci potest.

43. Rei quid cavere debeant. Supersunt Rei, qui in jus quocunque modo civiliter, aut criminaliter vocantur. De his idem sit judicium, quod de actoribus; quia sicut iniquum est injusta prætendere, ita iniquissimum est eadem defendere, legibus non parere, pacem publicam violare, & reatum non agnoscere. Et hæc quidem de personis dicta sint.

44. Res justitiæ sunt variæ. De rebus controversis in foro justitiæ duplex est ratio. Prima earum, quæ animæ salutem, & religionem concernunt, & hæ omnes simpliciter ad Ecclesiæ jurisdictionem pertinent. Altera est earum rerum, quæ in hominum societate variè suboriuntur. & habent pro fundamento suo male dictum illud, & frigidum verbum. Meum, & Tuum.

45. Meum & Tuum causa litium. ex quo omnes lites sive honorem, sive bona, sive vitam spectent, velut ex fonte nascuntur. De his cognoscit princeps per se, & judices subornatos, quando ejus officium interpellatur, & salus Reipubl. hoc requirit.

46. Actiones, quæ ad justitiam vocantur. Postremum in consideratione justitiæ posuimus Actiones litigantium. quæ in tantam multitudinem, & varietatem excrescere videntur, quantum humana malitia Dei, Ecclesiæ, & justitiæ leges, naturalem æquitatem,

tem, & bonos mores tranſcendit. In his concedendis, reſtringendis, finiendis, dijudicandis, & exequendis Principis, & Judicis verſatur officium.

Quæ circa ſingula hæc dici poſſent, ex vtriuſq; fori Doctoribus, & voluminibus pluſquam abundanter intelliguntur. mihi hoc loco propoſium eſt Principem meum à licentia Politicorum abſtrahere, ad veram juſtitiam invitare, & ſubditos ad obedientiam debitam, & ad ea, quæ juſta ſunt, & in agendo, & patiendo animare; vt in omnibus gloria Dei amplificetur, & ſub juſto principe juſti gaudeant ſubditi in tempore, & æternùm. ſic voveo. 47. Politicorum licentia.

PVNCTVM VII.

De Judiciis.

EGimus de perſonis, rebus, & actionibus, in quibus regina noſtra Juſtitia conſervatrix regnorum occupatur, reliquum eſt, vt eam ad actum exercitum, hoc eſt ad judicandum deducamus. Eſt autem judicium legitima definitio judicis poteſtatem habentis, vt ejus ſententia lis finem accipiat. 1. Iudicium quid ſit? Hoc ipſum eſt divinum, & humanum: Eccleſiaſticum, & ſeculare. de quibus pro inſtituto quædam conſideranda proponemus. 2. Iudicij diviſio. Judicium divinum eſt omnium judiciorum juſtiſſimum, & ſecuriſſimum. 3. Iudicium divinum. quia à Deo abſoluto rerum Domino, ab ipſa æterna juſtitia, & ab infinita ſapientia errorum neſcia, inſtituitur. huic ſubjiciuntur omnes Reges, & Populi: juſti, & Impij: boni, & mali: vt ſinguli ex operibus, vel pœnas, vel præmia æterna per ſententiam referant. Cum itaque in hoc Dei infallibili judicio de æternitate noſtra agatur, placeat Principi meo Chriſtiano tantiſper Maje-

ſtatis

ſtatis humanæ ſceptra deponere, ſenſus à delicijs avocare, & mentem ad divini judicij conſiderationem elevare. Sicut, ô Princeps æterno decreto ſtatutum eſt tibi, mihi, & omnibus ſemel mori; ita omnes nos manifeſtari oportet ante Tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſq; propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Hoc vtique credis, ſi Chriſtianus es. Vocaberis ergo in judicium ad reddendam rationem de cogitationibus, verbis, factis, & omiſſionibus; ad reſpondendum de animabus tibi commiſſis, & de bonis tibi concreditis. Judex tuus erit Chriſtus D. N. creator, conſervator, benefactor, ſcrutator cordium, omnia ſciens, omnia videns, juſtus, & terribilis, qui juſtitias judicat; in cujus conſpectu non juſtificabitur omnis vivens. Accuſatores tui erunt, Diabolus, qui à nativitate tua, obſervavit ſemitas tuas, funiculos inventionum contexuit ad odium, iram, libidinem, & alia vitia: per inſpirationes te ſeduxit; qui in ſuperbiam erexit cor tuum, & ambitione te replevit; ille, inquam, ſerpens antiquus, accuſator fratrum noſtrorum, accuſabit te, ſicut omnes alios, maxima rabie, & odio percitus, vt ob conſenſum ſibi præſtitum in hoc judicio convincaris, & condemneris. Hunc ſequetur conſcientia propria, quæ teſtimonium reddet cogitationum accuſantium; aut etiam defendentium in die, quo judicabit Deus occulta hominum. Hæc revelabit Deo, tibi, & toti mundo omnia peccata tua publica, & occulta; propria, & aliena. erit tibi inſtar mille teſtium, ſtimulus vehementiſſimè exagitans, omnia prodens. Tertius teſtis, vel etiam accuſator erit Angelus tutelaris, & omnes boni, ſi malè vixeris; qui te accuſabunt de rejectis ſanctis inſpirationibus, deque neglectis monitis, & conſilijs. Quartò loco coram facie Dei viventis, & vni-

4. Conſideratio de divino Iudicio.

5. Deus Iudicat Reges.

6. Iudex eſt Chriſtus D. N.

7. Accuſator eſt Diabolus.

8. Accuſator 2. conſcientia.

9. Accuſator 3. Angelus cuſtos.

10. Accuſator 4. Animæ commiſſæ regibus.

verſo

verso mundo judicando accusabunt te principem, & magistratum, omnes, & singulæ animæ subditorum, quæ per admissam hæresin, scandula tua, violentiam, vel oppressionem ad desperationem redactæ in æternum damnabuntur. Tunc stabunt justi in magna constantia adversus eos, qui se angustiaverunt, & qui abstulerunt labores eorum. Quid hic respondebis à propria conscientia convictus? An ad superiorem Judicem appellabis? audi, & crede, non datur superior. Vanum est hoc consilium. Deus est, qui judicat, cui omnia deserviunt. Si dicas te multa fecisse, multa concessisse, propter Rationem Status, vt ex consilio Politicorum ille conservari, & amplificari posset. Respondebit tibi Deus justus Judex. Ego prohibui ne Idolum tibi faceres; tu neglecto me illud multa mercede composuisti, consuluisti, adorasti. ego Rationem Status veram tibi dedi, & Leges posui. Tu falsam, Idolum impietatis secutus, leges meas projecisti retrorsum. Ego tibi potentiam, & fortitudinem gratis cum regno obtuli, vt Ecclesiam meam, & Religionem defenderes. Tu illam Jurisdictione, & bonis violenter spoliasti; per Rationem status hæresin dormiens suscepisti, fovisti; religionem finxisti, pietatem simulasti. Ego tibi pacem pro testamento reliqui. Tu violator publicæ quietis, vt ambitioni satisfaceres, per Rationem status, vicinos Reges bellis infestasti; hæreticis, injustis, rebellibus auxilia subministrasti. Ego tibi virtutes omnes, sapientiam, & justitiam commendavi. Tu Idolum tuum audiens virtutes fingendo in gravissima vitia declinasti, falsam Rationem status pro vera prudentia vanus nimis coluisti: Potentiam tuam voluisti supplere justitiam: quod libuit, hoc licuit. Ego te constitui Regem, patrem & Pastorem subditorum, pauperum, pupillorum. Tu

11. A Iudicio Dei non appellatur.

12. Ratio status non excusat nec valet in Iudicio divino.

13. Ratio status damnatur.

illos oppreſſiſti, condemnaſti, defraudaſti. Dedi tibi aſſiſtricem prudentiam, viros pios, bonos, nobiles, expertos, monitores fideles. Tu per Rationem Status, crudeliter illos mactaſti, dilaceraſti, ejeciſti, quos via juſtitiæ ſalvos pronunciabat.

14. Iudicia Dei juſtificata in ſemetipſis.

Quid benè facere potui tibi, vineæ meæ, quod non abundè præſtitiſti? Tu verò poſt Idolum Rationis Status abijſti, illudque ſupra me extuliſti, projeciſti mandata mea, & voluntatem tuam depravatam legem ſtatuiſti.

15. Sententia Dei in malos Reges.

Ecce dies meus, & tuus. Ecce momentum felicem, vel infelicem decernens æternitatem. Quia Idolum Status præ me coluiſti, & infidelis, ingratus, injuſtus, inobediens fuiſti; Diſcede à me in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo, & Angelis ejus. Talis erit judicij divini in malos Principes ſententia.

16. Iudicium Dei in bonos Reges.

Si verò Princeps Chriſtianus Deum ſuum amet, timeat, Eccleſiam defendat, religionem puram conſervet, in mandatis Dei ſui ambulet, legibus juſtitiæ inhæreat, virtutes colat, bonos protegat, malos puniat, pauperum cauſæ faveat, Patrem, & Paſtorem populi ſeſe exhibeat, audiet ſine dubio vocem æterni Judicis exoptatiſſimam. Veni benedicte Patris mei, & percipe regnum, quod tibi paratum eſt ab origine mundi. Euge ſerve bone, & fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui.

17. Cautio de Iudicio Dei ad Reges.

Agitur ergo in hoc divino judicio de æternis præmijs, & ſupplicijs, quæ tanta ſunt, vt cor hominis comprehendere non poſſit. Vtinam Reges, Principes, & eorum Miniſtri cum S. Hieronymo in omnibus actionibus ſuis audirent, in conſpectu haberent, & conſiderarent hæc verba divinæ ſententiæ. Ite, & venite. Certè incantantium Politicorum vanitates non admitterent, neque Idolo Status, ſalutem proſtituerent. Per Rationem

nem Status falsam nemo salvatur, omnes illam vsurpantes æternùm pereunt: nec est amplior ad infernum via, quàm illa, quæ à Diabolo per mille insidias libertatis, & potentiæ Regibus, Rationis status blanditijs, planissimè sternitur. Mihi in vniverso hæresis, & pestis animarum major non apparet. Et ideò Principes Christianos ex toto corde quantum possum humiliter rogo, caveant hoc pestiferum Idolum nihil securitatis præstans in humanis, terribile Dei provocans judicium, & omnes suos cultores in æternos ignes præcipitans. non malè judicat, qui occulta novit Deus. 18. Ratio status ducit ad interitum.

Humanum judicium si generatim consideretur, plerumque vanum est, & temerarium. quia vel amore proprio, vel odio alijsque passionibus, erroribus, & suspicionibus dirigitur, vel timore inclinatur, vel à potentioribus inflectitur. Hoc vt justum sit Princeps per se, per Judices pios, per Ministros fideles summà diligentià curare tenetur, vt quod humana fert fragilitas legibus divinis, justo Imperio, & sanctis moribus corrigatur. 19. Iudicium humanum vanum est, & varium.

Species humani judicij sunt. Ecclesiasticum, & seculare. de illo suo loco, & de hoc breviter nunc agendum. Seculare judicium est illud, quod Principes, vel Magistratus superiores pro administratione justitiæ ex bonis viris constituunt; & est vel supremum, à quo non conceditur appellatio: vel subalternum, à quo ad superius judicium appellatur. De his consulendi sunt legum Doctores. mea intentio est Principi Christiano patefacere, quomodo Idolum Status, fraudes suas, & venena etiam in summa judicia dolosè disseminet. Equidem quando Christi D. N. innocentissimi, quod sustinuit judicium à Pilato, & Judæis intimius considero, meritò de humani judicij temeritate ingemisco. Quia licet falso- 20. Iudicium seculare.

21. Iudiciũ contra Christum D. N. quam injustum.

rum testium adversus Christum non esset conveniens testimonium, & Judæi multa beneficia, nullam injuriam à Christo accepissent. Pilatus verò nullam causam mor-

22. Ratio status pervertit judicium de Christo D. N.

tis inveniret, tamen quando Ratio Status Judæis persuasit fore, si Christum non occiderent, Romani Civitatem suam occuparent: ne privarentur regno, voluerunt ex ore Caiphæ vnum, Christum verè innocentem, mori pro populo, & sanguinem justi in se, suosque filios diffluere.

23. Pilatus politicus.

Pilatus ne apud Cæsarem accusaretur, & periculum Status sui subiret, per lotionem manuum justum declarans, de Ratione Status crudeliter cæsum Christum publicè condemnavit, & voluntati Judæorum occidendum tradidit. Si tale malum, ô Princeps Christiane, & horrendam injustitiam Ratio Status in ligno viridi Christo D. N. omnium innocentissimo operatur, quid securitatis tibi, tuisque promittis, si judicium tuum divinis, & justitiæ legibus non subjicias? si Idoli consilia sequaris? Lege Historias, & cognosces optimos quosque, & sanctissimos Magnates per Rationem status justitia contradicente, exilijs, honore, bonis, & vità miserè multatos esse, vel quod Regibus vera dicerent, vel injusta non probarent, vel quod Dei, & Religionis causam serius agerent, aut etiam affectibus Regum sese non accommodarent.

24. Summum jus per rationem fit summa injuria.

Quando summa judicia Regum benè examinantur, non obscurè deprehenditur, quod per Rationem Status in summam injuriam pervertantur. Sit exemplum. Quidam Princeps potens, forsan hæreticus, ambitiosus, vicinum suæ ditioni Episcopatum, Abbatiam, Monasterium, aut Parochialem Ecclesiam violenter occupavit, aut fraudulenter invasit, suisque regionibus

25. Judicij politicissimus.

tanquam res proprias adscripsit. Vocatus in competens judicium vix respondet, quantum potest factum excu-

sat,

ſat,& rem Eccleſiæ in alios pios vſus, in alumnos,in pauperes, in ſcholas converſam allegat. Cognoſcit de cauſa Tribunal; videt Judex ſpolium Eccleſiæ,ſacrilegium, finem fundatoris, (gloriam Dei) inverſum, violentiam injuſtè commiſſam. Scit omninò ſpoliatum ante omnia reſtituendum, taliaque facinora nullo jure juſtificari poſſe; & tamen non decernit, ſed litem producit, & quantum poteſt effugia quærit. Quia, ſcilicet, de Idolo iniquitatis venenum hauſit, quod Princeps ſit potens, armatus, non de facili offendendus. Si reſtitutio injungatur, motus poſſe excitari in regno, & propter pauca ablata, confœderatorum viribus totum Eccleſiæ corpus periclitari. Executionem fore difficilem, imò ſine bello impoſſibilem. ideoq; in meliora tempora differendam eſſe actionem, ne Tribunalis ſententia eludatur, & Judices fruſtrà Principis odium ſibi concilient. Ecce, mi Princeps, quàm dextrè Idolum Status ſeſe ſummis ingerit judicijs, quàm plauſibiliter ſummum Jus in ſummam injuriam convertit. Privatur Deus ſua Gloria, Eccleſia ſuo jure, Epiſcopus ſuis bonis, ſubditi religionis exercitio, domus Dei fit ſpelunca latronum; ſpoliator, juſtus poſſeſſor, rapit potens aliena, ejicitur inermis. Implorat judicium ſpoliatus, reſtitutionem vrget, & nihil impetrat; quia Ratio Status juſtitiæ leges imponit, judicium pervertit. Quis hoc juſtum judicium dixerit, in quo ob reſpectus humanos cauſa ipſius Dei negligitur? Eccleſia, & juſti opprimuntur? Non ſic præcepit, nec judicat juſtus Judex Deus D. N. Attendant Judices ne prorogando judicium mortem ſibi accelerent. agant ſuas partes intrepidè, non deerit illi executor, qui dat, & auffert Spiritum Principum.

26. Idoli fraus in judicio.

27. Idoli fraudes in judicijs.

28. Idoli vis in judicio.

N2.

Simile contingit quando inferiores de neceſſitate

29. Iudicium violatur respectu personarum.

cum potentioribus judicio contendunt. Respiciunt per Rationem Status Judices potentiam Principis, fortè etiam munera, favorem, beneficia, odia, & pericula, & exinde studiosè lites producunt, imò immortales faciunt. Interea discedit primus actor, hæredes de paupe-rati non sufficiunt, gaudet injustus possessor, spoliatus pauper opprimitur, & aliquando desperans in laqueos

30. Indices quomodo litem faciant suam.

Diaboli incidit. quod sanè nihil aliud est, quam litem suam facere, aliena rapere, & ipsos pauperes opprimere. Consulant, qui dubitant, Ecclesiam, & dicet illis veritatem.

31. Excusatio Iudicum vana.

Neque movet, quod plerumq; prætenditur in magnis judicijs, nimirum ob multitudinem, & gravitatem causarum lites accelerari non posse. Quia, si ratio Status non faceret multitudinem, & pinguedo litigantium

32. l. properandum.

non ditaret Judices, Advocatos, Procuratores, aliosque ministros, majorem lex. Properandum, inveniret authoritatem, & non obesset gravitas. Si Principes, & Judices considerarent se de protracta justitia, & de rebus injustè occupatis, & possessis Deo, qui verbum otiosum examinat, ad strictam rationem teneri, utique multitudinem causarum amputarent, & gravitatem ad exactam normam justitiæ revocarent. Sæpè Judices, Advocati,

33. Deus occulta judicabit.

Actoresque, qui studiosè lites protrahunt, subitanea morte corripiuntur. etiam occulta judicat Deus.

Lubens prætereo, quæ de summo nostro judicio Imperiali Spirensi vulgò sparguntur, quod maxima pars causarum eò devolvatur: quia lites ibidem immortales fiant, quia injusti possessores de hærede in hæredes securi maneant, quod contra potentiorem inferioris cau-

34. Judicium Spirense.

sa negligatur. & quod Divitum actiones Camerales alere debeant. De qua injuria ipsi sufficienter sciunt respondere.

dere. Mihi hoc certum est, si vsquam in Europa justum est, & egregium incorruptum Tribunal, hoc ipsum esse Imperiale in Camera Spirensi, in quo præter prorogationem causarum nihil desideratur. Vt ergo hæc labes deleatur, curet Imperator cum Statibus Imperij causæ fomenta eradicentur. quod sapientiores fieri posse existimant, si Præsides, & Assessores in tres classes dividerentur. ita, vt in prima, omnes causæ antiquæ, in secunda jam præsentes, & mediæ, & in tertia classe novæ causæ suborientes expedirentur; partes ad probationes suas proferendas certis pœnis astringerentur, termini breviores constituerentur, & processibus etiam Revisionibus, certus dies definiretur. Sed de his meritò sanctioribus consilijs judicium relinquo. ego tantum Idolum Status, à Christianorum judicijs profligari postulo.

15. Modus agendi in judicio Spiræ.

PVNCTVM VIII.

De pœnis, & præmiis, quæ per viam Justitiæ distribuuntur à Principe.

QVantam obligationem habeant Reges, & Principes ad castigandum malos, & remunerandum bonos, ipsi satis sentiunt, & rationis vsu percipiunt. Nisi enim per legitimam viam justitiæ facinorosi puniantur, & boni præmijs ad veras virtutes, earumque heroicas actiones exstimulentur, non diu stabit regnum, deficiet cum scelere, nudatum virtute desolabitur.

1. Præmia, & pœnæ in Republ. sunt necessaria.

Ad hæc Deus zelator veræ justitiæ non tantum mandat Regibus, qui judicant mundum, diligere justitiam, sed minas terribiles intentat, nisi malos, & seditiosos justis pœnis afficiant. Exaltare qui judicas terram: redde retri-

2. Deus mandat puniri malos.

retributionem superbis. Viduam, & advenam interfecerunt: & pupillos occiderent. Captarunt in animam justi; & sanguinem innocentem condemnarunt. Ideò reddet illis iniquitatem ipsorum, & in malitia eorum disperdet eos; disperdet illos Dominus Deus noster. Aperta est terra, & deglutivit Dathan. qui justificat impium, & condemnat justum; abominabilis est vterque apud
3. Achab. Deum. Sic legimus Dei Prophetam Achab dixisse, quia dimisisti regem Syriæ Benadab, virum dignum morte, de manu tua; erit anima tua pro anima illius, & populus
4. Iudicia Dei terribilia. tuus pro populo ejus. Quia occidisti Naboth, & possedisti vineam ejus in loco hoc, in quo linxerunt canes
5. Naboth. sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum.
6. Iezabel. Canes comedent Jezabel in agro Jezrahel. Eodem modo Rex Salomon mandavit occidi Joab ad cornu altaris,
7. Ioab. Abner. vt amoveretur sanguis innocens Abner, & Amasa per Joab effusus ab ipso Salomone, & à Domo Patris sui.
8. Aman. Non aliter laqueo suspensus est Aman, qui innocenti
9. Cain. Mardochæo patibulum erexerat. Et Cain profugus vocatus à Deo in judicium, audivit clamasse sanguinem fratris Abelis vindictam in cœlum, vnde cum semine vniverso maledictus fuit. Non afferam plura exempla justitiæ divinæ, quia tota sacra Scriptura, & historia similibus referta est, & leges constitutæ zelum Dei satis manifestant. Sanè, vero Christiano non licet dubitare de justitiæ divinæ zelo maximo, quando piè considerat
10. Peccata merentur pœnas. Christum D. N. ob assumpta in se peccata aliena (nostra) sanctissimæ Trinitatis decreto tam gravi, & ignominiosa morte punitum. Angelorum multitudinem ob vnum
11. Exempla judicij Dei. peccatum superbiæ de infinitæ gloriæ sedibus ad infi-
12. Angeli. Adam. mas terræ tenebras, & æterna supplicia dejectos; & Adam ex vno morsu pomi in totum genus humanum ingentem

tem maledictionem provocaſſe. Hanc divinæ juſtitiæ rationem imitantur, Reges, Principes, Magiſtratus, quibus jus gladij conceſſum eſt, quando ſanctis legibus, malitiam hominum ſceleratorum præveniunt, & deprehenſos juſto judicio ad aliorum terrorem, & bonorum ſolatium ſtatutis pœnis condemnant. Non caret Reſpubl. Chriſtiana legibus, non deficiunt criminibus ſevera judicia, neque exempla deſunt juſtitiæ. Verùm cum nihilominus vulgaris ſit querela, quod propter defectum juſtitiæ, Chriſtianorum Regna, & Reſpublicas interire neceſſe ſit; examinavi pro exiguitate mea cauſas rei, & inveni Idolum Rationis Status etiam in cauſas

13. Ratio ſtatus evertit judicium ſanguinis.

ſanguinis ſeſe fraudulenter ingerere, & gladios principum aliquando à ſceleratiſſimis avocare, aliquando in optimos, & innocentes convertere. Quod vt facilius credant, qui de ſanguine hominis Deo tenentur reſpondere, doctrinam Macchiavelli Politicorum Ducis audiant.

14. Macchiavelli doctrina contra juſtitiam.

hic ſuo more impiè nimis docet, iram, & odium vno impetu evomendam, pro ſecuritate ſtatus hoſtes, & omnes eorum amicos radicitus tollendos; juſtitiam & virtutes propter Rationem ſtatus negligendas, & Factiones procurandas eſſe. Ex hoc fundamento ſæpè viri boni, qui Regi ſuo dicunt. non licet tibi habere vxorem fratris tui, non divortium facere, non hæreticis auxiliari, non Eccleſiam opprimere, non contra leges diſponere: vitam, & fortunas amittunt. qui verò adulantur, licere

15. Licet, quod libet.

Regi quod libet, non teneri legibus Imperantem, non ferendum eſſe contradictorem, nec benè geſtis Regis gloriam obnubilantem; divitijs, & honoribus accumulantur. Ex eodem fonte olim deſcendit ſententia capitis

16. Abimelech.

in Mardochæum, & gentem Judaicam: effuſio fraterni ſanguinis, vt Abimelech ſolus regnare poſſet. Ex hac

doctrina nascuntur, & vigent vitia in republ. admittuntur hæreses, & foventur; seditiosi impunè evadunt, justi, & inferiores opprimuntur: Reges justitiæ leges transiliunt, & tyrannidem apprehendunt. Non ergò injustè accuso Idolum Status, quod ipsam justitiam pessundat, & regna subvertit. Per leges iratus, & odio æstuans Judex rejicitur; Idolum, iram odiumque vno impetu docet evomere. Lex divina & humana statuit, quod anima quæ peccavit, illa moriatur, & culpæ suos teneant authores; sed Idolum omnes hostis amicos indifferenter eradicare præcipit. Deus, & recta ratio docent per justitiam, & virtutes regna conservari; Idolum status virtutes, & justitiam dicit Regibus esse impossibilem, imò sæpius inutiles; ideoque per discordias, Factiones disseminat, quando Deus pacem, & charitatem commendat.

17. Idoli status injustitia.

Sic furit in principum gladios & justitiæ thronum hoc impietatis Idolum, non alio fine, quàm, vt scelera multiplicentur, & regna à legibus Christianis soluta ad Gentium mores degenerent.

18. Idoli finis.

Advertant principes: ne bestiam injustitiæ venerentur.. qui justitiam præcepit Deus, moderatam clementiam non prohibuit. Sunt scelera, quæ publicam vindictam requirunt; sunt peccata, quæ veniam inveniunt. Verè justus erit Princeps Christianus, si causas sanguinis sine passione ita sanctis legibus committat, vt nec Deum, nec conscientiam offendat, neque misericordiæ terminos omninò transgrediatur. & hoc gloriosè præstabit, quando venenatum Idoli sibilum à judicijs eliminabit.

19. Cautio ad Reges de fraudibus Idoli.

20. Præmia quibus, & quomodo decernenda.

De pœnis transeamus ad præmia, in quibus ritè decernendis magna pars salutis publicæ consistit. Sunt autem præmia, quæ per viam justitiæ à Principibus distribuuntur, honores, officia, dignitates, divitiæ, quibus homi-

hominesad virtutem accenduntur, & quidem tam effi-
caciter, vt ex hiſtorijs nobis conſtet, Gentiles Græcos, 21. Præmia virtutis.
Romanos, alioſque ſpe gloriæ, triumphi, aut muneris
pro patria vitam intrepidos expoſuiſſe; & ex hoc fonte
nunquam illis viros illuſtres defuiſſe, qui fortiter agen-
do Rempubl. conſervarent, defenderent, & augerent.
Eadem eſt ratio de Chriſtianis; quia non ſolum commu-
nibus cum gentilibus ad virtutes præmijs provocantur,
ſed etiam æternæ felicitatis compenſatione invitantur,
tantò ſecurius, quantò Deus D. N. cujuſque merita ex- 22. Deus retributor iuſtus.
actius ſine errore novit, & ſingulis in pondere, & men-
ſura juſta retribuit. Quid autem Princeps Chriſtianus
in erogandis præmijs virtutum attendere debeat, à Chri-
ſtianis Politicis egregiè monetur. Vt, videlicet, ſepoſi- 23. Actiones æſtimandæ.
tis affectibus erga perſonas, heroicas actiones, & merita
conſideret; non aliorum interceſſiones reſpiciat, ſed
propria liberalitate benè meritos ſibi devinciat. Sic
enim gloria veræ juſtitiæ coronabitur, generoſos, & Ma-
gnates vehementer excitabit, inferiores ad magna inſti-
gabit, & omnium bonorum amorem ſibi conciliabit. Si
verò indignis, vitioſis, & publica fama immeritis officia,
& dignitates conferat, nobiles prætereat, & viliores aſſu-
mat, Juſti Principis nomen amittet, & vniverſum ſtatum
ſuum in pericula ruinæ conjiciet. Pro confirmatione
hujus veritatis placeat principi meo Chriſtiano Hiſto-
rias perluſtrare, & illa exempla juſtitiæ ſibi proponere,
quæ à ſanctis Regibus glorioſè peracta cognoſcet, & ad
gloriam Dei magis accedunt. cum juſtis, juſtus erit.
Quod, vt perfectius adſequatur, advertat quàm diligen-
tiſſimè, ne huic parti ſanctæ juſtitiæ venenum Idoli Sta-
tus admiſceat. Solet enim Ratio Status reges inducere, 24. Idoli fraudes in viros bonos.
vt ſuas ad ſpeciem fictas actiones largiter remuneret, &

veras virtutes opprimat. hinc ſæpius evenit, vt qui fortiter agendo Regibus coronas impoſuerunt, regna ab hoſtibus liberarunt, amiſſa recuperarunt, vel nova occuparunt, ſtimulante invidia non tantum non juſtis honoribus afficiantur, ſed non, rarò exilio, vita, & fortunis priventur, eò, quod Regibus ob nimiam gloriam inviſi reddantur, ambitionis, & inſidiarum accuſentur; vel quod humilioris conditionis ſint, aut extranei: vel, quod ob æſtimationem valoris regnum affectare dicantur. Eodem modo non carent Aulæ Regum exemplis,

25. Regni perituri ſigna.

in quibus verè generoſi Magnates ob virtutis ſplendorem non admittuntur, vitioſi viles ſupra modum extolluntur. Dignitates, officia, & judicia impijs, adulteris, & adulatoribus deferuntur, quando viri boni, juſti, & prudentes exulare coguntur. Quod totum ſuadet Ratio Status, quia libera debet eſſe principi de officijs, honoribus, & præmijs diſpoſitio, & populus honorare tenetur, quem Rex honorat. Sic diffundit virus ſuum

26. Cautio de præmijs ad reges.

Idolum noſtrum. Sed attende, Princeps, qui liberam præmiorum diſpoſitionem prætendis, vt juſta ſit, & non ſanctis legibus contraria. Vt honorandum exhibeas, qui tibi non ſit dedecori, vel exitio. Habet libertas principalis frenum divinæ legis. Si juſtè ſeminaveris, de juſtitia æterna metes. Si injuſta retribuis, juſta recipies. damna temporis, & infelicis æternitatis.

PVN-

PVNCTVM IX.

De exactionibus, & collectis.

GRavis est, & odiosa quæstio, an Principes de jure possint exigere, imponere, & extorquere à subditis nova subsidia, tributa, vel pecuniarias exactiones? Cultores Idoli Status, Politici Athei sicut Reges, & Principes suos absolutos statuunt rerum Dominos, ita voluntate pro lege vtuntur, vt quantum libet subditis imperent, auferant, & violenter ad sanguinem vsque extorqueant. Solent autem ijdem Politici apud Christianos moderatius agere; & hanc Tyrannidis speciem subtiliter velare; quando ad obtinenda tributa, necessitatem publicam, pericula belli, munitionum structuras, defensionem regni, & subditorum salutem allegant, & tamen illa in alios vsus sæpè malos pro libitu convertunt, aut in thesauris reponunt, aut ad luxum, & voluptates leviter expendunt. 1. Politicorum colores ad exactiones.

Christiani Principes limitatam habent à Deo, & legibus ad tributa licentiam, cujus terminos sine gravi peccato excedere non possunt. Permittuntur illis exactiones in subditos, quando inevitabilis necessitas publica, bellum justum defensio Ecclesiæ Dei, & hostium violentia hoc requirunt. De qua re malim princeps meus eximios Theologos, & Juris Doctores consulat, quàm vt à me vel sententiam, vel blanditias expectet. Conscientia pura securitatem dabit, non velamen Politicorum. Ne verò delicatam hanc Materiam prorsus subterfugere, & indignationem magis timere, quàm veritatem colere videar, de excessibus, & fraudibus Idoli Status quædam notanda breviter proponam. Excessus 2. Exactiones quando sint licitæ.

3. Excessus in Exactionibus.

inexcusabiles committunt Principes, quando non causas, ut causas fingunt: quando per ministros subditos dolosè circumveniunt; libera subsidia blandè postulant, & secretis comminationibus voluntati vim faciunt; cum paucis munera promittunt ut multitudinem inducant; cum ad speciem pauca petunt, & quantitatem concessam multis passibus excedunt; quando pios fines prætexunt, & in rebus pessimis sanguinem subditorum consumunt; quando sumptus pro salute provinciæ falsos

NB.

ultra modum extendunt, ut cum ingenti fœnore multiplicatos recipiant; quando ut ære alieno liberentur, vectigalia ad tempus certum obtinent, & illa conditione adimpleta in consuetudinem, imò legem continuant; quando subditis mercaturam prohibent, ut ipsi monipolia constituant, & utilitates privatorum acquirant. Sunt præterea infiniti alij excessus in hoc genere, quos infelix industria adinvenit, & principibus subministrat; quos omnes inexcusabiles dico, quia nullo jure divino, nec humano justificari possunt; De qua veritate si quis dubitet, ejus conscientiam propriam in testem, & judicem voco, & quæro in candore Christiano, an non injustè agat, qui per dolum ditescit? qui plus accipit, quàm datum sit? qui invito Domino rem alienam malis artibus acquirit? Utique graviter peccat; sed gravissimè Deum offendit, quando hanc insignem injustitiam pro peccato non agnoscit, non confitetur, ablata non restituit, & sibi de dolo congratulatur, de malitia gloriatur. Quod equidem pro communissimo, & infelicissimo excessu habendum existimo.

4. Injustè accipit, qui cum dolo agat.

5. Principes nolunt agnoscere peccatum exactionum.

6. Idoli fraudes pro exactionibus.

Contrarium tenet, & suadet Idolum Status, quod omnes excessus istos, & fraudes suas pro summa prudentia vult venerari; eò, quod Principibus suis absolutum Impe-

Imperium concedit, & de Ratione Status licita faciat, 7. Idoli abſolutum imperiũ, & dolus.
quæ alias divinis, & humanis legibus prohibita ſunt.
Per quæ falſa fundamenta Principibus timorem peccati
adimere conatur; quæ prima illius fraus,& induſtria eſt.
& hæc ſi ad Chriſtianas Leges examinetur, porta eſt ad
flagitia, ad veram Tyrannidem. quid enim non faciet,
qui Deum non metuit, peccatum contemnit.

Alteram ſpeciem fraudis inſtat Idolum Principibus,
cum per Rationem Status omnes exceſſus collectarum
excuſat. dicendo quod non teneantur ſubditis ſuas ne-
ceſſitates revelare, quæ aliquando majores ſint, quàm 8. Princeps non tenetur dare rationem ſub-ditis de exactionibus.
illi comprehendant. & ſi quis illas in dubium vocet,
quod crimen læſæ Majeſtatis committat, & ſceptro vim
inferat: quod tanquam ſeditioſi, & Rebelles puniendi
ſint, qui Principes injuſtitiæ arguunt, & tributa recu-
ſant.

Tertiam fraudem exercet in Miniſtris Principum, 9. Exactiones Idoli.
cum illis aureos montes promittit, vt quavis arte ex-
actiones promoveant. Sic ludit in humanis inſolens
hoc Idolum, vt juſtitiæ vim inferat; fraudulenter prin-
cipes à timore Dei revocet, ſecuritatem in Ratione ſta-
tus conſtituit, ſubditos dolo, minis, & metu devincit,
Miniſtros ſpe prædæ ad injuſta inflammat. Hæc vellem
quemcunque Principem Chriſtianum diligenter obſer-
vare, ne de poculo iniquitatis hauriat æternam damna-
tionem.

Verùm vt clarius innoteſcant Idoli fraudes, argu-
menta quibus nititur, diſſolvere conabor. & quidem ad
primum de abſoluto principum dominio reſpondeo.

Solum Deum D. N. omnipotentem creatorem, & 10. Solutio fundamenti Politicorum.
conſervatorem rerum omnium haberè abſolutiſſimum,
& juſtiſſimum in res creatas imperium. Homines verò

Reges,

11. Deus est absolutus non homo. Reges, & Principes tale absolutum imperium non habere; quia à summo Deo, quod habent certis legibus accipiunt, & ad rationem villicationis tenentur. Vicarij sunt Dei, Pastores subditorum. Quæ omnia Christianis veris in dubitata sunt, imò rei evidentia convincit contradicentes; quia Deus D. N. non tantum dat, & transfert regna, sed etiam quando vult, aufert spiritum principum. Populos autem in particulari, & cuilibet hominum sua distribuit bona, cum libertate vtendi, fruendi; emendi, vendendi secundum leges veræ justitiæ. ergo Deus solus est omnium Dominus, cui Rex, & subditi in suo gradu ad rationes obligantur.

12. Objectio Impiorum. Si quis objiciat multos reges, & principes infideles, barbaros, Turcas absolutum in bona, & vitam subditorum habere imperium.

13. Solutio objectionis. Respondetur, hoc Tyrannis esse proprium, & atheis. non tamen illos habere, sed aliquando vsurpare violenter absolutum imperium.

14. Voluntas Regis, non est lex. Ad secundum argumentum Politicorum, quod voluntas principis pro lege valeat, dicitur. falsissimum esse hoc pronunciatum, solis Tyrannis vsitatum, indignum Christianis, qui voluntatis suæ terminos habent mandata Dei, & justitiæ.

De fraudibus Idoli, quas vt summam prudentiam principibus venditat, & instillat, eadem est resolutio. Christianis prohibitæ sunt, injustæ sunt, damnatæ sunt.

15. Objectio Tepidorum. Si dicas principes Christianos solere de generali consuetudine subditis ad facilitandum consensum pauca tributa imponere, & per ministros multa secretius colligere, ex superfluis necessitatibus occultis satisfacere, templa, & monasteria sacra extruere, fundare, seu dotare.

dotare. & ideò illum modum collectandi injustum non esse, neque inter Idoli fraudes numerandum.

Respondetur, nullam consuetudinem quæ nutriat peccatum, Christianis probari; sed hæc grave continet peccatum; Ita non valet consequentia, princeps habet occultas necessitates. ergo subditos circumvenire, & ab illis arcanis medijs subsidia extorquere potest. odit tenebras doli verus Christianus. Eodem modo non valet principem superflua ad pios vsus convertere, quia regula Christianorum servanda est. non licet facere malum, vt eveniat bonum. si pius est princeps, de suo habet, quod largiatur.

> Solutio objectionis.
> 16. Consuetudo peccati non excusat.
> 17. Non licet facere malum, vt eveniat bonum.

Dixi Christianus quod sentio, & lubens delicatam hanc offensionis quæstionem desero. Sed quia vndique non tantum Politicos cultores Idoli, verùm etiam plerosque Principes, aulicos; & religiosos contradicentes, & inclamantes audio, quod in collectis tam stricta ratio conscientiæ, & justitiæ servari non possit: quod per hunc rigorem nimis coarctentur, & potentia necessaria destituantur, depauperentur, & ab omni liberalitate impediantur. Necessariò omnibus, & singulis respondeo. hæc argumenta ex scholis Idoli Status provenire, apud veros Christianos falsa esse. quia non est major ratio, quare in collectis conscientiæ puritas, & justitiæ rigor observari non possit, & debeat, quàm in quacunque alia actione humana; præsertim cum lex divina non excipiat, nec distinguat. nisi velimus dicere, principes in hoc casu extra legem esse. quod privilegium adhuc magis impium est. Deinde quia justus princeps non coarctatur, quando ad leges conscientiæ reducitur; cum in mala conscientia nulla sit libertas. Tertiò, quia non minuitur potentia, qui injusta remedia recusat; roboratur, & confir-

> 18. Exactionis effugia.
> 19. Effugia Politicorum pro injustis exactionibus.
> 20. Privilegium debet constare.

matur, qui ſuis contentus, juſtè accipit, juſtè diſtribuit. Quartò, quia nunquam benè diteſcunt, qui aliena dolo acquirunt, vel violenter rapiunt. Non eſt Rex juſtus, pauper. Quintò, quia gratior, & ſplendidior eſt liberalitas, quæ de proprijs procedit, quàm quæ pauperum ſudore maculata eſt.

21. Fructus exactionis injuſtæ.

Odioſus eſt, & gravis hic rigor, ſed neceſſarius ad liberandos principes, & ſubditos à periculis æternæ ſalutis. niſi enim illi ab injuſtis exactionibus ſeſe contineant, & hi à maledictionibus abſtrahant, æternùm peribunt. quod ſibi dici indignè non ferent, qui minas Spiritus ſancti devota mente conſiderant. Væ divitibus, qui, ſcilicet, per media illicita diteſcunt. Si fueris dives, non eris immunis à delicto. Qui volunt divites fieri, inquit S. Paulus, incidunt in tentationem, & laqueum Diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociva, quæ mergunt hominem in interitum, & perditionem. Chriſtus ipſe verus Dominus noſter dicit, facilius eſt Camelum per foramen acus tranſire, quàm divitem intrare in regnum cœlorum. Idem beatos prædicat pauperes, erigit illos, & collocat cum principibus, in ſedibus æternis.

22. Spiritus S. minæ in divites injuſtos.

23. Divitiæ malæ.

Ex his velim princeps Chriſtianus conſideret, cum divitiæ natura ſua ſint periculoſæ, quàm nocivæ futuræ ſint illæ, quæ malis artibus per fraudes Idoli Status, vnde non licet, ſecretis funiculis acquiruntur. non fallit æterna veritas.

24. Theſaurus principum, amor ſubditorum.

Verùm, vt de rigore ad lenitatem veniamus, ad ſalutares divitias Principi Chriſtiano hanc viam ſternimus. Si piè, juſtè, & paternè ſubditos gubernet. hoc eſt, ſi in recta fide, & pura conſcientia Deo fideliter ſerviat, & virtutum ſplendore ſubditis præluceat. Si leges juſtitiæ, & patrias conſuetudines obſervet; ſi paterno amore ſubdi-

ſubditorum vtilitati, & ſaluti conſulat, & proſpiciat. diteſcet cum ſalute, & gloria. Sicut David Rex, Abraham, Job, & alij viri cum divitijs feliciter floruerunt. Sicut malè parta, malè dilabuntur, ita legitimè acquiſita feliciſſimè multiplicantur. Et auſim affirmare principem, qui propter veras virtutes à ſubditis tanquam filijs diligitur, omnium ſubditorum ſubſtantiam ſuam facere; illum verò, qui dolo, vel violenter omnia conatur eripere, & divitias, & animos perdere. Non eſt theſaurus major, quàm qui in amore mutuo fundatur. Ex amore profundunt fideles ſubditi vitam, & ſanguinem pro ſuo principe. ergo multò facilius fortunas ſuas ad neceſſitates offerent. Si ergo vis diteſcere, mi Princeps, cura paternè regendo ameris. Si Idoli conſilia ſequaris, poſt ſomnium concupiſcentiarum nihil invenies in manibus vanitatis tuæ; & quod terribilius eſt, propter dolos, & injuſtitias incides in manus Dei; perdes infelix quas rapis divitias; regnum tuum transferretur in alium, & delebitur de terra nomen tuum. Audi Iſaiam, quicunq; rigorem meum accuſas. Hæc dicit Dominus redemptor tuus ſanctus Iſrael: ego Dominus Deus tuus docens te vtilia, gubernans te in via, qua ambulas: vtinam attendiſſes mandata mea, facta fuiſſet ſicut flumen pax tua, & juſtitia tua ſicut gurgites maris; & fuiſſet quaſi arena ſemen tuum, & non fuiſſet attritum nomen ejus à facie mea. Attende benedictionem certam, ſi in via Dei ambules, & comminationes infallibiles. ſi à mandatis Dei tui in fraudes Idoli Status declines. Beatus vir, qui poſt aurum non abijt, & non ſperavit in pecuniæ theſauris.

25. Malè parta.

26. Amor ditat.

27. Cautio ad Reges in exactionibus.

28. Iſaiæ minæ in injuſtos.

Actum eſt pro inſtituto de juſtitiæ partibus, in quibus ratio ſtatus falſa more ſuo ſecretum virus in republ.

Christiana exercet. & quia simul injustitiæ malum attigimus, ad fortitudinem properamus.

PVNCTVM X.

De fortitudine Principis Christiani.

1. Fortitudinis descriptio, & divisio.

FOrtitudo est virtus considerate suscipiens pericula, & ferens adversa. Hæc activa est, & passiva. Activa versatur circa actiones internas, & externas. Internæ sunt concupiscentia, motus, & affectus nostri: externæ sunt bella, quæ contra legitimos hostes suscipiuntur. Passiva fortitudo consistit in ferendis adversis, laboribus, & periculis. De singulis videamus, quantum ad institutum sufficit. & quidem de fortitudine circa actiones internas, dicimus cum Ecclesia Dei ex Doctrina Spiritus sancti, quod illa sit perfectissima, honore, & gloria sempiterna victores coronans. qui bellum gerit adversus propriam carnem, blandum nimis, & amicum hostem; adversus exercitus concupiscentiarum; voluntatem, & proprium judicium, tum etiam adversus omnia vitia, quibus humana fragilitas impugnatur: qui omnes hostes sunt nostræ salutis omnium gravissimi, & potentissimi. ergo qui de illis fortiter pugnando per Dei gratiam triumphos agunt, perfectissima fortitudinis specie gloriose decorantur. juxta illud. fortior est, qui imperat proprijs affectibus, quàm qui vrbes expugnat. Sciunt, & intelligunt qui Spiritu Dei ducuntur, quàm grave sit bellum propriæ carnis blanditias superare, concupiscentijs frenum injicere, voluntati propriæ vim inferre, alienæ obedire, se ipsum abnegare, vitiorum consuetudinem relinquere, & occasiones devitare. Neque de his, cum veris Christianis, vlla est difficultas.

2. Fortitudo interna qualis sit.

3. Fortitudo vera.

Sed contradictio Politicorum est manifesta, qui hanc excellentissimam fortitudinem more suo rident, & rejiciunt. quod pusillanimitatem inducat; quod reipubl. inutilis sit & nociva: & quod extra se ipsam non efferatur, in proprijs moriatur.

4. Politicorum argumenta contra fortitudinem internam.

Ad hanc contradictionem respondetur, Atheorum hoc proprium esse, veras virtutes ignorare, actiones spirituales contemnere, & vitia coloribus virtutum vestire. quia ipsum Deum negant, spiritum carni subjiciunt, & vitia profitentur. In specie negatur, fortitudinis hanc partem, quam propriè militiam hominis vocamus, pusillanimitatem inducere: quia non tantum adversus vitia leoninos animos addit, sed & ad virtutes accendit, aspera in vias planas convertit, evellit, & destruit, disperdit, & dissipat peccata, vitiosos habitus, & consuetudines, passiones sensuales, propriam voluntatem, & judicium. ac deinde ædificat, & plantat domum infirma petra salutis, & vineam charitatis in horto concluso. quæ utique opera sunt veræ heroicę fortitudinis, non abjecti animi. ergo quæ tam violentos hostes debellat Christiana fortitudo, pusillanimitatem non inducit.

Solutio arg.

5. Idolum nescit virtutes.

6. Militia hominis.

NB.

7. Fortitudinis internæ effectus.

Quod dicunt pari impietate hanc nostram fortitudinem inutilem, imò nocivam esse reipublic. falsum est, si de Christiana republ. verum, si de sua falsa ratione Ratione Status intelligant. quia illa in virtutibus fundata est; hæc in vitijs turpiter volutatur. ergo fortitudo Christiana utilis est reipubl. Christianæ, nociva Idolo Status, quod virtutes ignorat. Ad labem, quam adjiciunt. quod hæc fortitudinis species circa internas actiones mortua sit, & extra ipsum hominem non efferatur. Respondetur, Politicos abundare in suo sensu erroneo, deficere in spiritu, quem supra desideria carnis in Deum

8. Fortitudo politicorum.

9. Fortitudo mortua, viva.

elevare neſciunt. Si mortua eſt virtus, quæ cum vitijs, & concupiſcentijs bellum gerit continuum, & victrix virtutum laurea coronatur, quomodo, (audite athei) vivit veſtra fortitudo, quæ paſſionum motibus leviter ſubjecta eſt, & fortunæ impulſum neceſſariò ſequitur? Eſtne vobis vitijs, & fortunæ ſubjici, vivere; & mori, hoſtes inteſtinos vincere? Non eſt in peccato vita. neque in virtute mors. Dicite, quod res eſt, vos Chriſtianam hanc fortitudinem non agnoſcere, & in Ratione Status

10. Politici fortes ſunt ad vitia, ad virtutes nulli.

veſtri vtpote vitijs contrariam non admittere. hoc credimus, quod peccatis mortui, vitam virtutum non vultis intelligere. Compatior vobis, & principes Chriſtianos ad glorioſiſſimum certamen provoco, in quo vitia evelluntur, paſſiones vincuntur, & in vera virtute turris æternæ ſalutis ædificatur. grave eſt hoc bellum, ſed felix nimis victoria, quam vt ſingulis in Chriſto fideliter imprecor, ita hanc fortitudinem circa internas actiones tanquam medium ad finem illis humiliter commendo.

11. Cautio de Chriſtiana fortitudine ad Reges.

Si principes Chriſtiani deſiderant de hoſtibus triumphos; diſcant prius malis affectibus imperare, concupiſcentias limitare, & ſecundum Deum vitam, & actiones ſuas inſtituere. trahet prima felix victoria interna poſt ſe externam cum gloria; tunc vivent cum Apoſtolo feliciter, quando ſpiritu principali facta carnis mortificaverint.

12. Atheorum ſordes.

Chriſti erunt, in æternum beati, ſi carnem crucifigant cum vitijs, & concupiſcentijs. ad hoc vivit miles Chriſtianus. atheus verò in ſtercoribus carnis computreſcit, in ſordibus æternùm moritur.

Poſt expugnatos hoſtes internos, ſuccedunt externi. mundus, & Diabolus, omni armorum genere inſtructiſſimi, qui ſuis illecebris, & aſtutijs per mille dolos, & inſidias homines infeſtant, vt illos de via ſalutis in puteum

teum interitus ſeducant. His opponimus fortitudinem 13. Fortitudo Chriſtiana contra mundum & diabolum.
activam, quæ circa actiones externas verſatur, fundatam
in eo, qui vicit mundum Chriſto Jeſu D. N. & in viva fi-
de. Et quidem hanc fortitudinem Principibus tantò
magis neceſſariam judicamus, quantò gravius à vanitate
mundi, & à Diaboli laqueis impetuntur. Oſtentat ille
latè patentia regna, palatia, divitias, ſolatia: hic omnia 14. Diaboli inſidiæ.
promittit, ſi cadentes ipſum adoraverint. quomodo ita-
que non decipientur, & non cadent, qui ambitionis, &
ſuperbiæ terminos vix ſciunt, niſi Chriſtiana hac forti- 15. Fortitudo Chriſtiana.
tudine accingantur? & arma lucis induant, ut principes
tenebrarum expugnent? ſcio Politicos atheos & hanc
virtutis noſtræ partem ridere, & à republ. ſua rejicere.
Sed non minus ſtultè, quam impiè, quia dum pace cum
mundo fruuntur, & hoſtem humani generis amicè ve-
nerantur, pereunt cum mundo, & Diaboli mancipia
fiunt. Sentient aliquando, qui ridebit in interitu ipſo-
rum, juſtum judicem. Certabunt ergo principes Chri-
ſtiani præcincti fortitudine noſtra contra mundi vani-
tates, & Diaboli dolos legitimè, ut glorioſi victores æter-
nùm coronentur.

De ſpirituali fortitudine tranſeamus ad activam 16. Fortitudo activa quæ.
illam, quam propriè fortitudinem vocant omnes, & ver-
ſatur circa bella, labores, & pericula, quæ regali animi
magnitudine pro Republ. ſuſcipiuntur. Hæc eſt illa,
quam Macchiavellus dicit per religionem Chriſtianam
defeciſſe, & quam contra eundem in ſuperiori libro de-
fendimus. Hæc eſt cuſtos aliarum virtutum, mortem, 17. Fortitudinis qualitates.
& omnia terribilia contemnens, Rempubl. metu libe-
rans, hoſtes vel ſola opinione propellens: quæ nec ad-
verſis frangitur, nec arduis perturbatur, & ideo Reipub.
ſummè neceſſaria. De hujus virtutis excellentia do-

ctiſſimè

18. Lipsii constantia. ctissimè scripsit Justus Lipsius in libro de constantia, quem nunquam sine fructu legent principes. Et licet omnes Gentilium historiæ fortitudinem suorum Ducum, Imperatorum, militum vltra modum extollant, & quantum ingenio assequi potuerunt, per omnes eloquentiæ gradus superbè prædicent, quasi soli fortes æstimandi sint; ego tamen Christianæ veritati inhærens illos, nec veram fortitudinem habuisse, nec verè fortes fuisse constanter asseverare non erubesco.

19. Gentiles non fuerunt verè fortes. Ratio est, quam supra allegavi, cum Christianorum fortitudinem contra Politicos Christianus defenderem, quia Gentilium fortitudo, vel si mavis, feritas, non est vera virtus, non est à Deo, fundatur in propria vanitate, objectum habet humanam gloriam, æterna nescit præmia.

20. Fortitudo Christianorum est vera virtus. Nostra vero fortitudo Christiana est vera virtus à Deo proveniens, objectum habens nobilissimum, æternam felicitatem, in gloria summi Dei D. N. Hanc solam, & non barbaram illam Gentilium feritatem, aut levem perituræ laudis gloriam, principi Christiano commendo. Efferant quantum volunt, & possunt Gentilium scriptores suorum fortitudinem: contemnat Idolum Status per suos Secretarios, quantum satis Christianorum lenitatem; ego in viro magnanimo, timente Deum, & in bona conscientia sperante æterna præmia, solidam fortitudinem sedes suas fundare existimo, & ad rectæ rationis, justæque comparationis de rebus Gentilium, & Christianorum fortiter gestis judicium provoco. Si fortis fuit Alexander, Scipio, Hannibal, quare Constantinus, Theodosius, Carolus V. fortitudinis gloria privandi sunt? pugnarunt illi, vt regna sua dilatarent, Rempublic. defenderent, & humanæ gloriæ fastigia conse-

21. Fortitudinis Gentilium comparatio cum Christianorum virtute.

queren-

querentur; hi verò invictis animis pro gloria Dei sui, & Ecclesiæ incremento contra infideles justis armis decertarunt, & non minus gloriosè vicerunt. Illi laborum suorum præmia cum vita vanè concluserunt; hi præter mundi gloriam æterna felicitate perfruuntur. Sint Politicis fortes Gentiles, mihi fortiores sunt, qui in Domino Deo suo confidunt, & ex amore divinæ gloriæ justa arma suscipiunt, fortiter agunt, & sustinent. hoc verè Christianum est.

22. Fortes Christiani.

Superest fortitudo passiva, quæ in perferendis adversis versatur. hanc Aristot. præcipuam speciem fortitudinis existimat, Christiani constantiam vocant, Machiavellus, & Politici à Republ. rejiciunt. Si mihi liberum est judicium, Aristotelem rectè sentire, & sua virtute malos Christianos confundere judico. Christianis quam profitentur constantiam in Deo fideliter exopto. Machiavellum verò, & Politicos atheos à Repub. & consilijs principis mei in perpetuum relegandos censeo.

23. Fortitudo passiva.

Et quia Constans est Christianorum de gloriosis Martyribus, & militibus suis sententia, huic subscribens Machiavelli falsam doctrinam in theatrum produco. Dicit ille. Passivam fortitudinem non esse Politicam; nihil agere pro republ. & esse abjecti animi ipsum pati. Vt impio secundum stultitiam suam respondeam; quæro, quare non sit Politica? an quia sine Deo non est? Sanè si hoc valet, insignis Politicus est Machiavellus, qui sine Deo est, vitia docet, fortunam colit. An quia non est ficta virtus? Et sic rectè sentit, quia non fingit, qui pericula, & mortem fortiter sustinet. An non est Politica, quia reipubl. non prodest. Hoc falsum est. quia non minus exempla pro republ. constanter occumbentium, quam fortiter agentium vtilia sunt. Sic omnes sapien-

24. Machiavelli argumenta contra fortitudinem passivam.

NB.

tes judicant. An id, quod dicit fortitudinem paſſivam
25. Fortitudo vtilis. nihil agere pro republ. Reſpondetur, ſi labores, curas, adverſa, tormenta, & mortem pro Reipubl. ſalute ſuſcipere; nihil eſt agere, otioſa eſt fortitudo. Sed felicius eſt hoc otium, quàm actio Machiavelli, qua rempublic. Chriſtianam vitia docendo defœdavit.

Quod ipſum pati dicit eſſe abjecti animi. negamus ſimpliciter, quia verè heroica virtus eſt mortem contemnendo infracto animo pati. Si non, quæro an ſecundum Machiavellum fortitudinem fingere, & fortunæ ventis ſine reſiſtentia impelli, ſit magni, & conſtantis
26. Machiavellus nec benè agere, nec pati docet. animi? vno verbo expedio. Machiavellus nec fortiter agere, nec pati docet; quia omnes ſpecies fortitudinis, aut ridet, aut rejicit, vt Rempublic. ſuam Tyrannis, & hoſtibus exponat.

27. Fortitudo paſſiva eſt Reipubl. neceſſaria. Relicto ergo hoc lanione, fortitudinem paſſivam, glorioſam martyrum conſtantiam, & moderatam pro Republ. malorum perpeſſionem, veram virtutem, & omni Reipubl. neceſſariam eſſe ſtatuimus.

28. Via ad fortitudinem veram. Verum quomodo ad hanc præcellentem virtutem, quæ verè inexpugnabile eſt munimentum Chriſtianæ reipubl. princeps meus pervenire poſſit, viam planam oſtendo. Si naturæ ſuæ imbecillitatem prudenter conſideret, à Deo D. ſuo veræ fortitudinis gratiam petat. Si non in proprijs viribus, ſed in Domino confidat, ſi Sanctis Eccleſiæ Sacramentis ſæpius ſeſe muniat. ſi ſobriè vivat, delicias fugiat. Si fortiſſimorum virorum æmulator, agere, & pati fortia in oblatis periculis aſſueſcat. ſi ſe ipſum in paſſionibus vincere ſtudeat; virtutes ſectetur, & ex puro amore Dei ad majorem ejus gloriam omnia dirigat, omnia agat, omnia ſuſtineat, æterna præmia cum fiducia ſperet.

In his formatur vera fortitudo, & armatura Principis Christiani. In Domino sperabit, & non timebit, quid faciat illi homo. si consistant adversus eum castra, non timebit. neque trepidabit, quia protectorem vitæ habet Deum. Dominus fortitudo, & salus nostra. amanti Deum nihil erit difficile. Dominus exercituum defendit justos, & nemo resistit illi. 29. Deus fortitudo Christianorum.

Qui plura de hac virtute desiderat, legat Christianos Politicos, non atheos vitiorum Doctores. Intelliget ex eisdem, quàm longè absit à vera virtute feralis illa Gentilium crudelitas, inconsiderata temeritas, & sine consilio levis audacia. tum etiam quàm nocivus sit Principi, & reipubl. leporinus metus, & turpis pusillanimitas.

PVNCTVM XI.

De Temperantia Principis Christiani.

TEmperantia est virtus, quæ inordinatis concupiscentijs honestum moderamen imponit. Hæc versatur maximè circa quatuor objecta, quibus humana infirmitas plerumque captiva ducitur, & deprimitur. Primum objectum est facultatum, seu divitiarum. Secundum, est voluptatis. Tertium, honoris & ambitionis. Quartum, est libertatis in propria voluntate, & judicio. 1. Temperantiæ descriptio. 2. Temperantiæ objecta quatuor.

Circa facultates, & divitias hoc agit, & præstat temperantia, vt concupiscentiæ omnium, & singulorum in rebupl. pro status decentia terminos statuat, amorem habendi refrenet, modos acquirendi non nisi justos admittat, datis, & acquisitis honestè vti frui doceat. & secundum leges Dei, & rectæ rationis moderatum vsum ad salutem æternam dirigat. 3. Temperantiæ fructus.

4. Sobrietas. In voluptate sensuali refrenanda assumit temperantia cognatam sibi sobrietatem, cum qua hoc operatur, vt in cibo, & potu, conveniens naturæ modus servetur, & in carne turpia, & illicita non committantur.

5. Superbia vitæ. In superbia vitæ, ambitione, gloria, & honore, maximè laborat temperantia, ne Christiana humilitas à republ. in exilium relegetur, ne exorbitans elatio ad ima demergat, ne cupiditas, regnandi servitutem æternam inducat, neve vanitas confusionem pariat.

6. Voluntas libera. De libertate voluntatis propriæ sic disponit temperantia, vt illam primò divinæ voluntati subjicere, & conformare, dein rectæ rationi obedire doceat.

Ex his functionibus cognoscit Princeps, & omnis in republ. Christianus, quàm insignis, quàm necessaria sit virtus temperantia, quæ motibus animorum, & excessibus modum statuit, & reliquas virtutes illustrat.

7. Temperantiæ defectus perdit regna. Equidem qui historias attentius legunt, & conversiones regnorum considerant, vtique vident ex defectu temperantiæ, vel ob propria commoda, vel delicias, vel superbum dominatum, vel propter voluntatis propriæ amorem, & judicium, summa Imperia decidisse, & de gente in gentem admirabili revolutione translata esse.

8. Temperantia moderatur omnes virtutes. Similiter in actibus humanis evidens est experientia, prudentiam in amore proprio delitare, justitiam auro corrumpi, fortitudinem delicijs enervari, & omnes

9. Temperantia necessaria. virtutes in excessu deficere, nisi per illustrem temperantiam in terminis rectæ rationis contineantur. ergo hæc virtus reipubl. summè necessaria est, & vtilis.

De hujus nobilissimæ virtutis præstantia, & necessitate non dubitant, qui humanæ concupiscentiæ impetus, & violentias intelligunt, & superare conantur. Qui verò libertatem regiam docent de temperantia vilissimè

senti-

ſentiunt: eò, quod ſit bonum quoddam perſonale non ſe extendens ad rempubl. 2. quod auferat Regibus libertatem vitæ, & voluntatis. 3. quod minuat potentiam, & Majeſtatem regnantium. 4. quod ſecundum reformatos hæreticos noſtri ſeculi Calviniſtas, & Lutheranos, continentia carnis ſit impoſſibilis. 5. quod ſufficiat Principi temperantiam præ ſe ferre, etiamſi ex genio vivat.

10. Argumenta Politicorum contra Temperantiam. 1. Argum. 2. Argum. 3. Argum. 4. Argum. 5.

Nos, vt Chriſtianam hanc virtutem, ab atheorum Politicorum injurijs defendamus, & principibus cum primis commendatam faciamus, illorum argumenta examinando diſſolvemus, & ipſius virtutis inſignia, fructus, & neceſſitatem in republ. proferemus.

Ad primum argumentum, quod temperantia ſit virtus perſonalis ad rempubl. ſe non extendens. Dicimus, omnes virtutes eſſe perſonales, hoc eſt ineſſe perſonis, & efficere homines virtuoſos, temperantes. ſicut juſtitia facit juſtos, prudentia prudentes, ita temperantia moderatos reddit. Quod autem temperantia Principum nihil conferat ad rempubl. ſimpliciter negamus. & quærimus ex Dominis Politicis; an Princeps temperans in acquirendis, & diſtribuendis divitijs. Dominus paſſionum ſuarum, caſtus moderator voluptatum carnis, & deliciarum; ambitioni, & ſuperbiæ juſtos terminos præfigens, & propriam voluntatem ſapientum conſilijs ſubmittens ſuo exemplo nihil vtilitatis afferat reipubl. ſi aſſerunt, communem veritatem impugnant, & reipſa confunduntur. quia ſicut diſſoluta vita Principum rempubl. inficit, & ſubvertit, ita caſti mores, & juſtum in rebus agendis moderamen, eandem conſervant, & amplificant. hoc infinitis exemplis, adeò certum

Solutio arg. 1. 11. Temperantia eſt virtus perſonalis.

12. Temperantia Reipu. vtilis.

13. Politici rident temperantiam.

est, ut nihil dubij consideranti relinquatur; ergo Politici athei malè de temperantia judicant.

Solutio arg. 2. 14. Temperantia non aufert libertatem.

Ad secundum argumentum respondetur, Temperantiam auferre regibus libertatem illicitam, inhonestam, & injustam, non autem veram, & quæ secundum Deum ad ultimum finem, & reipubl. Christianæ felicitatem conducit.

Solutio arg. 3. 15. Vitia nunquã faciunt reges potentes.

Ad tertium argumentum respondetur, hoc sua falsitate corruere. quia per excessus, & vitia, non per virtutes veras minuitur regum potentia, & Majestas. crescit regalis potentia, quando justitia temperat divitias, & moderati mores amorem subditorum conciliant. fulget Majestas quando continens regum vita subditos ad virtutes provocat.

Solutio arg. 4 16. Hæretici excusant suam libidinem accusando Deũ.

Ad quartum argumentum respondetur, falsam esse hanc hæreticorum de impossibilitate continentiæ carnis doctrinam, quia ipsum Deum D. N. arguit injustitiæ, cum ille strictissimè mandet, fornicationem, & immunditiam carnis ne quidem nominari inter Christianos, ipsi impossibilem esse continentiam doceant. S. Paulus Apostolus damnat opera carnis, dicens, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.

17. Continentia hæreticorum.

Idem, ut alios Ecclesiæ Doctores prætercam, suadet, & præfert nuptijs virginitatem. hoc scitis, carnis mancipia, hæretici: aut ergo falsum docetis, aut Christus D. N. injustè impossibilia requirit, & Apostolus stultè virginitatem impossibilem laudat, & suadet. Hæc dura sunt, & Ecclesiæ judicanda relinquo. Ego, quia impurà doctrinà rempublic. Christianam commaculatis, politicè vobiscum agam. & primò candidè quæro. si impossibilis est carnis continentia, quomodo dum unus conjugum diutius infirmatur; alter ab adulterio cavebit?

18. Discursus ad homines hæreticos de illorum incontinentia.

bit? quomodo maritus in negotijs, legationibus, vel bello foris occupatus, de honeſtate vxoris ſecurus erit, quam religioſè incontinentem credit? quomodo filias veſtras, vt virgines, poſt nubiles annos deſponſatis, ſi impoſſibilis eſt continentia? quare leges pænales adulteris ſtatuitis, cum adulteria vobis neceſſaria ſint? Quomodo facultates, & bona veſtra juſtè in hæredes ſuos transferuntur, quando mora, vel abſentia vagam libidinem neceſſariam æſtimat? ſi vos vxores, & filias veſtras incontinentiam docetis, illæ ne in religionem delinquant, corpora turpiter proſtituant, quomodo inter vos nobilis, aut honeſta matrona, aut filia nominari poteſt? ſecundo quæro. Cum impoſſibilis ſit carnis continentia, an omnes ſitis adulteri, fornicatores, immundi? ſi non, dicite, quid in diuturna conjugis infirmitate, vel abſentia agitis? ſi continentes vos prædicatis, quare impoſſibilitatem continentiæ docetis? ſi torum violatis, quare adulterij famam injuriam reputatis? Attendite quàm graviter per impuram hanc doctrinam in Deum, in rempublic. in vos ipſos, in conjuges, & proles, in honeſtatem morum, & puritatem Chriſtianæ vitæ delinquatis. & ſi omninò carnis Imperio paretis, ſaltem à tam perverſa doctrina abſtinete.

19. Continentia impoſſibilis.

NB.

20. Hæreticorum confuſio.

Ad quintum argumentum reſpondetur ex eis, quæ in articulo de fictione virtutum contra Machiavellum ſupra dicta ſunt. quod, quia abominabilis eſt Deo, omnis hypocrita, omnis Chriſtianus, præſertim Princeps in ſplendore virtutum ambulare, & prælucere, nihil doloſè fingere debeat. Idoli ſtatus ſunt iſta, & diaboli, ad omnem libertatem carnis incitamenta, veris Chriſtianis prorſus abominanda.

Solutio arg 5.

21. Idoli fictio.

Reſpondimus atheis, excitemus molliores, & rectis

corde

corde ſtimulum addamus, vt temperantiæ virtutem ple-
nis vlnis amplectantur. Conſideret Princeps Chriſtia-
22. Temperantia quare Principi neceſſaria. nus conditionem ſtatus ſui ſecundum quatuor objecta
humanæ concupiſcentiæ, & videbit quàm neceſſaria
ſibi ſit, & glorioſa temperantia. Si divitias ſpectet, in-
ſatiabilem auri famem ſentiet, quam vt expleat, vel per
illicita media theſauros congregabit, vel eiſdem ad lu-
xum, & ſuperbiam abutetur, niſi ad leges Dei, & rectæ
rationis per temperantiam concupiſcentiam refrenet.
23. Concupiſcentia. Si voluptates carnis conſideret, inveniet naturalem in-
clinationem tantò vehementiorem, quantò ſibi omnis
24. Ambitio Regum. occaſio liberior eſt. Si honorem & ambitionem exami-
net; amor gloriæ, & latius regnandi cupiditas, elati cor-
25. Reges liberi ex Idolo. dis dominium habere deprehendet. Si denique liber-
tatem voluntatis, & judicij inſpiciat, videbit ſe illam
plus quàm Idolum colere; quia nihil ſibi vult denegari,
qui de impunitate potentiæ ſecurus eſt. Accedit, quod
Idolum ſtatus licentiam ad hæc omnia aperit; eò, quod
Principi liceat, quodlibet. Quid ergo in tanta poten-
tia, occaſione, gloria, & libertate faciat Princeps? Aſſu-
mat præclaram virtutem temperantiam, non vanam
26. Cautio de Temperantia ad Reges. illam Gentilium, ſed Chriſtianam. Sequatur præcepta,
& conſilia Dei ſui, & Eccleſiæ. Curet, vt æternam glo-
riam ex eo referat, quod tranſgredi potuerit, & non ſit
tranſgreſſus. Caveat, ne vel minimum ſubditum vitæ
27. Vinum luxuriæ. licentia, vel turpitudine ſcandalizet, ne demergatur in
profundum maris. non bibat vinum, in quo eſt luxuria,
& quod in oblivione judiciorum mutat cauſam paupe-
ris. Cogitet reflectendo non eſſe aliam viam ad repri-
28. Temperantiæ fructus. mendos impetus naturales, quàm temperantiam verè
Chriſtianam, cujus inſignia, & fructus ſunt, per hone-
ſtum moderamen concupiſcentiarum, & actionum fa-
cere

cere Principem Deo charum, hominibus amabilem, bonis gloriosum, terribilem malis. Legat comminationes divinas, & exempla eorum, qui intemperantes in sordibus carnis miserè perierunt. Non minus attendat in illos reges, & proceres, qui ob insignem temperantiam, & modestiam, regna, gloriam, & æternam felicitatem obtinuerunt. & si istis non movetur ad servandam temperantiam; credat principatum suum non fore diuturnum. Qui divitem Epulonem demersit ad inferos, & Davidem adulterantem castigavit, non parcet Principi parvulos scandalizanti. concludo cum Evangelista. Attendite vobis (ô Principes, & subditi) ne fortè graventur corda vestra in crapula, & ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa. Dies felicem, vel infelicem producens æternitatem.

19. Temperantia reddit reges felices, & amabiles.

PVNCTVM XII.

De Clementia, & opposita illi crudelitate.

Clementia est virtus, animum à pœna, aut vindicta ad lenitatem cum judicio inclinans, & flectens. habet hæc sorores mansuetudinem, & misericordiam, virtutes Christianis dignas, & commendatas, Gentilibus invisas, aut ignotas. Addidi Lipsianæ definitioni hæc verba (& flectens) quia non est perfectæ virtutis tantum inclinare, etiam operari, ad actum flectere necesse est.

1. Clementiæ descriptio.

Contra hanc egregiam virtutem furit suo modo Idolum status, & vt ipsas à republica prorsus rejiciat, dicit primò Clementiam derogare justitiæ; eò, quod illa destruat, quod hæc sanctis legibus decernit. Secundò,

2. Argumenta Idoli contra Clementiam.

Argum. 1.

Argum. 2.

Clementiam dicit aperire viam ad licentiam, quà homi-
Argum. 3. nes deteriores fiunt in republ. Tertiò, docet Clemen-
tiam auferre metum, & obedientiam, cum deliċtis in-
Argum. 4. dulget, & Rebellibus veniam promittit. Quartò, Cle-
mentiam obeſſe Principi, quia impedit, ne iram, odium,
crudelitatem vno impetu ex præcepto Machiavelli evo-
Argum. 5. mere poſſit. Quintò, dicit per ſapientes Gentilium,
Clementiam eſſe abjecti animi ſignum, & miſericor-
diam, puram ſtultitiam.

Sed his non obſtantibus oſtendam propoſita mihi
brevitate. Clementiam illuſtrem valde eſſe virtutem,
naturæ humanæ cum primis congruam, Principi glo-
rioſam, vtilem, & reipubl. vniverſæ neceſſariam. Vir-
3. Clementiæ laudes, & fructus. tutem dico, quia illi omnes partes definitionis ſine con-
tradictione conveniunt. Illuſtrem prædico, quia poſ-
ſeſſores ſuos Illuſtres reddit. addo etiam felices. Con-
4. Clementia conſervat naturam. gruam humanæ naturæ non malè extollo Clementiam,
quia docet benignè conſervare, non ſeverè perdere
ipſam naturam. Eſt autem moderata clementia Prin-
cipi glorioſa, quia confundit inimicos benefaciendo,
pro morte deſtinata concedit vitam, injurias gratià com-
penſat, & Principem eſſe dominum paſſionum ſuarum
5. Clementia propria Regum. demonſtrat. Imò propria Principum virtus eſt clemen-
tia, quia de alijs virtutibus non exiguam gloriæ partem
attrahunt adminiſtri: de prudentia conſiliarij; de juſti-
tia legum Doctores, de rebus in bello fortiter geſtis, Du-
ces, & milites non rarò ad invidiam gloriam promereri
6. Clementia propria Principum virtus. ejus vtilitas. videntur. Sola clementia Principis eſt, quia ſolus vitæ,
& necis, dignitatis, & miſeriæ poteſtatem habet. Vtilis
eſt clementia principi, quia conciliat amorem ſubdito-
rum, in quo potentiam, ſecuritatem, & conſervationem
Principis primariò conſiſtere ſine hæſitatione affirmo.

Eſt

Est denique necessaria reipubl. clementia, quia tollit odium, parit pacem, avertit diffidentiam, promovet membrorum cum capite consensum, desperata consilia elidit, seditiones evellit. Atque hæc omnia consideranti in aperto sunt, & legenti fideles historias nullum dubium faciunt. Cæterum si relictis moralibus virtutem nostram, clementiam in principijs Christianæ pietatis, vt decet, examinemus, amplior insurget ejus gloria, & necessitas. quia Christus D.N. illam valdè eminenter docet, & commendat. Discite, inquit, à me, quia mitis, & humilis corde sum. Estote misericordes, sicut pater vester cœlestis misericors est. Beati mites corde, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Dimittite, & dimittetur vobis. qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis. Audi, pie Princeps, Creator, & conservator tuus Deus omnipotens humilis est, & mitis; tu fragilis creatura, si superbus sis, & crudelis, quam gratiam, quam gloriam exspectas? si eis, qui te offenderunt, non misereris, quomodo à patre cœlesti misericordiam consequeris? si non dimittis, quomodo remissionem audebis sperare? si cum Politicis justitiam servandam obtendis, etiam Deus tuus in misericordia justus est; si cum Gentilitate gloriam quæris; clementia te quasi Deum facit; quia quem perdere potes justè, clementer conservas. & per hoc æternam gloriam promereberis. si verò clementiam deseras, sanguinem subditorum magis, quàm vitam desideres, & quoscunque te offendentes in rigore justitiæ crudeliter perdas, quomodo judicem sustinebis, qui clementiam verbo, & exemplo, præmijs æternis, & minis terribilibus commendavit? Non errat, non fallit, nec fallitur Deus. Viam habes, vitam, & veritatis Docto-

7\. Clementia est virtus necessaria.

8\. Clementia commendatur a Deo.

9\. Cautio ad Reges de Clementia.

10\. Dimitte vt tibi dimittatur.

11\. Deus est justus, & clemens.

12\. Clementia Reges deificat.

rem, illum ſequere, ſi gloriam veram, & æternam felicitatem expetis, ſis clemens, & multæ miſerationis, invenies clementem, qui de æternitate judicabit. hoc imprecor.

Et vt animum à fraudibus Idoli ſtatus exonerem, ad argumenta breviter reſpondeo.

Solutio arg. I. 13. Clementia non derogat juſtitiæ.

Ad primum dico, clementiam moderatam à Deo commendatam, à natura congenitam, ab omnibus bonis laudabiliter vſurpatam non derogare juſtitiæ. illam verò, quam intelligunt Politici, quæ omni ſceleri parcit, non tantum injuſtitiæ contrariam, ſed reipublicæ perniciosam eſſe. hinc eſt quod crudelius in rempubl. delinquit, qui omnibus flagitioſis parcit, quàm qui omnes ſeverè caſtigat.

14. Clementia modum requirit.

Modus ſervandus eſt, circumſtantiæ attendendæ ſunt, & perſonarum conditiones, & ſupra omnia Chriſtiana pietas, & mutua charitas æſtimanda eſt; vt ſi delicta in Principis perſonam cadant, facilis ſit ad ignoſcendum: ſi in reipublicæ ruinam redundent, juris ordinem ad pœnas obſervari faciat.

15. Deus clemens & ſimul juſtus.

Non implicat juſtum eſſe, & ſimul clementem. Quia Deus D. N. juſtiſſimus eſt, & pariter clementiſſimus. miſericordia ejus ſuper omnia opera ejus, & tamen omnia judicia ejus juſtificata ſunt in ſemetipſis. Idem qui juſtitiam docet, etiam clementiam commendat. Deus nunquam ſibi contrarius. Ita Princeps cum ſeditioſos, latrones, proditores reipubl. juſtè punit, ſibi verò inſidiantibus clementer parcit mitigando pœnam, juſtitiam non lædit. hæc Chriſtianis indubitata ſunt. non ita atheis Politicis, qui rigorem juſtitiæ requirunt. non vt verè juſtitiam exerceant, ſed vt crudelitati ſuæ ſatisfaciant, & clementiam è republica tollant, qui propter impietatem execrandam, miſericordiam non expectant, nec merentur.

16. Politici nec juſti, nec clementes.

ſi enim

ſi enim purè juſtitiam reſpiciunt, quando clementiam illi contrariam ſtatuunt, quare ſibi in falſis conſilijs, & delictis ignoſci poſtulant? ſanè injuſtus erit judex Princeps, qui clementiam oppugnantibus, juſtitiæ ſeveritatem denegabit. & certè mirum, quare Idolum ſtatus cum per ſuos Secretarios vitia doceat, fingat virtutes, eadem ſine remiſſione crudeliter puniri velit, & juſtitiæ fictionem non admittat. non malè judicabit, qui dixerit, hoc juſtè fieri, ne pœnas evadant, ſibi contrarij, impij, fortunæ infelices filij, Chriſtianæ reipublicæ deterrimi hoſtes.

17. Politici proprio judicio condemnantur.

Ad ſecundum argumentum, reſpondetur ex eodem fundamento negativè. quia clementia non intendit mitigando pœnam deſperatæ malitiæ facinoroſis veniam dare, ſed lapſis emendationis occaſionem. illud juſtitiæ defert, hoc ſibi benignè reſervat. ſi parcendo nihil proficit, ad graviores pœnas reos juſtitiæ tradit.

Solutio arg. 2. 18. Clementiæ finis.

Ad tertium argumentum reſpondetur, clementiam auferre metum ſervilem, augere filialem; quia Princeps clementer parcendo, benevolentiam conciliat, ut ametur ſicut pater; amor verò producit timorem ſanctum. Idem de obedientia ſentiendum. qui bonitate abutuntur, exterminabuntur.

Solutio arg. 3. 19. Clementia amorem conciliat.

Ad quartum argumentum reſpondetur, clementiam obeſſe Principi tyranno, non Chriſtiano. atque hoc laudis eſt, non damni ſignum.

Solutio arg. 4.

Ad quintum argumentum reſpondetur non abjecti, ſed magni, & heroici animi eſſe Principem eſſe clementem; quia dum inſidiatori noto indulget, contemnens pericula, nihil ſe metuere probat. qui omnes offendentes crudeliter enecat, timuiſſe arguitur. occidit, quos timet Tyrannus. Salvat, quos amat clemens Princeps.

Solutio arg. 5. 20. Tyrannus occidit.

21. Senecæ error de clementia ob defectum gratiæ.

Ad calumniam Senecæ, & Gentilium, quod misericordia sit stultitia; dico, hanc erroneam opinionem nihili faciendam Christianis. illi contemnunt, quod ignorant. hi laudant, quod expetunt. si stultum est conservare naturam humanam per commiserationem, an perdere eandem sapientia est? si auctor naturæ creando, & conservando sapientissimus est; quare Princeps dum eandem conservando Deum imitatur, stultus æstimabitur? O felix stultitia, misericordia, quæ cœlos ad æternitatem Christianis aperit, sapientibus mundi abscondita revelat parvulis.

22. Stultitia felix.

Eduxi, ut constanter spero, Principem meum ex fraudibus Idoli status, ut clementiam moderatam exercens in terris, à judice totius mundi misericordiam consequatur in cœlis. Restat, ut eundem à crudelitate, quam idem Idolum suadet, retraham.

23. Crudelitas detestanda.

Est autem opposita clementiæ crudelitas, atrocitas animi, vel in exigendis, vel pro velle inferendis pœnis. quod vitium, quia omnem justitiam, charitatem, imò omnia jura divina, & humana dissolvit, meritò inter Christianos nominari non deberet. Horret animus referre, quæ de crudelitate Gentilium historiæ produnt. Sed magis doleo, quod Christiani per Rationem status imperia crudelitate teneri, docere non erubescant. & quod non pauci Principes gloriæ sibi ducant, quia nulli unquam pepercerint. Ne verò Princeps à commendata sibi à Deo clementia deflectat, & cum atheis ferinos affectus imbuat, ad lectionem historiarum invitatur. inveniet utique, unde terreatur. Daniel quatuor Monarchias, earumque immanitates ad horrorem describit. destruxit una alteram, & quæ jam crudelitate vicerat, ab alia majori sævitia superatur, & desolatur. Occidebant impe-

24. Crudelitatis descriptio.

N B.

25. Crudelitatis gloria planè impia est.

26. Crudelitates gentilium.

imperantes, quos volebant. effuſio humani ſanguinis 27. Imperia latrocinia.
gratum erat in theatris ſpectaculum. in ſanguine quære-
bantur regna, in ſanguine deficiebant. maxima impe-
ria, maxima erant latrocinia. Prætereo exempla brevi-
tatis cauſa, & ſi Principem Chriſtianum iſta non ſatis
movent, ad evitandam crudelitatem, cogitet, quid hu-
manitati, quid naturæ ſuæ debeat. quid ſibi fieri deſide-
ret, quid Deus requirat, jubeat, promittat comminetur;
quid ipſe ſperet de æterni judicis clementia, quid de
ſubditis præſidij expectare poſſit, quem crudelitas abo-
minabilem reddit; quæ futura ſit in odio omnium regni
ſecuritas. Credat non crudeles, ſed mites miſericordiam
conſequentur, & terram poſſidebunt.

Si dicat Rationem ſtatus exigere crudelitatem, quod
omnia Imperia illam vſurparint, & huc vſque fœliciter 28. Argumenta pro crudelitate.
exerceant. quod crudelitas metum parit, & ſtrictam obe-
dientiam, quibus Imperia maximè conſervantur. quod
Princeps per ſuos indirectè crudelitatem pro Majeſtate
promovere, clementiam fingere debeat. Reſpondeo,
falſam rationem ſtatus crudelitatem poſtulare; veram, 29. Solutio arg.
benevolentia, & amore mutuo ſoli dari; hanc ſequen-
dam, illam fugiendam. Deinde, concedo maxima 30. Idoli crudelitas.
quæque Imperia crudelitatem exercuiſſe, ſed majori
crudelitate interijſſe. Ita de Turcis ſentio. imperant 31. Turcæ.
crudeliter, ſed non feliciter. quia reges inter odia nul-
lam habent ſecuritatem, ſubditi continuum mortis me-
tum. Ad id, quod de metu, & obedientia, prædicant,
Idoli cultores, reſpondeo, vt ſupra, Imperia metu, &
obedientia, quæ ex amore regnantis oriantur, conſer-
vari, & quæ per crudelitatem extorqueantur, diſſolvi.

Ad conſilium Idoli, quod Princeps clementiam 32. Idolum ſemper fingit.
fingere, crudelitatem per miniſtros exercere debeat.

Dico,

Dico, hoc consilium nunquam esse felicius, quàm quando suos auctores in Tauro Phalaridis horrendùm mugire docet. Christianis moribus planè adversatur, fingere pacem, & inferre bellum, verbis vitam dare, & per ministros crudelem mortem procurare.

35. Idoli consilia impia.

Non evadent manus æterni Judicis Principes, aut ministri, qui humanitatis obliti de Ratione status crudelitatem clementiæ præferunt. Sic vivat, opto, Princeps Christianus, vt cum Davide cantare possit. memento Domine David, & omnis mansuetudinis ejus. & cum Christo. Ecce quos dedisti mihi, non perdidi ex illis quenquam, crudeliter.

PVNCTVM XIII.

De liberalitate, avaritia, & ingratitudine Principis.

1. Liberalitatis descriptio.

Liberalitas est virtus, quæ in erogandis opibus, aut beneficijs moderatam rationem servat. Oritur ex libero animo, & ideò est valdè decora, & nobilis. Imitatur Deum infinitam suam bonitatem creaturis in pondere, & mensura, gratis communicantem, & ex hoc divina vocatur. Est etiam naturæ quasi congenita, quia quò quisque nobilior, eò magis dare contendit; & si vires deficiant, voluntatis affectum ostendit. Conformis est voluntati, & benignitati divinæ, quæ beatius esse dare, quàm accipere, prædicat. Date, & dabitur vobis. Honesta est, & valdè honoranda liberalitas; quia non tantum magnos animos, sed bonos, & verè Regios ostendit, qui dare magis, quàm accipere, vel adimere desiderant. Est denique vtilis Principi, & reipublicæ, quia liberalitate

2. Nobiles à natura sunt liberales.

3. Liberalitatis insignia.

ralitate amici, & hoſtes devinciuntur, amor verus excitatur, & ſpes præmij multorum fidelitatem, & vigilantiam conciliat; victoriam, & honorem acquiret, qui dat munera, animam autem aufert accipientium. Sic de liberalitate ſentiat velim Chriſtianus Princeps.

Nec moveatur conſilijs Idoli ſtatus, ejuſq; ſupremi conſiliarij Macchiavelli. quæ docent, liberalitatis opinionem eſſe bonam, vitandam in proprijs, exercendam de alienis. quia quæ de proprijs opibus inſumuntur, in detrimentum cedunt, egeſtatem, & contemptum pariunt, ad prædas, & rapinas, impellunt: quæ de alienis conferuntur, exiſtimationem ſine pretio promovent, ac Duces, milites, amicoſque gratos reddunt, & ad majora paratos. Vt verò Princeps cum effectu deteſtetur, hæc improbitatis conſilia, paulò clarius illa reſolvere conabor. Et primo quidem, de opinione liberalitatis ſic judico, quod Idolum ſtatus illam captare conſulat, ſicut omnes virtutes docet fingere. reipſa diſſuadeat. vt ad vitia, avaritiam, & rapinas aditum faciat. Si opinio liberalitatis, Macchiavelle, Principi tuo ſufficit, quando de proprijs largiendum eſt; quare realem liberalitatem ſuades de alienis? Alia ratio non videtur, quàm vt more tuo duo vitia ſimul doceas; in proprijs avaritiam, in alienis non niſi ex malo bonum. cedant ergo tibi pro conſilijs ficta beneficia.

4. Machiavellus contra liberalitatem.

5. Idolum ſemper adulterat virtutes.

6. Machiavellus ſibi contrarius in liberalitate.

Ad rationes, quare vitanda ſit in proprijs, exercenda in alienis liberalitas, dico. illas omnium ſapientum ſententiâ eſſe falſas. quia licet ad beneficia ſumptus requirantur, non tamen exinde damnum, egeſtas, aut prædandi neceſſitas exoritur. quia nihil ſine ratione, ſine modo largitur liberalitas. quando Princeps confert beneficia pro meritis, corroborat ſolium regni. gratos

Solutio argumentorum.

7. Præmia ſtimulant ad virtutes.

habet, quibus benefecit. & alios ad heroicos actus stimulat spes præmiorum. Si avarus sit, & parcus, omnium odia in se concitat, & in necessitate deseritur.

8. Liberalis acquirit non perdit.

De alienis verò liberalem esse, non generat existimationem nisi apud malos, & atheos. quia aliena non licet concupiscere, non alijs invitis adimere, multò minus alijs donare. gravis est gloria, quæ per peccata comparatur. exitiosum est beneficium, quod auctorem suum æternum affligit.

9. Aliena dare non licet.

Neq; valet effugium, quod quæ in bellis accedunt aliena, cum honore distribuantur. Quia vel bellum susceptum justum est, vel injustum. Si justum, quæ victori justo cedunt provinciæ vel opes, non amplius alienæ sunt, sed jure belli propriæ fiunt victoris. si injustum est bellum, verè aliena bona veniunt in potestatem victoris. Vnde si de justè acquisitis princeps beneficia conferat (quod omnino consulendum) de proprijs hoc facere censetur. si de malè partis liberalis sit, non gloriam, sed pœnam meretur; in quam Macchiavellus incidit, quia ad prædam suum Tyrannum informat.

10. Cautio ad Reges de liberalitate.

Adhuc distinctius de liberalitate judicabit Princeps, si attentè consideret, quibus dare, quibusve reddere beneficia conveniat.

11. Eleemosina Deo fœneratur.

Inter ea, quæ dare potest, felicissima est donatio, pia eleemosina; quia fœneratur Deo, & habet infinitum præmium. nunquam datur malè, quod in pauperes erogatur, etiamsi illi ingrati sint, & indignis; quia affectus dantis Christum D. N. respicit, qui in persona pauperis eleemosinam acceptat, & liberalissimè compensat.

12. Modus liberalitatis, & gradus.

Proxima est gloriosa donatio, quando Princeps paterno affectu publicæ necessitati, & calamitati, quantum extremè potest, liberaliter subvenit. Tertia est non minus laudanda liberalitas, quando

Princeps pio zelo templa, & ſeminaria juventutis extruit, & fundat; quando ad converſionem animarum, & reductionem errantium, theſauros expendit.

Ex his tribus actibus, liberalitatis ſummam, certamque gloriam, amorem populi, & quod mundana omnia ſuperat, æternam felicitatem conſequetur. 13. Liberalitatis præmia.

Quæ in parentes, amicos, miniſtros, pares, vel inferiores beneficia conferuntur, diligentem conſiderationem requirunt; vt perſonarum qualitas, meritum, gratitudo, virtus, neceſſitas, fama, & ſtatus obſervetur. Mirum enim quantum prudens electio Principis munera adornet. Regium eſt dare, ſed ad hoc diſcretum judicium requiro. ne profuſa largitas facultates excedat, aut beneficia indignis, & ingratis contingant. In beneficijs, quæ redduntur, verè regalis animi eſt, nolle vinci, & prævenire, ſuperiores, pares, & fideles amicos. Sed & hoc cum delectu faciendum. 14. Regium eſt dare bene meritis.

In hoc genere vehementer errant Principes, qui ex ſecretis Idoli ſtatus erga miniſtros ſuos, ſtrenuos belli duces, vel intimos conſiliarios in dignitatibus, & opibus conferendis ad ſpeciem ideò liberaliſſimi ſunt, vt confidentes alliciant, & callidis machinationib. opprimant. Qui ne, victoriæ gloriam, coronam capitis, & regni conſervationem Ducibus, aut miniſtris debere videantur, & officia præſtita liberaliter compenſare teneantur, Idolum ſuum conſulunt, & mille adinventiones ſpeculantur, per quas illorum honores deprimant, vel eos, quorum virtute regnant, è vivis auferant. ſicut Saul ex beneficio Davidis capitalis hoſtis factus eſt. Non ita Chriſtianus Princeps. nihil ille de benemeritis doloſè ſtatuet. ne illos formidet, in menſura diteſcere faciet. non extollet, vt dejiciat. ſed remunerabit, vt fideles retineat. 15. Idolum occidit bene meritos. 16. Saul & David.

Cavebit etiam Princeps, ne vt liberaliter dare possit, injustis medijs opes conquirat, ne populum insolitis actionibus premat, ne violenter extorqueat, vnde vanè largiatur. quia sic reges Gentium dominantur, ad interitum.

17. Avaritia, & Ingratitudo vitia turpia sunt.

Quæ moderatam liberalitatem impediunt, duo sunt maxima vitia in republica avaritia, & ingratitudo. quæ sicut in quocunque homine turpia sunt, ita in Principe, quem regalis magnitudo in sublimitatis splendore conspicuum statuit, fœdissima sunt, & fugienda.

18. Avaritiæ descriptio.

Est enim avaritia inordinata divitiarum cupiditas, radix omnium malorum, Idolum animæ, carnifex sui possessoris, servitus omnium durissima, laqueus Diaboli, via ad æternam perditionem.

19. Avari qualitates.

quia non attendit avarus, an jure, vel injuria; per mendacia, dolos, vel perjuria; per lites, vel discordias; per oppressiones inferiorum, concussiones, vel crudeles violentias, divitias acquirat, hoc solo contentus, quod thesauros augeat.

20. Avaritia est Idolum.

Dixi, Idolum animæ, quia avarus thesaurum suum supra omnia desiderabilia colit, & adorat: Deum, & leges contemnit, in divitijs cor suum defigit. Est carnifex sui possessoris, quia sicut nimia anxietate docet conquirere, ita mille angustijs pro conservatione torquet, & curis consumit. Est durissima servitus, quia privat generosa libertate, vt opum mancipia constituat, eò miseriora, quò minus de illis participare concedit.

21. Avaritia suspendit cultores.

Est avaritia laqueus Diaboli, quia per hanc captivum ducit cor avari, & inter cœlum, & terram cum Juda suspendit. Est denique via ad infernales pœnas, quia vt Idolorum servitus, à Deo damnatur avaritia.

22. Cautio ad Reges contra avaritiam.

Jam consideret Princeps Christianus, quàm vile, abjectum, & indignum vitium sit avaritia, quod in tempore, & æternùm cruciat; quod divites egenos facit, & liberos

liberos turpiter ſervire cogit. quod viſcera pietatis erga
proximos occludit, & miſericordiam Dei in vindictam
convertit. atque hinc moveatur, ad exercendam libera-
litatem in benè meritos, & pauperes. ſi benè dederit,
centuplum recipiet. qui aliena rapiunt, ſemper in ege-
ſtate ſunt. anima, quæ benedicit, impinguabitur. Qui
dividunt propria bona, ditiores fiunt. Alterum libera-
litatis impedimentum eſt ingratitudo, vitium non mi-
nus vile, quam perniciosum. Si hujus fontem quæras,
ex avaritia, & ambitione profluere ſenties. quid enim 23. Ingratitudo filia avaritiæ.
aliud facit ingratos Principes, aut Rempubl. quàm cupi-
ditas retinendi, vel ambitio alieni honoris? Quia Rex
Saul mille, David decem millia occidit, beneficium 24. David. Saul.
tranſit in maleficium, meritum in pœnam, virtus in
odium. Legat Scrutator hiſtorias, inveniet, quàm ſub-
tiles adinventiones Idolum Status ſubminiſtrarit Regi- 25. Idoli fraudes in bonos.
bus, ne in egregios ſuos Duces, vt decebat, grati eſſent.
alios poſt illuſtres victorias, formidabiles finxit, aut am-
bitus, aut peculatus accuſavit. alios ſuſpicione, alios
falſis calumnijs oneravit; non alio fine, quàm ne bene-
ficia agnoſcere, neve compenſare tenerentur. quod tur-
piſſimæ ingratitudinis eſt argumentum. Sed pergat li-
ber à paſſionibus in hiſtorijs, idem curioſus Scrutator,
videbit, quàm periculoſa, quàm exitioſa ſemper fuerit
regibus ingratitudo. Hæc ex fidelibus miniſtris, vel 26. Ingratitudinis damna.
amicis hoſtes efficit, & virtutem neglectam in ingratos
armavit. Quid enim non moliatur vir fortis, qui pro
ſanctis conſilijs, pro ſanguine effuſo, & patria feliciter
conſervata, ſibi inſidias, calumnias, pericula, cruces, vel
carceres parari videt? Certè ſi vlla in rebus humanis eſt
juſtæ rebellionis, aut defectionis cauſa, ingratitudo il-
lam præbere videtur. Ingratum oderunt omnes boni, 27. Ingratus omnibus inviſus.

ingrato nemo ſerviet cum affectu. Qui reddit mala pro bonis, non recedet malum de domo ejus.

28. Ingratitudo Deo contraria.

Si porro legat in ſacris literis, quomodo Deus D. N. de ingratitudine ſtatuat, cognoſcet ingratis varias calamitates, & æterna ſupplicia decreta eſſe. Quæ omnia cum ſua veritate nitantur, iterum ad moderatam liberalitatem principem meum invito. avaritiam, & ingratitudinem, peſtes animæ, & honoris, ut fugiat, inſtanter moneo.

PVNCTVM XIV.

An Princeps Chriſtianus teneatur fidem ſervare?

Argum. 1. hæreticorum.

VAldè laborant in hac quæſtione hæretici, ut oſtendant Catholicos, præſertim Jeſuitas docere, fidem hæreticis non eſſe ſervandam. Et probant his argumentis. Primò, quia ſic ſtatuunt Concilia Lateranenſe, Conſtantienſe, & Tridentinum. Secundò, quia Catholici fidem ipſo facto hæreticis non ſervant. adductis exemplis Johannis Huſſij, Hieronymi Pragenſis, Archiducum Auſtriæ, Hiſpanorum in Belgio. Tertiò, quia Catholici quando volunt hæreticis violare fidem, per Papæ diſpenſationem hoc impunè poſſunt. Quartò, quia Jeſuitæ docent per æquivocationes fidem hæreticis datam fallere. Subtilios ſuos inſtruit Idolum Status, docens Principem debere ſervare fidem. Si tamen Ratio Status aliud exigat, tunc neceſſitatis lege, abſolvi à pactis.

Argum. 2. 1. Catholici non ſervant fidem.

Argum. 3.

Argum. 4.

2. Politicorum ratio de ſervanda fide.

3. Gentiles fidem ſervarunt.

Gentiles, qui honeſtius regnarunt, fidem omninò, etiam hoſti ſervandam ſtatuerunt. Sic exempla Romanorum, ſic veriores hiſtoriæ referunt.

Hære-

Hæretici, qui extra Ecclesiam Catholicam Romanam sunt, gloriantur in eo, quod fidem servare doceant, reprehendunt Catholicos, quod contrarium faciant, vt ex allegatis supra argumentis constare putant. Catholici vno ore omnes, & constanti doctrinà docent, fidem per pacta licita datam integrè servandam, etiam hostibus, etiam hæreticis, à quibus falsò deferuntur. hoc publica Ecclesiæ scripta clarissimè contestantur.

4. Hæretici docent servare fidem, actu violant.

5. Catholici docent servare fidem, actu servant.

Conveniunt ergo Gentiles, Politici, Hæretici, Catholici in hac professione, fidem datam esse servandam. Sed quia dispari intentione, & fine, quod profitentur, statuunt, & exercent, de singulis ea referemus, quæ rei veritatem magis patefaciant.

De Gentilium, præsertim Romanorum constantià in servanda fide, hoc vnum dico; laudabilis est, sed parùm me movet, vehementer autem confundit; quando Christianos illis deteriores invenio. Quid alij Gentiles, Assyrij, Græci, de hac re senserint, magis ex actibus, quàm ex legibus observandum existimo. Consulat, qui volet historias, & vanitatem humanæ prudentiæ in omnibus deprehendet.

6. Gentiles confundunt Christianos malos.

De Politicis, Secretarijs Idoli Status hoc sentio, quod res est, impij, & vanæ fortunæ filij sunt. docent ad speciem externam servare fidem, vt securius fallant. Si enim verè quod docent, intendunt, quare in actu exercito non complent, quod juramento promittunt? Respondent, Rationem Status Symbolum fidei dissolvere; necessariam conservationem regni prævalere legibus, & promissis eò, quod leges, & Sacramenta fidei reipubl. servire debeant, non Respublica legibus, & hominum pactis. Summa lex est, & fides, quæ Rempubl. conservat. stulta fidelitas, quæ Rempubl. periculis objicit.

7. Idoli fraudes in fidem.

8. Fundamenta politicorum pro non servanda fide.

Audivi

9. Reſolutio fraudium Idoli de fide ſervanda.

Audivi fundamenta perfidiæ veſtræ Politici, & ex eiſdem quæro vlterius; quando Reges veſtros docetis cum vicinis regibus pacis, & amicitiæ fœdera inire, & pacta juramentis confirmare; quare in tam regali actione non excipitis neceſſitatem Rationis Status, vt conſtet de veſtra intentione? Si dicitis, hoc ſtultorum eſſe. ego eorum puto, qui fallere intendunt. Hoc agitis ex ſecreto Idoli veſtri, contrahitis cum vicinis Regibus, vel ex conſpicua vtilitate, vel neceſſitate: vrgetis ex adverſo ſanctè pacta ſervari, vos, ſi Ratio Status ſpem novam aperiat, fidem violatis, eò turpius, quò ſecretius hoſtilia in amicos Reges tentatis. atque in hoc artificio ſummam prudentiæ veſtræ in arcanis conſilijs conſtituitis. ergo ſumma vobis intentio hæret, non ſervare fidem, ſed doloſè fallere. compenſatio juſtiſſima erit, ſi nemo vobis credat; nemo confidat, omnes vos fallant.

10. Idoli ſecretum eſt, fallere.

11. Solutio fundamentorum Idoli.

Ad fundamenta Politicorum breviter reſpondeo. Ad 1. quod Ratio Status ſufficiat adviolandam fidem. Dico, hoc fundamentum eſſe impium, & falſum. quia quod Deus, natura, legeſque ſtatuunt, hoc Ratio Status evertit. Si Ratio Status ſatis eſt ad non ſervandam fidem, cum illa ſemper obtendi poſſit, quid apud Reges familiarius erit perfidia? & ſi perfidia prædominetur, quid tutum, quid ſecurum in humanis?

12. Perfidia bona.

Solutio fundamenti 2.

Ad 2. fundamentum, quod leges, & fides, ſerviant Reipubl. non prævaleant. Reſpondeo, Leges, & fidem non ſervire Reipubl. quando violantur, ſed cum ſanctè conſervantur. Faciliter corruit Reſpubl. quæ in perfidia ſuam conſervationem collocat.

Solutio fundamenti 3.

Ad 3. quod ſumma lex ſit, & fides, quæ Rempubl. conſervat. Dico, hoc fundamentum in ſano ſenſu verum eſſe, in Politicorum conſilijs falſum. Quia Politici

ſic

ſic intelligunt, non eſſe curandum, fide, an perfidia, dolo, an veritate agatur, modo Reſpubl. conſervari poſſit. & hoc falſiſſimum eſt. 13. Politicorum fides, fallere.

Ad 4. quod ſtulta ſit fidelitas, quæ pericula provocet. Dico, ſtultiorem eſſe Politicorum prudentiam, quæ in perfidia ſibi ſecuritatem promittit, in fide periculum. In genere ad hæc fundamenta Politicorum dicendum videtur; quod ſicut in arena doli Rempublic. conſtituunt, ita potentiâ veritatis facilè diſſolventur. Solutio fundamenti 4. 14. Politica ſtultitia.

Quid hæretici in hoc puncto doceant, non multum diſputo, ſed quid faciant, quid præſtent, attendendum cenſeo. Docent, vt gloriantur, ſervare fidem, ſed quando de acquirendo rerum Dominio, de augmento, & ſecuritate Status, de extirpatione Catholicæ Religionis agitur, tunc Idolum Status conſulunt, & relicta doctrina fidem publicam, pacta verbis, juramentis, & ſcriptis confirmata imprudenter violant, eò, quod Ratio Status ſic requirat. Hoc probant exempla omnium regnorum, in quibus hæreſis radices egit, aut prædominatur. Vt externa prætercam, Germaniam noſtram alias fidei tenacem, in teſtimonium voco. Concluſerant Anno ſalutis 1555. & 58. ordines imperij, ne quis alterum intuitu religionis turbaret, ſed quilibet vti poſſideret, ita in quieta poſſeſſione permaneret. Tranſijt hoc pactum ſucceſſu temporis in vim legis. inſtituerunt hæretici, quos proteſtantes vocabant, vt omnes ordines Imperij in Comitijs in legem religionis jurarent, obtinuerunt votum. Jurarunt omnes Catholici, & hæretici. Servarunt ſanctè jusjurandum Catholici. Violarunt turpiter hæretici. Vtrumque probat eventus. Quia Catholici à tempore pacti nullum Epiſcopatum, ne monaſterium quidem occuparunt. Hæretici verò contra fidem 15. Hæretici ex operibus cognoſcuntur. 16. Hæretici ſunt politici. 17. Hæretici violant fidem. 18. Pax religionis.

19. Hæretici violant fidem.

datam, pacta, & juramenta obvios sibi plurimos Episcopatus, Abbatias, vel dolo, vel armis violenter invaserunt. Res ipsa loquitur. adhuc multi possident, quod malè acquisiverunt. adhuc sanguis in manibus, manus in cophino hærent. Addo testimonium acris antiquæ fidei Germanæ defensoris, Principis Electoris Saxoniæ, qui nuper provocatus à Calvinistis prudentissimè respondit; se à partibus Cæsaris, & Catholicorum inconcussum stare, quia leges Imperij, & Religionis constanter observant. Non produco exempla specialia, quia Principes sunt, quibus conversionem magis ad avitam fidem, quàm confusionem exopto. Concludo ergo hæreticos benè docere, fidem esse servandam. Sed malè agere, quando de veneno Idoli Status falsas rationes hauriunt, quibus pacta, scripta, juramenta leviter violare non erubescunt.

20. Saxoniæ Electoris pronunciatum.

Ad argumenta hæreticorum supra allegata abundè responderunt Ecclesiæ Catholicæ Doctores. ego quia à religione ad Politicismum, hoc est, ad atheismum deflectunt, Politicè illa resolvam. quod, vt clarius succedat, quæro ex illis, quare tam vehementer studeant probare, quod Catholici doceant fidem præsertim hæreticis non esse servandam, cum omnia ipsorum scripta contrarium evidenter demonstrent? non occurrit potior ratio, quàm vt ex hac calumnia suæ perfidiæ excusationem inveniant, & Catholicis non teneantur fidem servare, eò, quod non mereantur. Si alius est sensus perfidæ subtilitatis, prodant illum, veritatem sequentur Catholici. sic fide jubeo.

21. Hæretici quare culpent Catholicos de fide.

Ad primum argumentum respondetur negativè, Concilia enim non statuunt simpliciter hæreticis non esse servandam fidem. Sed cum Ecclesia, distinguunt;

Solutio arg. 1.
22. Concilia de fide servanda.

quando

quando in Politicis, & religione pacta honesta, & secundum Deum licita servanda sint, aut non ineunda. hæc fideliter legant, & desinant errare.

Ad secundum argumentum respondeo facta constantis fidei Catholicos extollere, hæreticos confundere. sic sentit Princeps Elector Saxoniæ, quem protectorem Lutherani venerantur. Ad exempla violatæ fidei à Catholicis in Joanne Hussio, & Hieronymo Pragensi, respondetur; hæreticos in hoc graviter offendere Imperatorem, & suo more rem actam exaggerare, causas justitiæ studio subticere. proferant acta, & manifesta fiet veritas. Dedit Imperator Sigismundus Joanni Hussio, sicut alijs, salvum conductum, quem non violavit cum contra legem sancitam fugientem Hussium in manus justitiæ tradidit. Qui salvum conductum accipit, vt securus veniat, non liberatur, vt impunè in leges delinquat. Videamus nunc in quo velint hæretici Archiduces Austriæ in Styria violasse fidem. Expulerunt, inquiunt, Lutheranos, & Calvinistas à suis provincijs post publicatam legem religionis; ergo ipso facto fidem violarunt. Sit verum antecedens. sed consequentia non valet. Quia Lutherani Archiducum subditi contra leges suorum Principum mutarunt religionem in Deum, & Principes perfidi; nulla illis à suis Principibus data fides; lex Imperij de religione ordines Imperij, non eorum subditos concernit, & obligat; Archiduces tempore compositæ legis fuerunt Catholici. ergo cum perfidos subditos seditiosos, sub lege non comprehensos emigrare compulerunt, fidem non violarunt. Verior est hæc consequentia. Ordines hæretici post legem juratam religionis Catholicorum Episcopatus invaserunt. ergo hæretici fidem violarunt. Sanè, si provinciam

Solutio arg. 2.

23. Iohannes Hussius.

24. Salvus conductus,

25. Archiducum subditi violarunt fidem, non Principes.

N.B.

N.B.

26. Hæretici fidem non servant. suam purgare ab hæresi, est violare fidem: egregiè fidem violarunt ordines hæretici, qui malo suo relicta Catholica religione subditos suos ad Lutheranismum, mox mutatis velis, ad Calvinismum compulerunt, & Catholicos proscripserunt. Si hæreticis liceat provincias suas ad genium Principis, ad novas, imò prohibitas sectas, ut vocant, reformare, & Catholicos ejicere. quare in eodem imperio, sub eadem lege Catholicis ordinibus subditos in avita religione conservare, à novationibus liberare prohibitum volunt? 27. Lex æqualis omnibus. Lex aut nulli, aut omnibus æqualiter valere debet. 28. Calvinistæ non gaudent de lege religionis. De Calvinistis mirantur omnes boni, quod in Germania conquerantur sibi à Catholicis non servari fidem; cum constet Calvini Religionem in imperio non esse admissam, & sub lege non intellectam. Illi, ut securitate legis abuterentur, finxerunt se cum Lutheranis Evangelicos esse, Protestantes, & in fundamento concordes, & sic hactenus legi vim intulerunt, & 29. Calvinistarum doli. evaserunt. ex quibus apertè constat, Calvinistas malam consequentiam formare; quando dicunt Cæsarem, & Catholicos Principes fidem violare, cum ipsos ex Imperio, & à lege repellant. Violarunt Calvinistæ Deo, Cæsari, Catholicis, & Lutheranis, imò suis confœderatis fidem, aliud paciscendo, aliud intendendo, aliud agendo, ut acta publica ad æternam ignominiam referunt. 30. Calvinistis mendacium commune. ergo malè Catholicos accusant criminis, in quo ipsi rei convincuntur. impudentes sunt, & dolosi Idoli Status filij.

31. Belgæ. Quæ de Archiducibus Austriæ relata sunt, eodem modo de Hispanis in Belgio in puncto violatæ fidei dici possunt. Violarunt rebelles subditi Belgæ Deo & Regi suo fidem, & justum imperium; & tamen de sibi violata fide à rege conqueruntur. injustissimè.

Ad

Ad tertium argumentum reſpondetur, quod Papa Solutio arg. 3.
non docet Principes Chriſtianos violare fidem, neque 32. Papæ æquitas.
diſpenſat, vt licitis, honeſtis, & juſtis pactis non tene-
antur. Si quando reſcindat, & emendet, quæ contra
religionem, Eccleſiam, & æquitatis Jura ſub dolo par-
tium pacta ſunt, in hoc officio ſibi à Deo commiſſo ſa-
tisfacit.

Ad quartum argumentum tam ſolidè, & abundan- Solutio arg. 4.
ter reſponderunt hæreticis Jeſuitæ, vt nihil ſuperſit,
quod addi poſſit. Ego ne obligationi, quam Societati 33. Ieſuitæ defenduntur politicè.
Jeſu lubens debeo, omninò deſim, paucis Politicè ca-
lumniam vindicabo. Si verum eſt Jeſuitas docere Prin-
cipes fidem fallere, hoc ex ipſorum dictis, vel ſcriptis de-
monſtrari debet. at verò ex doctiſſimis illorum libris
hoc nullus vnquam verus arbiter eliciet. ergo falſa eſt
calumnia. Si dicant Jeſuitas docere per æquivocatio-
nes fallere. quæro, quid hæretici intelligant per ver-
bum, æquivocare? an mentiri? ſi hoc intendunt;
ſplendidè mentiuntur ipſi hæretici, & tenentur ad pro-
bationem. In Eccleſia Catholica eminenter docent
Patres Jeſu veritatem, mundum arguunt de mendacio,
palam loquuntur, & ſcribunt; ſi æquivocare, hoc eſt
mentiri, docerent, publicè conſtaret, & juſtos judices
invenirent. Parcant calumniæ, viri religioſiſſimi ſunt 34. Hæretici falsò calumniantur in Ieſuitas.
Jeſuitæ, qui nomine, & re, D. N. Jeſu Chriſti vitam,
viam, & veritatem inſequuntur. Si per (æquivocare)
intelligunt, duplici ſenſu loqui, & doloſa fingere. etiam
hoc non docent Jeſuitæ: quia licet loco, & tempore ve-
ritatem prudenter ſine peccato diſſimulari poſſe conce-
dant, tamen fidem Principum, omninò inviolatam, &
ne quidem privatorum delicta judici legitimè cogno-
ſcenti negari volunt. dolos malos graviter impugnant.

non ergo ægrè ferant hæretici, si dicam liberius; ipsos in calumnijs impudenter mentiri.

35. Catholici quare doceant servare fidem.

Quod equidem clarissimè constat ex rationibus, quas Catholici Doctores allegant, vt fidem servare doceant. Quarum substantia in hoc consistit. quod qui non gravi metu coactus, liberè licita, honesta, justa, verbo, scripto, vel juramento promittit, sub pœna peccati mortalis teneatur complere promissa. Si non compleat, ipso facto pro mendace, perfido, injusto, & perjuro habeatur. Ex quo hæretici constanter inferre possunt. ergo Catholici verè docent fidem servare etiam nobis, quando licita nobis liberè promittunt. & nos erramus, qui illis contrarium per calumniam affingimus. Vincat Veritas, & sileat mendacium.

36. Catholicorũ sententia de servanda fide.

Pro Resolutione propositæ quæstionis, dico de Catholicorum sententia, Principem Christianum obligari ad servandam fidem, quam in rebus licitis, justis, & honestis alijs Principibus, vel subditis sub Verbo Principis, vel juramento dedit, & promisit. quia hoc Deus mandat, hoc Majestatis dignitas exigit, justitia postulat, & religio meretur.

37. Princeps tenetur stare Pactis.

Si evectus ad imperium existimet, vt Politici athei docere solent, se non teneri legibus, aut promissis; vindicem sentiet justitiam, divinam, & humanam. est execrabilis Deo perfidia, hominibus exosa, auctoribus maximè nociva. Vt in hac sententia confirmetur Princeps meus, legat oro historias. occurrent egregia exempla Regum, qui de servata fide gloriam immortalem reportarunt; Et qui de perfidia in terribiles pœnas, & miserias inciderunt. Nihil dignius Principe, quàm fidem servare. nihil turpius, quàm eandem leviter violare. nihil stultius, quam post perfidiam, fidelitatem expectare.

38. Perfidia pœnas non evadit.

Postu-

Postularet, fateor, ratio ordinis consequenter agere de alijs virtutibus, & vitijs, quæ Principem Christianum ornare, aut lædere possunt; sed quia ab alijs de eisdem doctissimè scriptum, & mihi propositum est, illas tantum virtutes, & vitia, in quibus Idolum status maximè prævalet, simpliciter considerare, curiosos lectores ad eximios Christianos Politicos remitto.



LIBER



LIBER IV.

DE STATV ECCLESIASTICO.

PVNCTVM I.

Quid sit Status Ecclesiasticus? de ejus origine, fine, & divisione.



1. Status Ecclesiastici descriptio.

STATVS Ecclesiasticus, vt libro primo, puncto secundo descripsimus, est forma Reipubl. quæ duce Spiritu sancto sub vno summo Capite Vicario Christi per subordinatam hierarchiam personarũ, & legum, Ecclesiam Dei visibilem in terris dirigit, & omnia humana, reges, & subditos, ad Dei gloriam, & salutem animarum instruit, sacrificijs præest, divinis intendit.

2. Status Ecclesiæ Catholicæ.

Hic status in sola Ecclesia Catholica, & verè Apostolica conspicuus est; in quo Summus Pontifex Romanus legitimè electus, vt caput generalem omnium fidelium curam gerit, & per membra diversorum ordinum, particulares provincias administrat. Fuit quidem in lege naturæ, & apud Judæos eximia Sacerdotum dignitas, & authoritas, sed non in illa admirabili perfe-

perfectione, quam in lege gratiæ Christo Jesu ipso summo Sacerdote disponente per vniversum orbem exhibet Ecclesia Romana. Habuerunt & etiamnum habent Gentiles, & infideles Statum Sacerdotum in magna veneratione, ita vt illum regio sæpius conjunxerint, & adæquarint. vt historiæ manifestum faciunt.

3. Hæretici & Politici oppugnant Ecclesiam Dei.

Hæretici verò, & Politici athei semper hunc statum in Ecclesia Catholica præfulgentem impugnarunt, negarunt, & omnem potestatem Ecclesiasticam in Reges suos, & magistratus transtulerunt. Quod cum à malis Christianis sustineri, & Idolum Status etiam in Sacrosancta officia virus suum disseminare viderem, causa movens fuit, quare hunc tractatum susceperim; non vt hæreticos longa disputatione refellam (hoc enim eximijs Ecclesiæ Doctoribus relinquo) sed vt Idoli Status falsitates, & Politicorum arcanos dolos prodam, & confundam.

4. Hæreticorum contra Ecclesiam arg. 1.

Argumenta, quibus hæretici Statum Ecclesiasticum oppugnant, sunt vulgata. quod Ecclesia Catholica post quingentos annos originis suæ tota defecerit, errarit & perierit; à Luthero verò, & Calvino restituta sit, & reformata. ergo deficiente Ecclesia, & fide, etiam cessavit Status Ecclesiasticus, hoc est, principatus, seu Gubernatio Ecclesiæ. Secundò, quod Christus D.N. sit verum caput Ecclesiæ, non Pontifex Romanus. ergo Status Ecclesiasticus Catholicorum assumit sibi falsum Caput in Principem, & per consequens erroneus est, & nullus.

Argum. 2. 5. Christus caput Ecclesiæ.

Tertiò, quod Papa sit Antichristus, hoc est, adversarius, & hostis Ecclesiæ Dei. ergo non ejus caput, & director. Probant antecedens, quia omnes notæ Antichristi in scripturis significatæ conveniunt Papæ. Vnde concludunt Statum Ecclesiasticum Antichristum habere pro

Argum. 3. 6. Papa Antichristus.

capite, & ideo damnandam esse. Alia argumenta, quæ de seculari potestate Pontificum adferunt, proximè attingemus, Quando Politicis Regum adulatoribus ad suas falsitates respondebimus.

7. Catholicorum Rationes pro statu Ecclesiastico.

Fundamenta Catholicorum, quare Statum Ecclesiasticum admittant, & venerentur, sunt certissima; quod Christus D.N. Ecclesiam fundarit, sibi mysticè sponsarit, ejus primarium caput esse voluerit, in civitatem supra montem positam erexerit, tabernaculum suum in sole posuerit, in firma petra ædificarit, & ita dextera suæ potentiæ munierit, vt portæ inferi adversus eam prævalere non possint.

8. Ecclesia vna.

Secundò, quod idem Christus D. N. Ecclesiam suam voluerit esse vnam, sanctam, vniversalem; Columnam, & firmamentum veritatis, quæ in rebus fidei errare non possit; extra quam nemo salvatur.

9. Ecclesiæ firmitas.

Cum qua ipse Christus est omnibus diebus vsque ad consummationem seculi; cujus inimicos ponet scabellum pedum suorum. à qua misericordia Dei non recedet, & fœdus pacis non movebitur;

10. Ecclesia sponsa Christi.

Tertiò, quod Deus D. N. Ecclesiam sine macula pulchram, sponsam, & dilectam ad se vocet, invitet, & æternis gaudijs repleat;

11. Christus D.N. tradit Ecclesiam D.Petro.

Quartò, quod Christus D.N. post admirabile opus redemptionis nostræ, cum in gloriam Dei patris ascenderet, Petro oves suas, hoc est Ecclesiam commiserit, claves regni cœlorum tradiderit, ligandi, & solvendi potestatem dederit, & alios Apostolos Spiritus S. posuerit Episcopos regere Ecclesiam Dei.

12. Ecclesiæ successio.

Quintò, quod æterna sapientia inter omnes nascentis Ecclesiæ persecutiones, Gentilium furias, hæreticorum crudelitates semper eidem de legitimo successore providerit, ita vt certa serie Pontifices ad felicissimum Vrbanum octavum vsq; numerari possint.

13. Ecclesiæ Iudicium.

Sextò, quod in Statu Ecclesiastico per summos Ponti-

Pontifices, & Concilia omnes hæreses damnatæ sint, & veritas determinata. Septimò, quod in facto constet, potestates infernales nunquam contra hunc statum Ecclesiæ Dei prævaluisse, neque Gentiles, aut hæreticos illum evertere potuisse. Octavò, quod omnes hostes Ecclesiæ, omnes hæretici sicut fumus defecerint, & novi insurgentes pari infelicitate corruant, Statùs vero noster Ecclesiasticus in capite, & membris feliciter conservetur, & in omnes partes orbis ad majorem Dei gloriam diffundatur. Nonò, quod omnes hæretici, & Politici impugnantes Statum Ecclesiasticum, Deum ipsum arguant mendacij, & imprudentiæ. quia ipse dixit se vineam suam, Ecclesiam tam diligenter excoluisse, vt nihil in illa desiderari possit, hæretici verò illam errasse, defecisse, & perijsse volunt. reprehendunt ergo Deum mendacij, qui de exculta vinea sua gloriatur. Imprudentiæ accusant Deum, quando dicunt ipsius Ecclesiam in terris defecisse, Babylonis confusionem induisse, Antichristum pro capite assumpsisse, in fide aberrasse, sine ordine vagam perijsse. quasi infinita sapientia Dei perfectiorem formam Ecclesiæ suæ dare non potuerit. Decimò, quod secundum leges humanæ prudentiæ incredibile sit, Deum D. N. qui cœlum, terram, & omnia in eis moventia tam incomprehensibili potentia, & providentia, in verbo virtutis creavit, hominum filijs terram dedit, alios regnare, alios servire, & omnia ordine pulcherrimo in republ. disposuit, Ecclesiam suam (vt hæretici blasphemo more suo mentiuntur) sine capite, sine ordine, sine securitate, informem, confusam, & erroneam constituisse. Sponsam suam errorum adulterijs prostituisse; Domum suam custodibus denudasse; vi-

14. Ecclesia semper manet.

15. Hæreses deficiunt.

16. Ecclesia, vinea.

17. Hæretici sunt in Deum injurij.

18. Deus Ecclesiam optimè fundavit.

neam ſedibus non munijſſe; & illam, à qua ſe vulneratum profitetur, deſeruiſſe.

19. Eccleſiæ Status quare perfectus.

Conjiciat verus Chriſtianus oculos attentæ mentis in Deum Creatorem, ab illo ad res creatas, earumque ordinem deſcendat, inveniet veritatem verbi divini, quod omnia bona ſint; ergo etiam Status Eccleſiaſticus bonus eſt, & eò perfectior, quò nobiliorem finem habet. hoc defendimus.

Solutio arg. 1. 20. Hæreticorum error de Eccleſia.

Et hæreticis ad primum argumentum reſpondemus, acceptando pro confeſſo, quod Eccleſia Catholica quingentis primis annis ſteterit inconcuſſa; negando quod vnquàm tota defecerit. Si enim tota defeciſſet, prævaluiſſent portæ inferi adverſus eam, & ſic deficeret veritas promiſſionis Chriſti D. N. quod omninò falſum eſt. Veriſſimè ergo dicitur, hæreticos multos ſucceſſivè ab Eccleſia defeciſſe, ſuo malo, illam nunquàm perijſſe. quod clarius oſtendo. Primò, quia poſt quingentos primos annos æque fuit Summus Pontifex, Epiſcopi, Sacerdotes, Doctores, & cœtus fidelium, atque prioribus annis. ergo etiam fuit Eccleſia. Secundò, Eccleſia non defecit in fide. quia licet ſcandala ſuborta ſint, nunquam illa ſubſtantiam fidei mutavit. neq; hoc vnquam hæretici probare poterunt. Quod inſtituit Chriſtus D. N. quod docuerunt, & tradiderunt SS. Apoſtoli, hoc credidit, & adhuc credit Eccleſia Catholica continuata ſerie ad hæc noſtra tempora. Tertiò, quia hæretici volunt Eccleſiam Catholicam integrè defeciſſe à fide, quia non credit, quod ipſi docent. Vnde gloriantur Lutherum, & Calvinum Eccleſiam reſtituiſſe. Quod ſi hæc conſequentia valet, Eccleſia Catholica non credit, quod hæretici docent. ergo defecit à fide. Veriſſimè dicetur, quod etiam tempore Apoſtolorum, & primis quingentis an-

21. Eccleſia nunquam defecit.

22. Hæreticorum falſa opinio de Eccleſiæ fide.

tis annis defecerit, à fide; quia tunc pari modo non cre-
didit, quod novatores, & hæretici docebant. ergo falſum
erit, quod 500. annis Eccleſia in fide ſteterit immobilis.
Et multò felicius valebit hæc conſequentia, Catholici 23. Lutheri, & Calvini error.
fideles non credunt, quæ Eccleſia reſtituta, & reformata
Lutheri, & Calvini docet. ergo Eccleſia Lutheri, & Cal-
vini tota defecit à vera fide. Veriſſima inſuper erit hæc
conſequentia, Lutherus, & Calvinus reſtituerunt Eccle- 24. Eccleſia Calvini non eſt Deo, nec vna
ſiam. ergo ante illos non fuit ipſorum Eccleſia. quia
nemo credidit, quæ illi docuerunt. ergo valdè nova eſt
illorum Eccleſia, & à Chriſto deſcendere non poteſt.
neq; vna eſt, quia Lutherus, & Calvinus non ſunt vnum.
diverſa docent, & credunt. aut ergo hujus, aut illius Ec-
cleſia errat, & deficit. non errabit, qui vtrumque dicet
à vera fide defeciſſe.

Ex his non malè infertur, quod ſicut Eccleſia Ca-
tholica nunquam defecit, ita etiam Status Eccleſiaſticus,
hoc eſt, ejus legitima Gubernatio non defecerit.

Ad ſecundum argumentum reſpondent Doctores Solutio arg. 2.
Eccleſiæ Catholicæ, quod Chriſtus D. N. maneat ſemper 25. Chriſtus Eccleſiæ caput.
primarium, & inviſibile caput Eccleſiæ, & quia poſt
aſcenſionem ſuam non erat amplius viſibiliter in terris
præſens, conſtituit caput viſibile ſecundarium, & vica- 26. Papa vicarius Chriſti D. N.
rium S. Petrum, & ejus ſucceſſores, vt ſuo nomine gu-
bernarent Eccleſiam, ſicut Rex abſentiam faciens Vica-
rium, vel proregem regni conſtituit. atque ex hac di-
ſtinctione hæreticorum calumniæ, & figmenta facilè
diſſolvuntur. Si tamen omninò velint hæretici hoc 27. Chriſtus, non Rex, Caput Eccleſiæ.
ſuum argumentum valere. audiant patienter neceſſa-
riam illationem. Chriſtus D. N. eſt verum caput Eccle-
ſiæ. ergo non Rex Angliæ, ergo non quilibet Princeps
eſt Papa ſuæ provinciæ.

Solutio arg. 3. 28. Antichristus. Ad tertium argumentum respondet Ecclesia, quod, licet multi Antichristi facti sint malè de Christo sentientes, hæretici, & impij, tamen præcipuus ille per Prophetas designatus Antichristus, homo peccati, filius perditionis nondum venerit; quia signa illum præcurrentia adhuc non sunt manifestata. Vnde malè inferunt hæretici, Papam esse Antichristum, cum ille nondum sit in rerum natura.

29. Hæreticorũ mendax fictio de Papa. Multò turpius dicunt Papæ convenire omnes notas Antichristi. quia Papa non occidit duos Prophetas præcursores Antichristi; regnavit multis seculis: non est receptus à Judæis pro Messia; non fecit ignem de cœlo descendere, nec imaginem bestiæ loqui: non defecit à fide. hæc, & alia probanda sunt, si calumniam subsistere volunt. quæ ad Theologos, & Ecclesiam remittimus.

30. Antichristi notæ.

Sufficit enim nostro instituto, Ecclesiam Catholicam non defecisse, sed illam à Christo D. N. & ejus Vicario S. Petro ad legitimè subsequentes Summos Pontifices vsque ad Vrbanum octavum gloriosè derivatam in splendore continuo floruisse, & statum suum, hoc est, Principatum, & Gubernationem semper conservasse. quod cum in oculis omnium versetur, superfluum videtur vanis hæreticorum calumnijs inhærere. Qui Deum faciunt auctorem peccati, Summum Pontificem Defensorem gloriæ Dei, timent judicem, ideo calumniantur, & perijsse vellent.

31. Actus permanentis Ecclesiæ confundit hæreticos.

De origine Status Ecclesiastici hoc fine contradictione in humanis certum est, quod à Deo sit institutus, & ab exordio mundi hucusque secundum cujusq; legis divinæ ordinem, & exigentiam sapientissimè continuatus. Legat, si quis dubitat, à sacrificio Abelis vsque ad Moysen, ab illo vsque ad Christum D.N. quid in Ecclesia

32. Status Ecclesiasticus à Deo constitutus.

Dei ſit conſtitutum, mandatum, & executum, & videbit Statum Eccleſiaſticum inter opera Dei vehementer eminere, & non niſi à Deo fundatum, fruſtrà oblatrante hæretico conſervari.

De fine Status Eccleſiaſtici non licet Chriſtiano aliud præſumere, quàm quod Deus infinità ſapientià hunc ſtatum ordinarit, vt quemadmodum in republ. per Reges, Principes, conſiliarios, miniſtros, ad communem pacem & conſervationem ſpecioſo ordine omnia adminiſtrantur; ita in Eccleſia per Summum Pontificem, Epiſcopos, Doctores, Sacerdotes, religioſos negotia fidei, & cultus Divini ad Dei gloriam, & fidelium æternam ſalutem dirigerentur. Eſt ergo finis Status Eccleſiaſtici, gloria Dei, & ſalus æterna fidelium. 33. Finis ſtatus Eccleſiaſtici gloria Dei, & ſalus fideliũ.

Dividitur hic Status in multos ordines, officia, dignitates, & functiones, prout neceſſitas Eccleſiæ requirit. Et primo loco eſt, Summus Pontifex Romanus Vicarius Chriſti, ſucceſſor S. Petri, Caput Eccleſiæ, & judex controverſiarum. Secundò ſunt Patriarchæ. Tertiò primates, quos ſequuntur Archiepiſcopi, Epiſcopi, Suffraganei, Sacerdotes, Doctores, Prælati, Canonici, Religioſi, Diaconi, Subdiaconi, Levitæ, Eccleſiarum miniſtri, omnes ſub vno capite ita ſibi mutuò ſuccedentes, vt in humanis nihil glorioſius liceat conſiderare. Quæ autem ſingulorum ſint munia, non eſt hujus argumenti. Tangam itaque tantum illa, in quibus Idolum Status ſecretis conſilijs everſionem Eccleſiæ molitur. quod quia maximè in juriſdictione ſpirituali & temporali Status Eccleſiaſtici adnititur, de vtraque breviter agendum erit. 34. Status Eccleſiaſtici diviſio.

PVN-

PVNCTVM II.

An Summus Pontifex habeat jurisdictionem supremam spiritualem, & temporalem?

OStendimus in superiori puncto in republ. Christiana dari, & eminenter stare Statum Ecclesiasticum, cujus Caput visibile, & Princeps Gubernator sit Summus Pontifex. nunc de ejusdem potestate, seu jurisdictione, solita brevitate agendum.

1. Summi Pontificis jurisdictio qualis, & quanta.

Duplex in hac quæstione error emergit. alter in excessu adulatorum, alter in defectu invidorum, & malignantium. illi potestatem Summi Pontificis extollunt super omnia humana, vt in Reges, Principes, & vniversos subditos absolutum à Christo D. N. habeat imperium. hi tam malitiosè deprimunt, vt nec supremam spiritualem, nec vllo modo temporalem jurisdictionem concedant.

2. Duplex Jurisdictio summi Pontificis.

Vt facilitetur decisio, adsit DD. Ecclesiæ distinctio. qui docent Summum Pontificem non esse Deum, sed Vicarium Dei in terris, & successorem D. Petri. habere à Deo supernaturaliter potestatem ordinis, & jurisdictionis in regimine Ecclesiæ militantis, habere etiam per assignationem Dei decimas frugum, & per donationem Principum Secularium provincias, feuda, civitates, bona, & diversas hæreditates, immunitates, & privilegia, vt in tanta sublimitate secundum leges Politicas statu suo cum honore præesse, & ab injurijs defendere possit.

3. Papæ potestas in spiritualibus.

Non verò habere in Reges, & Principes; (qui suas dignitates, jura, & judicia non minus à Deo possident, & exercent)

cent) aliud Dominium, quàm Spirituale ſecundum leges divinas ad æternam ſalutem. in purè temporalibus (niſi aliter pactum ſit) Summum Pontificem non præſumere de poteſtate in Reges ſeculi, niſi quando illi vel fidem Eccleſiæ Dei impugnarent, vel illi contra jus vim inferrent, vel in divinam Majeſtatem blaſphemi, damnatas hæreſes promoverent. Qui plura volet, conſulat Eccleſiæ Catholicæ Theologos, & hauriet ſufficientiſſimam intelligentiam.

4. Papæ poteſtas in Reges.

Hoc fundamento poſito, deſcendo ad argumenta adulatorum, qui ex fontibus Idoli ſtatus conantur probare Summum Pontificem habere ſupremam poteſtatem in omnia regna, & reges mundi, ſicut Chriſtus illam habet. Secundò, quod Chriſtus D. N. dederit D. Petro, ejuſq; ſucceſſoribus claves regni cœlorum, poteſtatem ligandi, & ſolvendi animas, tam regum, quàm ſubditorum. Tertiò, quod Chriſtus D. N. duos gladios, ſpiritualem, & temporalem ſufficere Petro declararit. Quartò, quod multi ſancti Pontifices, vtramque poteſtatem in reges exercuerint. ex quibus (vt alia prætercam) inferunt Sumum Pontificem habere, & conferre omnem poteſtatem alijs.

5. Solutio Argumentorum quibus adulatores vtuntur. Argum. 1. Argum. 2. Argum. 3. Argum. 4.

Si hæc argumenta ritè conſiderentur, nihil niſi Idoli Status dolos, & vanitates ſapiunt, vt per prærogativas ſanctam illam dignitatem in ſuperbiam elevet, Eccleſiam confundat, regum hoſtilitates provocet, & per odium illam evertat.

6. Idoli artes in Eccleſiam

Hinc reſpondetur ad primum argumentum. quod Chriſtus D. N. maneat in æternum Pontifex maximus, cum abſoluto in res omnes creatas Imperio; Divo Petro autem ejuſque ſucceſſoribus in viſibili Eccleſia limita-

Solutio arg. 1. 7. Papa vicarius Chriſti.

tum regimen contulerit, vicariosq; suos sub certis legibus denominarit.

Solutio arg. 2.
8.
Christus papę spiritualia dedit.

Ad 2. argumentum dicitur, veram esse concessionem Christi D. N. sed inde non sequi, summis Pontificibus datam esse à Deo potestatem secularem in reges, & regna mundi. quia reges Gentium dominantur eorum. & ipse Christus imperium Cæsaris à divino separavit.

Solutio arg. 3.
9.
Gladij duo Petri.

Ad 3. respondetur, Christum in illo loco loqui de gladio materiali ad defensionem vitę, non autem extendere ad potestatem spiritualem, & temporalem.

Si tamen ita mysticè intelligere placeat, tunc vtramque potestatem suis terminis definiendam esse, vt spiritualem habeat Summus Pontifex in omnes Christianos; temporalem in propria, & per indirectum in alios, quando de fide decertatur.

Solutio arg. 4.
10.
Papa judicat de Regibus.

Ad 4. argumentum respondetur, in istis exemplis, si quæ sint vera, considerandas esse causas moventes Summos Pontifices, & sic patebit distincta ratio. quia in Reges non decernuntur excommunicationes, interdicta, aut privationes, nisi ob injuriam Deo creatori, ejusque Ecclesiæ, & fidei illatam violentiam, & hoc de potestate spirituali à Deo data, & demandata. quam sicut omnes fideles Christiani Principes admittunt, ita suam temporalem potentiam independenter à summo Pontifice suo jure vsurpant, & conservant. atque hoc ipsum tam evidenter convincit vera Ratio Status, & praxis regnantium, vt adulatorum dolis non nisi vanus consentire possit.

Qui Summi Pontificis vtramq; potestatem negant, sunt Politici athei, & hæretici. illi vt regibus suo more blandiantur; hi, vt fulmina suæ malitiæ securius evadant. Politicis in libro de religione respondimus, &

quia

quia cum hæreticis communia ferè habent argumenta; illa hic resolvenda conjungemus.

Impugnant hæretici, vt in superiori puncto notatum est, Summi Pontificis, seu Papæ jurisdictionem spiritualem his ferè argumentis. Primò; quod Christus sit Caput Ecclesiæ, non Papa. Secundò, quod Papa sit Antichristus. Tertiò, quod Christus omnes Apostolos miserit, sicut à Patre missus est; & dixerit omnibus non vni Petro: Docete omnes gentes; accipite Spiritum sanctum; quorum remiseritis peccata remissa erunt. Quartò, quod D. Paulus in faciem restiterit Petro. ex quibus malitiosè concludunt. ergo D. Petrus non fuit verum Caput Ecclesiæ; & multo minus ejus successores; ac per consequens non habuit solus supremam jurisdictionem spiritualem; ergo nec illam sibi pontifices arrogare possunt.

Christ. caput Ecclesiæ non Papa.

Argum. 1. hæreticorum.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

12. Petrus non est caput Ecclesiæ.

Ad hæc argumenta respondetur, & quidem ad primum, vt in proximo puncto dictum est. de primario, & secundario invisibili, & visibili capite Ecclesiæ. Eodem modo respondetur ad 2. argumentum, vt supra de calumnia Antichristi. Ad 3. argumentum respondetur Christum D. N. omnes Apostolos misisse ad prædicandum Evangelium, sed vni Petro dixisse: Pasce oves meas. in quo verbo data est illi Pastoralis eminentia, quæ in Ecclesia regenda erat omninò necessaria. neque valet consequentia, omnes acceperunt Spiritum S. ergo omnes sunt æquales. quia cum gratia Spiritus S. Christus D. N. non potuit vni dare jurisdictionem supremam, alijs subordinatam. vt in facto constat.

Solutio argument. 1.

Solutio arg. 2.

Solutio arg. 3.

13. Petrus pastor.

Ad 4. argumentum respondetur D. Paulum cum debita reverentia reprehendisse D. Petrum non in articulis fidei, sed in actu humanæ dissimulationis. illam

Solutio arg. 4

verò resistentiam non auferre supremam potestatem, sed conservare charitatem, & vnionem.

Gravius calumniando invehuntur hæretici non tantum in summi Pontificis, sed omnium Episcoporum, & Prælatorum Ecclesiæ Catholicæ potestatem temporalem, eorum bona, & possessiones. Vt verò invidiæ suæ argumenta habeant. dicunt primò cum Juliano Apostata. Quod nemo militans Deo implicat se negotijs secularibus. & nisi quis renunciaverit omnibus, quæ possidet, non possit esse Christi discipulus. Secundò, quod sicut Christus recusavit regna mundi, ita etiam ejus ministri teneantur facere. Ex hoc formant tertium argumentum, quod quicquid Ecclesiastici per donationes principum acquirunt, hoc contra jus divinum per latrocinia mala fide possideant.

14. Hæreticorum contra Temporalem potestatem Papæ argum. 1.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

Quartum argumentum, quod sicut Christus non fuit missus à patre ad munera politica; ita etiam suos ministros ad eadem non miserit.

Argum. 5.

Quintum argumentum, ipsis legibus Ecclesiæ excommunicantur, qui se negotijs secularibus implicant, & prohibentur à tutelis suscipiendis.

Argum. 6.

Sextum argumentum, nemo sufficiens est ad munus spirituale decenter obeundum. ergo malè sectatur temporalia.

Prætereo lubens alia malignantium argumenta, quæ eodem ferè fundamento nituntur, & corruunt.

Solutio arg. 1.
15. Iuliani malitia.

Respondeo autem ad primum argumentum, quod hæretici congruum suæ intentioni fingant argumentũ, vt, sicut Julianus, liberè Ecclesiasticorum bona deprædentur. Sciunt enim, quod Ecclesiastici principaliter divinis attendere, non ex integro secularibus invigilare debeant; si verò necessitas reipubl. requirat, Deum ipsos

Reges

Reges in grauissimis negotijs ad Sacerdotes remisisse, & illis curam salutis publicæ demandasse. Vult ergo Deus ministros Ecclesiæ principaliter militare pro gloria sua, & secularibus renunciare, non vt hæretici aliena impunè rapiant, sed vt illi affectum erga temporalia religiosè deponant, tanquam non possidentes domibus suis benè præsint, & necessitati publicæ operam suam non subtrahant.

16. Deus remittit Reges in dubijs ad Ecclesiæ iudicium.

Ad 2. argumentum respondetur, Christum recusasse regna mundi, non quod regnare malum quid censeret, cum ipse sit actu Rex Regum, & Dominus dominantium, & Pilato responderit in judicio. Rex ego sum. sed vt palam faceret mundo, se filijs hominum regna mundi relinquere, & omnium salutem exemplo humilitatis curare. Vnde non sequitur hæreticorum illatio. Christus non voluit acceptare regnum mundi, fugit honores. ergo Pontifices, vel Episcopi non possunt acceptare Principatum Politicum jure, vel dono sibi oblatum. Quia quando Christus D. N. voluit, declaravit se Regem coram Pilato; judicium exercuit, non condemnando adulteram; imperium gessit, quando ementes ejecit templo; regia potestate vsus est, cum alienam asinam, & pullam sibi adduci mandavit. Quæ omnia purè sunt secularia. & sicut illa non derogant professioni Christi, qua dicit, regnum suum non esse de hoc mundo, ita non implicat Episcopum regere Ecclesiam, & Principatum temporalem Ecclesiæ justo titulo, annexum administrare, non superbo dominatu, vt Reges Gentium, sed paterno affectu, secundum leges divinas, & humanas.

Solutio arg. 2. 17. Christus Rex Regum.

18. Christus quomodo se in secularibus habuerit.

19. Papa quomodo regit temporalia.

Ad 3. respondetur, nunquàm hoc argumentum sibi constare posse, nisi hæretici doceant lege divina cautum esse,

Solutio arg. 3. 20. Hæreticorum lex impia.

esse, ne quis Episcopus dona accipiat, & si acceptet latro habendus sit, & malæ fidei possessor.

Solutio arg. 4. Ad quartum argumentum respondetur, verum esse Apostolis in missione Christi principaliter demandatum esse munus spirituale. Sed neque prohibitum esse saluti publicæ consulere; si quando hoc necessitas postularet.

Solutio arg. 5. Ad quintum argumentum respondetur, non competere hæreticis interpretationem legum Ecclesiæ. Si verò leges illæ ritè considerentur, sanctæ erunt ad tollendos abusus circa secularia, & promovenda divina.

Solutio arg. 6. Ad sextum respondetur, quod etiamsi nemo ex se

21. Homo ex se nihil.

sufficiens sit ad munera spiritualia, possit tamen vir pius per gratiam vocantis, & mittentis Dei, ad illa obeunda sufficiens fieri. Ita prorsus si præter curam spiritualem ad principatum legitimè vocetur, sufficiet illi gratia vocantis Dei ad vtrumque munus.

Responsum est speciatim hæreticis, sed quia illis mixtos diximus Politicos, ad Rationem status argumenta illorum generatim revocabimus.

22. Politicis respondetur politicè.

Et quidem primum de jurisdictione spirituali Papæ sic ex genio Politicorum ad principia status reducimus. Christus est Caput Ecclesiæ. ergo non Papa. pergite. ergo

23. Christus est Caput Ecclesiæ, ergo non Rex Angliæ.

non Rex Angliæ; vltra. ergo non quilibet Princeps habet primatum in sua Ecclesia. Si hæc consequentia valet in Papa, qui in Ecclesia propriè spiritualia dirigit; quomodo non efficacius valebit in regibus mundi, quibus regna non Ecclesia Dei commissa est? Si Christum solum volunt, esse caput Ecclesiæ, & ideo Papam rejiciunt; per quam Rationem Status Regi Anglo, & cuilibet

24. Politicorum insania.

Principi Primatum Ecclesiæ deferunt? annon etiam plura Capita sunt Reges, & Principes? sed cum pluralitas sit

rejici-

rejicienda, vt ne vnus quidem Papa secundarium Caput
Ecclesiæ esse possit, quomodo Christus tot consortes re-
gni, & tam differentis intentionis agnoscet, aut feret
Principes? Dicite athei quod res est. nolumus Papam 25. Politicorum malitia.
regnare supra nos, vt impunis sit, impietas, & error no-
ster. Damus Regibus spiritualem jurisdictionem, vt in
confusione Ecclesiam evertamus. erratis.

Secundum argumentum de Antichristo in Ratione 26. Politicorum retorta in auctores argumenta.
Status sic resolvo. Quicunq; se facit caput Ecclesiæ, &
vsurpat authoritatem Christi, est hostis Christi, & Anti-
christus. atqui Rex Angliæ, & principes hæretici hoc fa- 27. Angliæ Rex Antichristus.
ciunt. ergo sunt hostes Christi, & Antichristi. Major
est hæreticorum, & Politicorum, qua innixi Papam Anti-
christum declarant. sine judicio judices. Minor actu
ipso, professione, & scriptis probata est. ergo conclusio
vera. incidunt in foveam, quam fecerunt.

Tertium argumentum egregiè confundit in Ra- 28. Reges primatum Ecclesiæ volunt, non onus.
tione Status adversarios; quia dum reges primatum Ec-
clesiæ sibi tribuunt, assumunt cum Apostolis onus do-
cendi gentes prædicandi Evangelium; tenentur renun-
ciare seculo, abnegare semetipsos, & sequi Christum.
Rationem, & judicium ipsi ferunt. quia sicut Christus à
Patre ad talia missus fuit, ita misit Apostolos omnes, non
vnum solum. ergo omnes missi, & vsurpantes missionis
divinæ munia, vt Rex Angliæ, & principes hæretici obli- 29. Angli primatus.
gantur deponere Regna, & prædicare Evangelium in
paupertate, quam Christus verbo, & exemplo docuit.
Si secus fecerint, missi non sunt à Christo. si non sunt
missi, quomodo ad primatum Ecclesiæ electi? attendite
Reges, & principes, ne dum ambitio vos ad spiritualem
potestatem transfert, vtrumque imperium amittatis, ne
æternum pereatis.

De quarto argumento, quod D. Paulus restiterit Petro, ex ratione adversariorum hanc formo consequentiam. R. P. Martinus Becanus restitit regi Angliæ in faciem, & quidem publico scripto. aut si malint. Ecclesia Catholica justo judicio contradicit, imò damnat primatum Regis Angliæ. ergo Rex Angliæ non est verum caput Ecclesiæ. Sic tenent omnes Christiani.

30. Angliæ Rex non est caput Ecclesiæ, & quare?

In argumentis contra temporalem potestatem Ecclesiasticorum non minus graviter impingunt adversarij in fundamento Rationis Status. Dicunt enim in primo. quod militans Deo non debeat implicari secularibus, & renunciare omnibus, quæ possidet. ergo rex Angliæ, & omnes Principes hæretici, qui non tantum militant, sed principatum Ecclesiæ assumunt, debent abstinere à regno, & secularibus, ut supra diximus. Quod si non faciant, invertent Catholici Juliani argumentum hoc modo. Reges, & Principes hæretici, qui suo judicio sunt capita Ecclesiæ, & militant Deo, tenentur renunciare omnibus, quæ possident. ergo Catholici possunt de jure ipsorum regna occupare. Si dura hæc est hæreticis consequentia; considerent, quàm justa, quàm grata sit illa Catholicis, qua sola hæretici sibi licere volunt, Catholicorum Ecclesiasticorum provincias dolo, vel armis invadere. Quid respondebunt Christo judici de tam enormi injustitia, quando falsam rationem status ne quidem allegare licebit in judicio? non sicut homo judicat Deus.

31. Angliæ Rex contra seipsum judicat.

32. Capita Ecclesiæ debent renuntiare secularibus, ergo & hæretici.

33. Ratio status falsa.

Secundum argumentum, est simile primo, & easdem trahit consequentias.

Tertium argumentum, de Ratione status multò justius in hæreticos retorquetur. hoc modo. quidquid hæretici Ecclesiasticis dolo, vel armis auferunt, hoc contra jus

tra jus divinum per latrocinia mala fide possident; quia 34. Qui aliena rapit latro est, non qui dona accipit.
sine comparatione gravius lædit jus divinum, qui inju-
stam violentiam exercet, quàm qui ad gloriam Dei dona
accipit. Progrediamur. Hæretici, & Politici concedunt
donationes principum parvas esse licitas, magnas esse
contra jus divinum, & non admittendas. quia Ecclesia-
stici alimentis debent esse contenti, & in magnis tempo-
ralibus non occupari. Piè sentirent, si malitia abesset.
Videamus ergo, quid intendant hac sanctitate.

Hoc optant, hoc moliuntur, ut Ecclesia Catholica 35. Heretícorum inconsiderata perversitas.
redigatur ad nihilum, impotens sit, & inermis, ut ipsis
pateat in prædam. ideo magnas donationes, hoc est,
principatus Ecclesiæ latrocinia vocant, ut ipsi magna
illa latrocinari possint; parvas donationes concedunt,
ut pauperes facilius opprimant. egregia pietas. & de
hac ad Rationem status provoco. hoc modo. si ex ad- 36. Hæreticis donatio est latrocinium, si magna sit.
versariorum sententia parva donatio est Deo grata, lici-
ta, & sine peccato. quare magna donatio ad Dei gloriam
Ecclesiæ facta est contra jus divinum, & pro latrocinio
habenda? Audi subtilitatem involutam malitiæ. Quia
Ecclesiastici paucis aluntur, magnis principatibus ab-
utuntur, distrahuntur. sed quid si sanctè magnis & pau-
cis præsint Pontifices, & Episcopi? sanè admirabilis est
Philosophia, quod qui Deo parva munera offert, pius
sit? & latro æstimandus, qui magna offerat. Converta-
mus hanc prudentiam in adversarios. Reges, & princi- 37. Heretici quomodo se latrones declarent.
pes hæretici occuparunt, & possident principatus Eccle-
siæ Catholicæ, & sunt actu in suo sensu Episcopi, & ca-
pita Ecclesiæ. ergo mala fide latrocinia possident. 2. ac-
ceptant magna dona Episcopatuum. ergo violant jus
divinum. 3. dant magna dona Ecclesiæ suæ Ministris.
ergo impij sunt. forsan non placent hæ consequentiæ.

ſanius foret conſilium, ſi reges, & principes, ne latrocinia poſſideant, Deo, quæ ſunt Dei, relinquerent; Epiſcopis ſua jura permitterent, & ne jus divinum violarent, ac impij eſſent, ſuis miniſtris Eccleſiæ nec magna, nec parva donarent; ſequerentur verò vias Patrum antiquas, fundatas in veritate Chriſti, non in vanitate falſæ rationis ſtatus.

38. Reges latrocinantur in Eccleſiæ bonis.

Ex quarto argumento, hanc conſequentiam deduco. Sicut Chriſtus non fuit miſſus à Patre ad munia Politica, ita etiam ſuos miniſtros ad temporalia non miſit. ergo reges, & principes hæretici vſurpantes Epiſcopatus Catholicorum renunciare debent ſecularibus. præſertim cum Epiſcopatus latrocinia ſint, in quibus nunquã illis ob malam fidem curret præſcriptio.

39. Hæretici ſuo jure convincuntur.

Pari ratione de 5. & 6. argumento convincendi ſunt adverſarij. ſi enim ſciunt leges Chriſti, & Eccleſiæ prohibere Eccleſiaſticis curam temporalium, & ipſi ſuam inſufficientiam ſentiunt; quare præter regna propria alienos Epiſcopatus violenter rapiunt, & ſuperbè de ſuis viribus præſumunt? Quare Catholicos ad paupertatem Chriſti remittunt, & ipſi divitias, imò latrocinia occupant? Quare Catholicos ſacerdotes ad Chriſti D. N. vitæ puritatem & exempla aſtringunt; & ſibi, ſuiſque omnem carnis licentiam indulgent? non videtur alia ratio, quàm quod per falſam Rationem ſtatus ſe à legibus Chriſti ſolutos, & liberos exiſtiment. ſi hoc, quod res eſt, negant;

40. Hæreticorũ judicia.

dicant; quare non omnes verè Chriſtiani æqualiter legibus Chriſti tenentur? quare vni dona liberalitatis accipere eſt latrocinari, alteri aliena rapere, & vineam Chriſti deprædari, eſt piè agere? aut Chriſtiani non ſunt, aut Chriſto illudunt, qui tam perverſè judicant. Convertantur, & erubeſcant.

Post prælium revertamur ad stationem, & quid de proposita quæstione sentiendum sit Christiano principi, resolvamus.

Dicimus ergo primò, constanter cum Ecclesia Catholica, quod summus Pontifex supremam habeat à Deo spiritualem potestatem in omnes subditos Ecclesiæ, sive Ecclesiastici illi sint, sive reges, sive de populo. Hanc eximiam potestatem accepit D. Petrus à Christo D. N. in verbo, Pasce oves meas. atque hæc eadem per legitimam electionem à Spiritu S. in successores D. Petri summos Pontifices derivatur. Ex plenitudine hujus potestatis conferuntur sacri ordines, magni, & parvi. consecrantur Episcopi, convocantur Concilia, sanciuntur leges, statuuntur pœnæ, damnantur hæreses, exercentur suprema judicia, decernuntur excommunicationes, administrantur Sacramenta in Ecclesia, & divina officia ad Dei majorem gloriam diligentissimè disponuntur. Hanc potestatem agnoscunt omnes Christiani. & licet hæretici illam negent, jus tamen in invitos redditur. hoc experiuntur.

41. Sententia Ecclesiæ 1.

42. Papa habet summam potestatem.

43. Papæ officia.

Dicimus secundò cum Ecclesiæ Catholicæ Doctoribus, summum Pontificem absolutè loquendo non habere supremam potestatem temporalem in omnes reges mundi. quia talem neque à Deo, neque ab hominibus accepit.

Sententia 2.

44. Papæ Temporalis potestas.

Eodem modo dicimus tertiò, summum Pontificem habere justum dominium temporale in provincias à pijs Regibus Ecclesiæ donatas, & in principes, qui ratione feudorum, vel ex pacto jurisdictioni subjiciuntur. Quia hoc lege divina non est prohibitum, & humana consuetudine confirmatum. Et si à lege naturæ vsque ad legem gratiæ sacerdotij dignitas sine passione considería-

Sententia 3.

45. Deus dedit Ecclesiæ bona.

deretur. patebit Deum ſemper illam ſingulariter defendiſſe, extuliſſe, dotaſſe, ab oneribus exemiſſe, & libertate donaſſe. ergo licet inferre, quod bona temporalia poſſidere in Eccleſia Deo non ſit prohibitum.

Sententia 4. 46. Reges non habent jus in Eccleſiam.

Dicimus quartò, Reges, & principes ſeculi non habere juriſdictionem ſpiritualem in ſummum Pontificem, Epiſcopos, vel ſubditos Eccleſiæ. quia hoc lege divina cautum eſt. Poſſe tamen reges habere juriſdictionem temporalem in Eccleſiaſticos, ſi quando illi ratione feudorum ſeu bonorum temporalium à regibus dependeant. quæ tamen juriſdictio perſonam Eccleſiaſtici afficere non poſſit.

Hæc omnia continuata obſervantia in orbe Chriſtiano tam certa ſunt, vt fruſtrà oblatrent hæretici, & reali actu maligni confundantur.

PVNCTVM III.

An liceat Eccleſiaſticis habere principatus temporales, & magnas opes?

NOn eſſet neceſſe hanc quæſtionem inter Chriſtianos movere, niſi invidia, & malitia eorum, qui à Chriſto ſeceſſionem fecerunt, in negantem partem argumenta ſuppeditaret, & errores induceret. ſunt autem ijdem, qui juriſdictionem Eccleſiaſticam impugnarunt, hæretici, & Politici.

1. Hæreticorũ de paupertate Chriſti D. N. argum. 1.

Hæretici dicunt primò, Chriſtum D. N. Verum caput Eccleſiæ pauperem fuiſſe, & D. Paulum manibus victum quæſiviſſe. ergo omnes Eccleſiaſticos ad paupertatem obligari exemplo Chriſti.

Dicunt

Dicunt ſecundò, divitias provocare luxum, & ſuperbiam. & hoc adeò verum eſſe, vt Catholici ipſi fateantur, filiam occidiſſe matrem. hoc eſt, opes reſpectu devotionis acquiſitas, deſtruxiſſe ipſam devotionem. ergo non conveniunt divitiæ Eccleſiaſticis. — Argum. 2. 2. Divitiæ occidunt devotionem.

Dicunt tertiò, Deum ſeparaſſe ſtatum Eccleſiaſticum à ſeculari, vt quilibet expeditius adminiſtrari poſſet. ergo Eccleſiaſtici non debent ſuſcipere principatus temporales, nec opum curam gerere, ſed divinis tantum intendere. — Argum. 3.

Vt invidiæ argumentis plenius ſatisfaciamus, proferemus Catholicorum fundamenta & rationes, quare Eccleſiaſticis principatus, & opes poſſidere licitum ſit.

Ratio prima. Quod ipſe Deus infinità ſapientià cum de republ. populi ſui ſelecti diſponeret, vnam tribum divino cultui præfecerit, illamque vt majori dignitate, & commodo frueretur, præ cæteris, decimis & alijs emolumentis ditarit, à ſervilibus liberarit, & ſummis honoribus affici mandarit. — 3. Eccleſiaſtici habere opes quare liceat.

Secunda ratio naſcitur ex prima. Quod repugnat divinæ ſapientiæ ſtatum politicum regio diademate, & omni ſplendore condecorare, proprium verò ſui cultus ſtatum in paupertate vilem, abjectum, & contemptum negligere. — Ratio 2. 4. Eccleſia quare dives.

Tertia ratio eſt. Quia ſi ex mente invidorum ſummi Pontifices, Epiſcopi, & omnes Eccleſiaſtici eſſent cum Chriſto pauperes, non poſſent liberè reprehendere, judicare, nec punire Eccleſiæ ſubditos à quorum miſericordia ſemper ſupplices dependerent. — Ratio 3.

Quartò, quia paupertas neceſſaria animos ad illicitas, & malas artes impellit, à curis rerum divinarum, à ſtudijs, & operibus charitatis excludit. — Ratio 4. 5. Paupertatis incommoda.

Ratio 5. Quintò, quia Christus D. N. nusquam certa lege prohibuit, ne qui Ecclesiæ suæ præfuturi essent, justa bona temporalia possiderent. Neque jussisset per impossibile esse hospitales Episcopos, si illos continua paupertate premi voluisset. Non dedisset medullam olei, vini, & frumenti sacerdotibus, neque in Evangelio illis promisisset, fore, vt Reges nutritij eorum essent, si in paupertatis necessitate statuisset vilescere sacerdotium.

6. Christus opes Ecclesiæ non prohibuit.

Ratio 6. Sextò, quia lex divina constituit Ecclesiæ ministris alimenta sine restrictione quantitatis.

Ratio 7. Septimò, quia sicut, qui præsunt reipubl. magnis honoribus, & divitijs donantur; ita qui Deo, & saluti omnium serviunt, largiori manu de publico sustentandi sunt, non deprimendi.

Ratio 8. Octavò, quia quæ Ecclesiastici habent bona temporalia, illa liberali donatione à regibus, & pijs Christianis justo titulo possident.

Ratio 9. Nonò, quia omnes hæreditates, & immunitates Ecclesiæ Imperatorum legibus confirmatæ sunt.

Ratio 10. Decimò, quia Ecclesiasticis principaliter demandata est cura pauperum, & ornatus Ecclesiæ. si autem ipsi sint pauperes, nihil dare, nihil ornare poterunt.

Ratio 11. Vndecimò, quia postquam senescente orbe in immensum ferè crescit hominum ambitio, avaritia, & malitia, necessariæ sunt Ecclesiæ Dei convenientes divitiæ, vt sese ab invidis, hostibus, hæreticis, & malis fratribus defendere possit.

Qui plura desiderat curiosus, legat Catholicorum scriptorum dissertationes, inveniet vtique, non tantum in lege Moysis, sed etiam in ipsa origine Ecclesiæ Christi fuisse viros pios, qui bona sua offerent, & ad pedes Apostolorum dejicerent, vt abundè haberent victum; & ornatum

natum Ecclesiæ. Neque defuisse de cursu temporis, qui pia liberalitate Deo litantes ampla prædia Ecclesiæ obtulerint. quibus sicut amplissima dona regum, & principum accesserunt, ita iustissimo titulo possidentur, & Imperatorum legibus confirmantur.

7. Fundamentũ opum in Ecclesia.

Sed his non contentus Politicus, scrutatur substantiam Ecclesiæ impius fænerator, & per rationem status regibus omnia bona mundi attribuit, vt quorum solum à natura iustum sit imperium; ita vt nec optimatum respublica, nec sacerdotium quidquam proprietatis de iure naturali possidere possit.

8. Politicorum insana malitia de absoluto Imperio.

Vt huic impietati satisfaciam, præmitto, quem graviter sentio dolorem, quod tam execrabilis audacia adulatorum à regibus Christianis impunita maneat, imò audiatur, acceptetur, & remuneretur, & hinc ad argumenta Politici respondeo: Quod hæc doctrina, omnia esse regum, Deo, naturæ, rationi rectæ, vsui humano, & judicio omnium sapientum Mundi contraria sit, falsa, & Christianis omninò detestanda. Ratio est. quia Deus creator solus absolutum in omnia habet imperium. & cuilibet non solis regibus pro voluntate sua bona distribuit. ergo reges, & privati æquali jure bona sua in dispari quantitate possident, & ad rationes tenentur. sic naturæ repugnat, paucos reges, etiam tyrannos, & impios rerum omnium dominos esse, & multitudinem, bonos, & egregios penuriâ deprimi. Eodem modo adversatur rectæ rationi, quod omnia, quæ privati à Deo, à parentibus propriâ industriâ, & virtute iustè habent, & acquirunt, regibus vt propria assignentur. Praxis etiam in humanis omninò contrarium obtinet, quia emere, vendere, & alienare etiam invitis regibus liberum est privatis. Et judicia sapientum bona regum à privatis discer-

9. Solutio impietatis Politicorum.

10. Deus Regibus, & subditis concedit bona, exigit rationem.

11. Bona privatorum non sunt Regum.

12. Tyrannus facit omnia sua.

diſcernunt, & juſtitiæ limites communes vtriſque ſtatuunt. falſa eſt ergo adulatorum perſuaſio, & non niſi perfecto tyranno proponenda.

13. Non ſoli Reges ſunt juſti.

14. Deus Iudæis non dedit Reges.

Non minus falſum eſt, quod regum imperium à natura tantum ſit juſtum. Quia author naturæ juſtiſſimus, & ſapientiſſimus Deus cum rempubl. populi ſui formaret non regium imperium, ſed optimatum verè juſtum conſtituit, regium, vt iniquum diſſuaſit. Et quia naturalis ratio docet, quod omnia imperia ſint juſta, quæ juſtitiam realiter exercent, à quaſi reges deficiant, injuſtè dominantur, juſtè privantur. Non ergo ex tam falſo adulatoris antecedente ſequitur ſuæ impietati deſiderata conſequentia. Duces, principes, optimates, & ſacerdotes non ſunt reges. ergo principatus illorum à natura injuſtus eſt, & hæreditates ipſorum regibus debentur.

15. Cautio ad Reges de dominatu abſoluto.

Obſervent itaq; reges, & principes Chriſtiani quàm ſpeculativè Idolum ſtatus per ſuos ſecretarios regalem ambitionem promoveat, & ſpreto divino, & humano jure in tyrannidem ſeducat. fugiant, qui ſalutem æternam deſiderant, conſilia Idoli ſtatus; quia ſuperbia ejus aſcendit ſemper, & noviſſima ducunt ad interitum ſempiternum.

Solutio arg. 1. hæreticorũ.

16. Chriſti virtutes.

17. Chriſtus Dominus noſter multa conſulit, non imperat.

Ad argumenta hæreticorum licet in ſuperioribus ſufficienter reſponſum ſit, breviter tamen dicendum eſt ad primum de paupertate Chriſti D.N. quod paupertas, ſicut omnes aliæ virtutes, caſtitas, humilitas, charitas, patientia, &c. in Chriſto D. N. fuerint in ſummo perfectionis gradu, & quod omnibus fidelibus illas commendarit, non imperarit. Quia ſi Chriſtus ſimpliciter paupertatem exigeret, non promitteret primò quærentibus regnum cœlorum, quod omnia regna, & bona mundi

illis

illis adjicere vellet. Neque matrimonium pro magno ſacramento haberet, qui caſtitatem imperaret. Conſilia ſunt iſta ad perfectionem, quæ etiam multi religioſiſſimè ſequuntur in Eccleſia, non autem mandata. ſi tamen hæretici pro mandatis habent, quare non obediunt? quare divitias tam avidè ſectantur? ſi non habent pro mandatis, quare in Catholicos ſeveri ſunt judices, qui ſibi tanta licentia indulgent?

Ad ſecundum argumentum reſpondeo, ex mente Eccleſiæ Doctorum. quod non divitiæ ſimpliciter pariant vitia, luxum, & ſuperbiam, ſed abuſus divitiarum. Quia multi reges, & principes ditiſſimi fuerunt, & tamen pientiſſimè vixerunt, vt David, Job, Abraham, & alij. Ita in Eccleſia Catholica Epiſcopis omnibus & Prælatis ſive temporales habeant principatus, & dominia, ſive alios liberos proventus, certæ ſtatui convenientes leges datæ ſunt, ne in ſuperbiam efferantur, ſed ſuperflua in pauperes, in miniſtros, Eccleſiæ ornatum & ædificia convertant. ad divitias cor non apponant, non dominentur, vt reges gentium, ſed piè, juſtè, & ſobriè viventes Eccleſiæ, & domui ſuæ benè, & cum dignitate præſint. quod equidem omnium ſapientum, imò aliquot hæreticorum judicio melius in moderatis opibus, quàm in vili Prædicantium paupertate ſervari poteſt. Non propter abuſum legitimus tollendus eſt vſus. Neq; ſequitur, filia occidit matrem apud aliquot exorbitantes in Eccleſia Dei prælatos, aut Religioſos. ergo omnibus indifferenter bonis interdicendum eſt, & paupertas imponenda. quia boni non debent luere pro malis. culpæ ſuos tenent authores. Imò contrarium fælicius inferre licet, hoc modo. Multi ſummi Pontifices, Epiſcopi, Prælati Eccleſiæ de ſuis bonis ad majorem Dei glo-

Solutio arg. 2. 18. Abuſus non tollit vſum.

19. Reges divites, & pij.

20. Eccleſiaſtici quomodo opibus vti ſoleant.

21. Filia occidit matrem.

22. Ecclesia quomodo impendat suas opes.

riam instituunt seminaria juventutis, extruunt templa, alunt pauperes, convertunt infideles, sustentant conversos, & procurant pacem publicam. ergo salutare est Ecclesiam Dei opibus abundare, non vilescere. si verum licet dicere. hæreticorum prædicantium divitiæ non occidunt devotionem, quia sicut veram devotionem non habent, ita divitias justas non accipiunt, nec merentur. nec devoti, nec divites sunt.

23. Prædicantes nec divites, nec devoti.

Solutio arg. 3.

Ad 3. argumentum respondetur, Deum separasse status non cum mandato, ut conjungi nunquam possent, quia sæpius in lege sacerdotes principatum temporalem ex ipsius Dei voluntate gesserunt. ita in Ecclesia fieri nullæ leges prohibent. sola invidia hæreticorum contradicit inaniter.

24. Hæreticorum invidia.

PUNCTUM IV.

De electionibus summi Pontificis, & Episcoporum.

DEfendimus contra invidorum falsas calumnias statum Ecclesiasticum, ejus jurisdictionem spiritualem, & temporalem. Nunc cum ijsdem hostibus congrediendum est de modo, quo summi Pontifices, Episcopi, & Prælati Ecclesiæ ad tales dignitates legitimè perveniunt.

1. Hæreticorũ contra Electiones Papæ argum. 1.

Consentiunt in hac causa hæretici cum Politicis, & communibus vtuntur argumentis ad annullandas electiones. Et asserunt primò, Episcopos non à Clero, sed à populo debere eligi. sicut in S. Ambrosio, & alijs clarum est.

Secun-

Secundò, electionem summi Pontificis, & Episcoporum ab ipsis Pontificibus translatam esse in Imperatores, vt referunt Canones de Hadriano, & Carolo Magno. Argum. 2. 2. Papam eligit Cæsar.

Tertiò, multos Imperatores, & reges hoc jure electionis sæpius, & longo tempore vsos fuisse, & etiamnum illud exercere, vt in Gallijs constat. Argum. 3. 3. Galliæ Rex creat Episcopos.

Quartò, omnes electiones Ecclesiasticorum, quas noviter de facto introduxerunt, & vsurpant, de jure esse invalidas, quia sunt contrariæ sacris legibus. Argum. 4.

Quintò, objiciunt Politici, quod in Ecclesiasticorum electionibus Spiritus S. directio (de qua maximè gloriantur) per nundinationes, & pacta secreta prorsus excludatur, ita vt nullo jure pro legitimis justificari possint. Argum. 5. 4. Politicorum contra Electionem argumenta.

Sextò dicunt, electiones non esse liberas; eò quod vota eligentium præoccupata sint, vel pretio, vel promissis, vel comminationibus. Atque ex his omnibus superbè concludunt, nec Papam, nec Episcopos in Ecclesia Catholicorum esse legitimos superiores, ideoque regali potestate exterminandos. Argum. 6. 5. Electio Papæ non est libera.

Gravissima est hæc invidorum calumnia, quam vt pro obligatione ab Ecclesia removeam. dicam primò, quo jure & ratione Electiones summi Pontificis, & aliorum Prælatorum Ecclesiæ nitantur, deinde adversarijs respondebo.

Primò certum est, etiam ipsis invidis consentientibus, Christum D. N. vocasse, & elegisse Apostolos. 6. Iura status Ecclesiastici, & Electionū.

Secundò, constat eundem præ alijs D. Petro oves pascendas, & claves tradidisse. ac per hoc in caput Ecclesiæ suæ elegisse. 7. Deus elegit D. Petrum.

Tertiò, apertum est in sacra Scriptura ex D. Paulo.

8. Spiritus S. elegit Apoſtolos regere Eccleſiam. Spiritum S. poſuiſſe, quod eſt, actu elegiſſe, Apoſtolos regere Eccleſiam Dei. Ex his tribus infero. ergo electio Prælatorum Eccleſiæ, eſt juris divini.

9. D. Petrus elegit alios. Quartò verùm eſt, D. Petrum poteſtate ſibi à Chriſto D. N. delata, concilia convocaſſe, & creſcente Eccleſia plures ad diverſa munera, & dignitates elegiſſe.

10. Clerus elegit capita Eccleſiæ. Quintò refert ſacra hiſtoria, poſt D. Petrum Clerum Eccleſiæ ſine vlla interpoſitione principum mundi, ſucceſſores ſanctæ ſedis elegiſſe, & longa ſerie iſtam poteſtatem continuaſſe. Et licet injuria temporum aliquando variata ſit, tamen ſemper fundamentaliter in Clero permanſiſſe; ſicut à ſeculis in ſacro Cardinalium Collegio ſummi Pontificis electionem ſubſiſtere conſentiens orbis admiratur.

11. Electio jure fit ab Eccleſiæ membris. Sextò, poſtulat recta ratio, & æquitas naturalis, vt electio fiat ab illis, quibus Eccleſiæ cura à Deo demandata eſt, & qui ſingulorum perfectiones noſſe poſſunt.

12. Reges prohibentur a ſpiritualibus. Septimò, lege divina ſtatutum eſt, ne reges ſeculares, & populus ſpiritualibus officijs ſeſe immiſceant. ergo nec electionibus Prælatorum, quæ Spiritus ſanctus propriè ſunt.

13. Clerus ſub lege tenetur dignos prælatos eligere. Octavò, ſeveris legibus mandatur Clero, dignos Prælatos eligere &c. ergo cum pace adverſariorum concludo, Electiones Eccleſiaſticorum Prælatorum de jure divino, & humano competere Clero, non ſecularibus.

His paucis addi poſſunt, quæ paſſim Eccleſiæ Doctores in hac cauſa decernunt, ad quos curioſos remitto. Quod ſicut in Concilijs Lugdunenſi, & Baſileenſi clariſſimum eſt, ita in forma juramenti, quod Cardinales eligentes præſtant, evidentiſſimè probatur.

14. Forma juramenti Cardinalium. Eſt autem hæc forma juramenti, poſt auditam Miſſam, & ſumptam ſacram Euchariſtiam. Ego N. Cardinalis

nalis juro, & promitto omnipotenti Deo Patri, & Filio, & Spiritui S. ac D. Petro Apostolorum Principi, eum eligere in Pontificem, quem credam Ecclesiæ in spiritualibus, & temporalib. vtilem, & tantæ dignitati idoneum. nec illi vocem dare, quem verisimiliter scivero promissione, aut datione alicujus rei temporalis, seu prece per se, vel per alium interposita, aut alias qualitercunq; directè, vel indirectè per se electionem procurare: electoque in Pontificem non prius obedientiam facere, quàm juret juxtà formam sacri Basileensis Concilij. ita me Deus adjuvet, cui in die tremendi judicij redditurus sum de hoc, & cunctis operibus meis rationem.

Ad primum argumentum hæreticorum respondeo, doctrinam, & exemplum Christi D. N. & Apostolorum esse in contrarium. Et si aliquando, sicut in S. Ambrosio, populus in electionibus Prælatorum Ecclesiæ aliquid obtinuit, hoc postulando, flagitando, non eligendo impetrasse, Clerum verò realiter elegisse, & superiores confirmasse.

Solutio arg. 1. hæreticorum.

15. Ambrosij postulatio.

Ad secundum argumentum, non negamus acta, sed causas, vt simul adferant calumniatores, postulamus. Concessit, inquiunt, Hadrianus Papa Carolo Magno potestatem eligendi Pontificem, & Episcopos per singulas provincias investiendi. Causam prætereunt, quæ hæc est. quod cum Ecclesia à Longobardis extreme affligeretur, Carolus Magnus vocatus ab Hadriano cum exercitu in auxilium venerit, eamque capto Rege Desiderio liberarit. pro quo beneficio summus Pontifex denominationem Pontificis Imperatori obtulit. sed ex hac gratitudine in vnam personam collata non sequitur jus electionis continuum in quoscunque imperatores esse translatum. Sicut in facto constat, quod licet post Carolum

Solutio arg. 2.

16. Hadrianus Pont. quo modo electionem Carolo Magno concesserit?

17. Nominare non est eligere.

18. Imperator bene meritus proponit, non eligit.

rolum aliqui Imperatores ad electiones sumorum Pontificum suos Legatos miserint, tamen ad evitandas seditiones, & scandala sine legatis Pontifices electi sint, & sine interventione secularium securè eligantur.

Solutio arg. 3.

19. Electioni Papæ quomodo Cæsar adest.

Ad 3. argumentum respondetur, Imperatores nunquam propriè summos Pontifices elegisse, sed electionibus per suos interesse voluisse, & aliquando personas sibi gratas proposuisse, idque vt plurimum metu, & violenter, non jure extorsisse. Quod Galliæ reges per indulta sanctæ sedis in Episcopatus regni jus conferendi sibi tribuunt, hoc ad summos Pontifices non extendunt, & Deo ad rationes obligantur. multa in humanis ex necessitate, & malorum violenta potentia fiunt, quæ fieri non deberent.

20. Galli indulta.

Solutio arg. 4.

Ad 4. argumentum respondetur, negando electiones, tam summorum Pontificum, quàm Episcoporum esse contra leges sacras; quia jam ostendimus illas esse juris divini à Deo derivatas. Et licet Hadrianus Papa grato animo Imperatori pientissimo Ecclesiæ defensori Carolo honores electionis detulerit, non tamen eo ipso legem perpetuam fecit. Personalis fuit ille honor, ad immeritos, & Ecclesiæ hostes non extendendus.

21. Carolus non elegit, nominavit.

Solutio arg. 5.

Ad 5. argumentum respondetur, non esse judicandum ex facto, & abusu, qui sicut in plerisque actionibus humanis, ita in electionibus committi possunt, sed attendendas esse leges electionis, quæ sunt juris divini, vt Spiritus S. sit principalis director: & Clerici competentes sub pœna gravissima sine respectu dignissimum quemq; eligant. Si quando malitia humana sanctis legibus vim inferat, non ex hoc tolluntur jura, & leges, sed in delinquentes graviter advertunt. hoc tenor legum ita clarum facit, vt negari non possit.

22. Electionis leges.

Ad 6. argumentum reſpondetur eodem modo, quo ad præcedens: propter abuſum vetitum in Eccleſia non eſſe calumniandas legales electiones. Solutio arg. 6. 23. Abuſus.

Sed quamvis hac ratione ſatisfactum Politicis, & hęreticis videatur, quia tamen Idolum ſtatus nobis nundinationes, pacta ſecreta, dona, & promiſſa objicit, ex inſtituti noſtri obligatione ad detegendas ejus fraudes tenemur.

Docet autem hoc impietatis Idolum ſtatus per ſuos Politicos adminiſtros primò: Eligendos, hoc eſt, eos, qui eligi poſſunt ad ſupremas dignitates, non debere attendere modum, leges, jura, conſcientiam, vel capacitatem propriam, ſed hoc vnicè curare, vt ad imperium perveniant, cujus ſumma ratio ſit habenda in humanis. 24. Politicorum argum. 1. ad electiones evertendas, & conſilia malitiæ.

Secundò, docet ad hunc finem vti medijs quibuſcunque, & malis artibus, dolo, precibus, præmijs, donis, promiſſis, comminationibus, pactis ſecretis, & juramentis. quæ omnia, vbi ad imperium ventum eſt, à voluntate pendent regnantium. Argum. 2. 25. Idoli ſacra Electio.

Tertiò, docet, nihil tam ſanctum eſſe, quod regnandi cauſa non ſit violandum: nihil tam iniquum, quod non tentandum. Argum. 3. 26. Idoli horror.

Quartò, inſtruit jam electos, perpetuare ſtatum in cognatis, vel familia; hoc modo, ſi neminem in eligentium numerum admittant, qui non ſanctè promittat & juret in futuris electionibus votum ſuum in benefactoris ſui cognatos, vel denominatos conferre. Argum. 4. 27. Idoli artes.

Quintò docet electos, & promotos nunquam certum habere ſtatum, niſi conſcios artificiorum, & promotores perdant, & deleant. Argum. 5. 28. Idoli pietas.

Hæc ferè ſunt præcipua conſilia Idoli ſtatus, & ſecreta humanæ prudentiæ, quæ ſi ſecundum Deum ad rectam

rectam rationem revocentur, plena ſunt fraudibus. Quia
29. Conſilia Idoli ſtatus ſunt omnibus exitioſa. omnia iſta media, quæ ſubtili malitia ſuppeditant, in eligentium, electorum, & ipſius ſtatus manifeſtam tendunt ruinam. Eligentes enim ex pacto indignum, ex ſacris legibus ſciunt ſe vltorem habere Deum; nunquam in conſcientia ſecuri ſunt, aut quieti, ipſis etiam electis inviſi. Electi per malas artes de malo in graviora mala
NB. impelluntur, & dum temporalia curant, in manus Dei, qui aufert ſpiritum principum, incidunt, æterna amittunt. ſtatus verò nunquam ruinæ vicinior eſt, quàm cum contra Dei, & æquitatis leges acquiritur, & admini-
30. Studia diaboli per politicos evertere Eccleſiam Dei. ſtratur. atque hoc eſt vnicum ſtudium diaboli hoſtis generis humani, vt per Idolum ſtatus, ejuſque fraudulenta conſilia Eccleſiam Dei, ſtatum Eccleſiaſticum, & juſtos principatus evertat.

Cum ergo tam pernicioſa ſint conſilia Idoli ſtatus,
31. Electionum leges ſunt puræ. illa in ſacris electionibus locum invenire, vt hæretici, & Politici objiciunt, minimè credendum puto. ſi tamen ſimile quid humanitus contingat, in hoc conſolor, & ſe ipſam egregiè defendit Eccleſia Catholica, quod omnes nundinationes, pacta ſecreta, & immiſſiones per angelos malos in electionibus ſeveriſſimis legibus prohibeat.

Poſt detectas fraudes Politicorum, æquiſſimo jure argumenta ipſorum contra electiones Imperatorum, & regum convertere poſſumus, hoc modo. In legibus, in jure, in facto conſtat, ſummos Pontifices conſtituiſſe principes Electores cum poteſtate eligendi Imperato-
32. Papa eligit Imperatores. rem. ergo ſummi Pontifices habent jus eligendi Imperatores, & ſine illorum interventu electiones ſunt invalidæ. Si non arridet hæc conſequentia, diſcant abſtinere ab alienis, & ſuperioribus. Et ſi Politici dicant, illam poteſta-

potestatem Pontificiam contrarijs legibus esse abrogatam. Potiori ratione dicimus, electiones speciales Pontificum bene merito cuiquam Imperatori oblatas, aut violenter extortas, per contraria statuta annullatas esse. Sanius sentirent Politici, si quod vident longa observatione vim legis obtinere, intactas sine calumnijs Ecclesiasticorum electiones relinquerent, & suis perversis consilijs sacra penetralia, & Imperatorum aulas non inficerent. Frustrà miselli disputant de jure electionis nunquam eligendi. concordia Principum Christianorum cum summo Pontifice confundit omnes machinationes malignantium. dispereunt consilia impiorum.

33. Hæretici nec eligunt, nec eliguntur, in vanum disputant.

Pvnctvm V.

De summo Pontifice, Cardinalibus, Episcopis & Prælatis Ecclesiæ.

De dignitate, officio, & potestate summi Pontificis per Cardinales legitimè electi, malim humiliter insufficientiam agnoscendo silere, quàm parcè loqui. Ne tamen Principi meo Christiano deesse videar, cum de salutis æternæ directore, & summo capite reipubl. Christianæ agitur; Dicam breviter, quid sentire conveniat.

Primò, si dignitatem Pontificiam pia mente, & æquis oculis consideret, nihil illa in humanis dignius, nihil excelsius inveniet. Quia à Deo data est, & exornata. 2. D. Petro, ejusque successoribus commissa est pastoralis cura omnium ovium fidelium, errantium, regum, & subditorum. 3. D. Petro pastori ovium traditæ sunt ab

1. Pontificia dignitas qualis. Rationes dignitates.

2. D. Petri claves. ipso Christo D. N. claves regni cœlorum, cum potestate omnem humanam potentiam transcendente; vt quidquid ligaret, aut solveret in terris, hoc ligatum, & solutum in cœlis futurum esset. 4. quia Christus hanc dignitatem, quam ipse sacerdos in æternum assumpsit, & gessit, ita D. Petro, Apostolis, eorumque successoribus demandavit, vt sententia æterna pronunciarit. Qui vos audit, me audit, qui vos spernit, me spernit. & in judicio generali, quando omnes reges, & populi stabunt attoniti. Sedebitis & vos (Apostoli) judicantes duodecim
3. Apostoli Iudices Regum. tribus Israel, hoc est, vniversum mundum. 5. quia lege divina mandatur regibus in salutis negotio accipere in-
4. Reges tenentur audire Ecclesiam. terpretationem à sacerdotibus. 6. additur comminatio, quod qui Ecclesiam non audierit, vt Publicanus, & Ethnicus habendus sit. nec habiturus Deum Patrem, qui
5. Sacerdotis dignitas. Ecclesiam noluerit agnoscere matrem. 7. quia omnibus sine exceptione precipitur post peccati naufragium sacerdoti se ostendere, & humili confessione Deo con-
6. Pontificis officia. ciliari. 8. quia Spiritus sanctus posuit Pontifices regere Ecclesiam militantem, docere veritatem fidei, errores damnare, omnibus salutis viam ostendere, in confractione Deum inter, & homines stare, pacem vniversalem promovere, & reges mundi ad majorem Dei gloriam paterno zelo in concordia conservare. Quæ omnia cum humanam, quam admiramur in regibus majestatem non aliter, quàm sol quascunque stellas, cœlum, ipsam terram, anima corpus, & æterna hæc temporalia infinitis modis excedant, & divinis decretis confirmata
7. Pontifex quare defendendus. sint; summo jure concludere possum, quod omnes principes seculi, maximè Christiani, & omnes populi dignitatem Pontificiam agnoscere, venerari, filiali amore prosequi, & extento brachio defendere teneantur.

Grun-

Grunniat quantum ſatis hæreticus, & oblatret pro more Politicus. quod hæc eximia dignitas ſit Chriſti D. N. doctrinæ, & vitæ exemplo contraria, & per Rationem ſtatus regibus omninò intolerabilis, nihil tamen proficiunt, nihil evincunt. Quia quod Deus dedit æternùm ſancivit, infinita providentia defendit, & ad ſalutem humani generis inſtituit, hoc impurus calumniator hæreticus ſine fundamento fruſtrà impugnat. hoc ſuperbiæ Doctor Politicus non evertet. Diſcant vterque Chriſtianè ſapere, & per falſam rationem ſtatus æterna non amittere. Habet vniverſalis illa Paſtoralis cura eminentiſſimam in humanis connexam dignitatem, & tamen qui illam ſuſcipit, ſummus Pontifex omnem honorem mundi contemnens, ſervum ſervorum Dei ſe humilima voce profitetur. Illuſtrat dignitatem Chriſtiana humilitas, non obſcurat, vt ſtultè ſapit Politicus.

8. Hæretici & politici fruſtrà Dei ordinationem impugnant.

9. Summus Pontifex dicit ſe ſervum ſervorum Dei.

Secundò, ſi officium ſummi Pontificis princeps Chriſtianus expendat, nullum gravius, nullum difficilius, nullum, cui reges & vniverſus orbis arctius obligentur, deprehendet. Quia poſt Deum in terris vniverſalem omnium animarum curam, & directionem ad æternam ſalutem ſuſtinet. ita, vt quantum fieri poteſt, omnes Ethnicos, & Paganos ad fidem convertere, & hæreticos ab errore reducere debeat. 2. quia ſummus Pontifex Eccleſiam Catholicam, quam gubernandam ſuſcipit, in fide, & religione, in vnione, ſine ſchiſmate, in ſanctis legibus, & moribus puram conſervare, ab injurijs defendere, ab erroribus, & hæreſi liberare tenetur. 3. quia paſtoralis cura requirit, vt ad Eccleſiæ adminiſtrationem digni Prælati in decenti ſubordinatione aſſumantur. 4. vt ſacri ordines, & beneficia non niſi digniſſimis conferantur. 5. vt omnis Clerus, & populus

10. Pontificiæ dignitatis onera.

11. Papa habet curam omnium.

NB.

in ſpiritualibus convenienti ordine gubernetur. 6. re-
12. Papa conciliat Reges. gum, & principum concordiam promovere, diſſidia avertere, & pacem totius reipubl. Chriſtianæ extremis viribus procurare obligatur; atque de his omnibus, &
13. Pontifici ſummo quantum debeant Chriſtiani. ſingulis Deo ad ſtrictiſſimas rationes tenetur. vnde omnes Eccleſiæ ſubditi, reges, & populi facilè intelligunt, quàm filialem obſervantiam, & affectum, quantamque obedientiam, & venerationem ſanctiſſimo huic officio debeant. mihi Chriſtianus non videtur, qui pro tanta cura injurius eſt, & calumniator. Addo, quod Pontificia dignitas, officij gravitas, & conferentis Chriſti D. N. reſpectus tantum apud me prævaleat, vt nullo modo
14. Idolum Eccleſiam non poteſt lædere. credam Idolum ſtatus vel in electione, vel ipſa adminiſtratione ſanctiſſimi officij locum invenire; vel ſi in ſancta hæc penetret, perſonas inficere, eaſque citò conſumere; officium verò ipſum non violare, imò ne quidem ſuo veneno attingere.

15. Cautio de poteſtate Pontificis. De poteſtate ſummi Pontificis ſupra paucis egimus; & quia à Deo eſt, ſancta eſt, vtiliſſima, & ad ſalutem omnium neceſſaria, omnes reges, principes, & verè Chriſtianos per Deum humiliter obteſtor, vt illam totis viribus defendant, & filiali affectu venerentur: calumniatores verò, & invidos ſeverè perſequantur.

Non extendo diſcurſum vlterius, quia cum in perſona, in dignitate, in officio, & ſumma poteſtate Pontificia ſit divina electio, inſtitutio, promiſſio, & plenitudo gratiæ ad omnium virtutum perfectiſſimum gradum, propria ſanctitate ſubſiſtit, Idoli ſtatus venena ſanctis legibus ſponte, & longe repellit. hoc, vt ad majorem Dei gloriam, & Eccleſiæ incrementum glorioſè faciat, & continuet, humilimè imprecor.

16. Cardinalium officium. De Cardinalium dignitate, & officio in Eccleſia abundè

undè loquuntur Concilia. sunt enim summi Pontificis primi Consiliarij, assessores, & electores, ac in gubernanda Ecclesia cardines, in quibus illius ostia versentur, & sustineantur. Quod ex forma juramenti, quo per Concilium Basileense obligantur, satis apertum est. Forma hæc est. Ego N. assumptus in sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalem, ab hac hora in anteà ero fidelis B. Petro, vniversalique, & Romanæ Ecclesiæ, ac summo Pontifici, ejusq; successoribus canonicè intrantibus; laborabo fideliter pro defensione fidei Catholicæ, extirpationeq; hæresum, & errorum, ac schismatum; reformatione morum, ac pace in populo Christiano. In alienationibus rerum, & bonorum Ecclesiæ Romanæ, aut aliarum Ecclesiarum, & beneficiorum quorumcunque non consentiam, nisi in casibus à Jure permissis; & pro alienatis ab Ecclesia Romana recuperandis pro posse operam dabo. Non consulam quicquam summo Pontifici, nec subscribam me, nisi secundum Deum, & conscientiã meam. Quæ mihi per sedem Apostolicam commissa fuerint, fideliter exequar. Cultum divinum in Ecclesia tituli mei, & ejus bona conservabo. sic me Deus adjuvet.

17. Forma juramenti Cardinalium, quando assumuntur.

18. Cardinalium obligatio.

Assumuntur ad hanc tam eximiam dignitatem, & officium ex vniverso corpore Ecclesiæ omnium nationum viri pietate, doctrinà, moribus, modestià, prudentià, & in omni virtutum genere præstantissimi, qui sicut assistendo, & consulendo Ecclesiam vniversalem gubernant, & summum Pontificem secundum Canones eligunt; ita ipsi eligi possunt, & eliguntur. atque hinc Concilium Lateranense sanctè statuit. cum sanctæ Ecclesiæ Romanæ Cardinales cæteros omnes in ipsa Ecclesia post summum Pontificem honore, ac dignitate præcedant, conveniens, ac debitum esse, vt vitæ munditia, ac virtu-

19. Cardinales quales assumendi.

20. Cardinalium obligationes.

tum ſplendore cunctis præfulgeant: ſobriè, caſtè, ac piè vivant, ab omni ſpecie mali abſtineant. peregrinorum cauſas ſuſcipiant, nationes protegant, juſtitiam ſine labe promoveant, & in purpura pro Eccleſia ſanguinem effundere parati ſint.

De poteſtate, numero, qualitate, & conditione Cardinalium legant curioſi ſacra Concilia, & Doctores Eccleſiæ.

Sufficiunt, fateor, vero Chriſtiano ſanctam Conciliorum ſtatuta vt quàm optimè de Eccleſiæ Cardinalibus ſentiat. Verùm quia hæretici, & Politici, vt ſupradictum eſt, calumniando nundinationes, ambitiones, & corruptelas objiciunt, hæc duo conſideranda propono.

21. Cardinales digni aſſumendi.

Primum, ſi ſummus Pontifex (quod ne cogitare licet) per falſam Rationem ſtatus ab Idolo ſeductus indignos, in Cardinales promoveret, quantam Deo, Eccleſiæ, & officio injuriam inferret; quantis periculis vniverſam Eccleſiam, & propriam animam objiceret. Alterum eſt.

22. Cardinales dignum pontificem eligunt.

ſi Cardinales per eandem rationem ſtatus ſummum Pontificem ſcienter indignum eligerent, quàm inexcuſabiles coram Deo futuri eſſent. Quod ſi vtrique

23. Idoli fraudes in Cardinales.

malis artibus ſecundum calumniatores ad ſummas illas dignitates pervenirent, ſuperbè dominarentur, pacem, & concordiam Chriſtianæ reipubl. negligerent, & ſuis paſſionibus indulgerent, quid Deo juſto Judici, qui claves regni ſui, & oves proprio ſanguine redemptas illorum fidei commiſit, reſponderent? Quod cum ſimpliciter conſidero, iterum dico, non credo Idolum ſtatus in hæc ſacroſancta officia penetrare, vel altas radices agere, aut vnquam prævalere. Sanctiſſimum eſt in terris ſummi Pontificis officium, optimos habet, & ſapientiſſimos Conſiliarios Cardinales, ſolius Dei gloriam quærit,

quærit, cum ſalute fidelium omne Idolum rejicit. ergo, & noſtrum Idolum ſtatus, peſtem humani generis, hæreſin orbis maximam deteſtatur, & à ſacris conſilijs profligat. 24. Pontificia dignitas damnat Idola, ergo & noſtrũ.

De Patriarchis, qui Patres principum Eccleſiæ ab initio conſtituti, imò à ſancto Petro nominati ſunt, nihil dicendum videtur; quia injuria temporum creſcente malitia hominum illorum ſedes ab Eccleſia defecerunt, & officium cum dignitate in Cardinales translatum eſt. Quod ſi per concordiam Principum Chriſtianorũ Hieroſolomitani, Alexandrini, Antiocheni, Conſtantinopolitani Patriarchatus Eccleſiæ Dei reſtituantur, non deerit Spiritus S. gratia, vt omnia convenienti ordine renoventur, & componantur. 25. Patriarchæ.

Primatum Eccleſiæ dignitas aliquando Patriarchis conjuncta, ſæpius ſeparata fuit, ideo maximè inſtituta, vt Archiepiſcoporum cauſæ ad Primates minori incommodo deferri poſſent. Hodie præter nomen vix aliud Primates obtinent. Archiepiſcopi enim ſummum Pontificem reſpiciunt, & alium ſuperiorem difficulter agnoſcunt. 26. Primates Eccleſiæ.

Proxima Patriarcharum, & Primatum in Eccleſia dignitas eſt Archiepiſcoporum, ſeu Metropolitanorum, qui ſicut Patriarchæ ſub ſua juriſdictione multos Archiepiſcopos, ita hi aliquot Epiſcopos ſibi ſuffraganeos habent, de quorum cauſis legitimè cognoſcunt, & decernunt. 27. Archiepiſcopi.

Vt verò quilibet Archiepiſcopus propriam, & ſuorum Epiſcoporum Eccleſias in ſanctitate religionis, legum obſervantia & debita obedientia facilius gubernet, Statuit Concilium Aurelianenſe, vt nihil magnum ſine conſilio Epiſcoporum agat. ſingulis annis cum ſuis com- 28. Archiepiſcopus cognoſcit de Epiſcopis. 29. Synodus ſingulis Annis.

provin-

provincialibus Episcopis celebret synodum, ad quam omnes Episcopi suæ ditionis venire teneantur. In synodo 8. general. damnatur Archiepiscopus, qui opus domini negligenter faciens, omnia ministeria & divina officia Episcopis, vel suffraganeis suis demandat. Tenetur etiam Archiepiscopus, Ecclesias sibi commissas visitare, de moribus inquirere, & secundum leges omnia dissoluta emendare.

30. Archiepiscopi officium.

31. Visitationes sunt obligationis.

Quæ alia sint hujus dignitatis munia, privilegia, jura, in concilijs, & sacris legibus passim definita sunt.

32. Episcoporum officia.

Episcopi sequuntur immediatè Archiepiscopos. atque horum dignitas in Ecclesia est eximia. officium verò, vt in Ecclesia sibi concredita Clerus, ministri, populus ad Dei gloriam in rebus fidei, sanctis moribus quàm diligentissimè gubernentur, informentur, summà curà ad salutem æternam dirigantur. Ad hoc munus facilitandum, vbi multitudo necessitat, suffraganei, & choriepiscopi assumuntur. quibus singulis subordinata competit jurisdictio, & authoritas. prout de illis sanctæ leges disponunt.

33. Præpositi.

Sub Episcopis primi sunt Ecclesiarum Præpositi, qui quantam curam tam in spiritualibus, quàm temporalibus suscipiant, ex forma juramenti, quo summam fidelitatem Ecclesiæ promittunt, tum etiam ex sacris legibus satis intelligunt.

34. Decanus.

35. Decani obligatio.

Secundum locum inter Prælatos Ecclesiarum Cathedralium tenet Decanus, cujus officium optimè describit concilium Coloniense. vt in Ecclesia sua semper resideat, vitæ exemplo, & morum integritate præcedat. Clerum in officio contineat, negligentes hortetur, errantes fraternè corrigat, inobedientes juxta Canones puniat.

Sunt,

Sunt, & alij Prælati Ecclesiæ, qui Scholastici, Cantores, Custodes, & Archipresbyteri vocantur, quibus singula officia cum solenni juramento committuntur. 36. Scholasticus, Cantor, Custos.

Constituunt insuper in Metropolitanis, & Cathedralibus Ecclesijs Canonici pro approbata consuetudine Capitula, quæ collegialem vt plurimum habent potestatem Electionis, & consilij. 37. Capitula.

Non aliter in religiosorum familijs præsunt gratissima concordia Generales, Rectores, Abbates, Priores, Guardiani. & monialibus suus ordo in Prælaturis certis legibus definitus est. 38. Abbates, Rectores, Priores.

Descripsi brevissimè ordinem Hierarchicum Ecclesiæ, vt confirmentur veri Christiani, quando Deum in æterno sacerdotio præsidere, Spiritum S. dona sua distribuere, veritatem docere, vnitatem conservare, per electos Ecclesiam regere; A capite in subordinata membra pulcerrimo ordine potestatem, & officia, tanquam lumen de lumine derivari; Omnia verò ad Dei gloriam, & salutem fidelium, directa cognoscunt. Invito etiam hæreticos, vt ex concordia, ordine, & continuata jurisdictione Ecclesiæ Catholicæ discant in illa Spiritus S. gratiam principaliter assistere, & cuncta decenti modo disponere; in suis autem Ecclesijs omnia deformiter confundi, dum aut caput, & superiores non admittunt, aut primatum in reges, & Principes sæculi transferunt, vel omnes pares (æque sordi) esse contendunt. 39. Ordo Ecclesiæ hæreticos invitat. 40. Hæreticorum confusio.

PVNCTVM VI.
De capitulis Canonicorum, & religiosorum.

CApitula constituuntur ex cujusq; Ecclesiæ, vel religionis senioribus Canonicis, vel religiosis, referuntque sacrum Ecclesiæ suæ senatum. & qui completa
1. Capitulares qui dicantur. ætate, & ordine in hanc dignitatem admittuntur, Capitulares vocantur, habentq; jus eligendi Archiepiscopos, Episcopos, vel Prælatos, & ipsi eligi possunt.

Qualis verò Capituli sit authoritas, jurisdictio, ob-
2. Capituli qualitates. ligatio, & exemptio, hoc sacri Canones, & Concilia sanctè decernunt. illa legat, qui pleniorem informationem desiderat. mihi de ratione instituti hoc solum incumbit, vt si Idolum status, in hæc sacra Capitula, seu consilia aliquid intentet, aut præsumat, id Christiano Candore patefaciam.

Audiamus ergo quid in sacra consilia Idolum nostrum suo more latenter moliatur, quasve Ecclesiæ Dei struat insidias.

3. Idoli fraudes in capitulis. Argum. 1. Primò, superbiæ ventos inspirat Capitularibus, vt sese per statuta privata à jurisdictione ordinarij eximant.

Argum. 2. Secundò, libertatem propinat, suadetque eligen-
4. Capituli libertas. dos per pacta constringere, vt liberam Capitulis rerum administrationem permittant, & à gravi censura morum, & visitationibus abstineant.

Argum. 3. Tertiò, gratas opes proponit, & cupiditates accen-
5. Idolum tentat capitula divitijs. dit, vt quæ in defunctorum superiorum ærario, seu Camera inveniuntur, in Capitulares ante novam electionem distribuantur.

Quartò, docet hoc Idolum mille artificia, fraudes, Argum. 4.
conſpirationes, & nundinationes in electionibus vſurpare, vt Capitulares vel ipſi eligantur, vel alios vtiliter cum evidenti promotione eligant. 6. Idoli fraudes in electione.

Prætereo alias adinventiones Idoli, & has quatuor manifeſtiores fraudes, ad examen, & quæſtiones revoco.

Quæſtio prima. An ſtatuta Capitulorum privatæ exemptionis valida ſint?

Affirmant Idoli Status miniſtri Politici, illa ſtatuta valere. 7. Pro ſtatutis Capituli. Primò, quia per pacta præcedentia vim legis obtinent. Argum. 1. Secundò, quia juramentis confirmantur. Argum. 2. Tertiò, quia poſtulat Ratio Status, vt Capitulares Electores à juriſdictione electi eximantur. Argum. 3.

Doctores Eccleſiæ diſtinguunt ſtatuta; vt illa, quæ 8. Diſtinctio ſtatutorum. contra leges divinas, ſacros Canones, Concilia, jus commune, & bonos mores à particularibus facta ſint, omninò rejicienda cenſeant. Quæ verò ad majorem Dei gloriam, Eccleſiæ incrementum, morum diſciplinam, & pietatis augmentum tendant, vt laudabilia probanda ſint, tum integrè valitura, cum Ordinarij confirmatione roborata fuerint. Quod autem Statuta Capitularium ad exemptionem directa, ſint contra legem divinam, & 9. Statuta exemptionis ſunt jure prohibita. Canones, ex eo clariſſimè patet, quod ex mandato Dei, omnis anima ſubdita ſit poteſtati legitimæ. quod Spiritus S. poſuit Epiſcopos regere Eccleſiam. Quod ipſi Capitulares Epiſcopum in caput, ſuperiorem, & rectorem eligunt. quod electo jurant obedientiam. quod omnia 10. Capitulares ſunt ſub Epiſcopo. Concilia, omnes Canones Epiſcopis regendi, & corrigendi Clerum poteſtatem tribuunt, ſine exceptione clero parendi neceſſitatem imponunt. Ergo quando Capitulares per ſtatuta privata exemptionem à juriſdi-

ctione Ordinarij sui prætendunt, contra legem Dei, sacros Canones, & vota juramento confirmata gravissimè peccant. Si dicant ex consilio Idoli Status, se Summum

11. Effugia Idoli. Resolutio.

Pontificem pro Capite venerari, illique obedire. Respondetur ex fundamento veræ Rationis Status, quod qui Dei mandata, & propria vota negligunt, immediato suo superiori, & præsenti non obediunt, non præsumantur absenti multum obsequij deferre velle. Res patet ex facto. Si enim summo Pontifici, ut profitentur, verè obediant, etiam ordinario suo obedire tenentur. quia

12. Capitularium gravis error.

hanc obedientiam Summus Pontifex imponit omni Clero. aut ergo parent ordinarijs, aut etiam ipsum Summum Pontificem rejiciunt.

13. Cautio ad omnes Capitulares de Idoli fraudibus.

Hic, oro, observent omnes boni, quomodo Idolum Status, ut per superbiam Ecclesiam destruat. primò sub specie pacti Episcopo; deinde Summo Pontifici, & demum ipsi Deo obedientiam denegare doceat. Considerent etiam Capitulares, qui statutis exemptionem quærunt, in quem statum se exemptione illa conjiciant. Sine capite, sine Deo, sine lege, propriæ voluntati expositi proximi sunt ruinæ, etiam æternæ.

14. Solutio arg. 1. de statutis.

15. Capitularium statuta quando valeant.

Ex his facilis est resolutio argumentorum Idoli. & quidem ad primum respondetur. Statuta Capitulares eximentia, & pacta præcedentia apud veros Christianos nunquàm valere, aut vim legis obtinere. quia, ut dictum est, Deo, & sanctis legibus contraria sunt.

Solutio arg. 2.

Ad 2. dicit Ecclesia, quod juramentum non debeat esse vinculum iniquitatis.

Solutio arg. 3.

16. Capitula Deo obligantur.

Ad 3. respondetur, non esse attendendum quid superbiæ spiritus per falsam Rationem Status inspiret, sed quid Deus, quid vota, quid leges, quid recta ratio requirant.

rant. Christianum est obedire præpositis. Laudanda sunt statuta, quæ ad gloriam Dei diriguntur.

Secunda quæstio. An Capitulares Canonici, vel religiosi de jure, & salva conscientia possint per pacta ante electionem composita sese in libertatem asserere, & visitationes superiorum suorum avertere? Acclamat plenis vocibus Idolum Status, Primarium Clerum, hoc est, Capitulares jus eligendi habentes, debere esse liberos. Secundò, esse contra decorum, vt nobilis, Baro, Comes, Dux, vel Regis filius Canonicus, subsit vel paris, vel etiam inferioris conditionis Episcopo! Tertiò, injuriam magnam inferri Clero Primario, si ab Episcopo visitetur, & corrigatur. Quia consulendo, & administrando conregnare, & cum Episcopo subditos Ecclesiæ visitare debet. Quartò, pacta voluntariè inita obligare electum ad observantiam, & sufficere ad libertatem tuendam. Quintò, libertatem Capitularium ipsi Ecclesiæ, & Episcopis ornamento esse, authoritatemq; apud inferiores conciliare.

17. Visitatio Ecclesiæ.

18. Idoli argum. 1. contra visitationes.

Argum. 2.

Argum. 3.

Argum. 4.

Sed his non attentis, dicendum est ex sententia totius Ecclesiæ Catholicæ. quod sicut statuta privata, ita etiam pacta quæcunque Capitularium invalida sint, & damnanda, quando legi divinæ, & Christianis moribus vim inferunt, ac Juri communi derogant. hoc autem apertis velis faciunt pacta prætensæ libertatis. ergo illicita sunt.

19. Sententia Ecclesiæ de pactis privatis.

Ego syncerè fateor, ægrè credo viros nobiles, doctos, pios, Christianos tam impiam libertatem ambire. Errones verò libertinos ab Idolo Status seductos rogo, considerent per ipsam rationem Status absurditatem pactorum libertatem asserentium. primò, quod omninò privantia sint eligere superiorem, Episcopum, Abba-

20. Capituli libertas indigna.

21. Episcopum esse & non posse visitare implicat.

tem, & denegare illi debitam obedientiam; prohibere per pacta ne exerceat ſuum officium, atque ſi dicerent; eligimus Epiſcopum,& non Epiſcopum (regem, & non regem,vel ſervum) quo nihil abſurdius. Secundò,quod
22. Rationes pro Epiſcopi viſitatione. ipſum Idolum Status, nihil ita præciſè requirat in ſtatu, quàm ſubditorum obedientiam. cum ergo Capitularibus libertatem ſuadet, ſibi contrarium eſt, & dolo malo plenum. Tertiò, conſiderent Capitulares libertini, ſi
23. Epiſcopi tenentur Deo. fortè ipſi eligantur, an vellent eſſe Epiſcopi ſine poteſtate. quid Deo de commiſſis ovibus reſpondere poſſit, qui paſtoralem curam per pacta deponit, vitia non corrigit.
24. Epiſcopus perjurus. Quartò attendant ad juramenta Epiſcopi. qui jurat Deo Eccleſiam regere, Clerum, & populum docere, mores viſitare,& corrigere. quod ſi per pacta libertatis, imò jurare teneatur ſe non viſitaturum. an non in alterutro neceſſariò perjurus erit talis Epiſcopus? an votum Deo factum negliget,vt pactum Capitulare conſervet? Quintò, intentè etiam hoc conſiderent, quod
25. Non eſt vera libertas extra Deum. dum per falſam rationem ſtatus indebitam libertatem aucupantur, ſervi fiant peccati, & Diaboli. Si veram libertatem quærunt, in Deo & pura conſcientia illam invenient.

Solutio arg. 1. Ad argumenta Idoli breviter reſpondetur. ad pri-
26. Capituli libertas qualis. mum.Capitulares & Electores debere eſſe liberos in electione ſecundum ſacras leges facienda, non à juſto imperio. quia implicat, eligere, habere ſuperiorem,& eſſe liberum ab ejus juriſdictione.

Solutio arg. 2. Ad 2. reſpondetur ſapientiam Idoli matrem eſſe
27. Idolum docet ſuperbiam. ſuperbiæ. aliud autem habere regulam Chriſtianorum, quæ piè ſtatuit, quò quiſque ſit altior, eò debeat eſſe humilior. quod melius ſit omnibus ſubeſſe,quam vni præeſſe.

esse. quod humiles exaltentur, superbi de sede depo-
nantur.

Ad 3. respondetur, nullam fieri injuriam Clero Pri- Solutio arg. 3.
mario, quando visitationes Episcopi admittit, sed Deo, 28. Capitulares subsunt Episcopis.
& justitiæ vim inferri, cum visitari superbè recusat, & li-
bertatem ad flagitia prætendit. Neque obstat, quod
Consiliarij sint Capitulares, & conregnantes. quia eò
majori humilitate legitimæ subjectionis inferioribus
debent prælucere, & ita sub capite in pijs moribus ab-
undare, vt cum alios visitare jubentur, ipsi reprobi non
inveniantur. Si D. Paulo parum erat à quocunque ho- 29. D. Paulo parum erat judicari.
mine judicari, qualis fiet injuria Canonico, si ab Episco-
po visitetur, judicetur.

Ad 4. respondetur, vt supra de statutis. Solutio arg. 4.

Ad 5. respondetur, libertatem Capitularium legi- Solutio arg. 5.
timam esse ornamento Ecclesiæ; non autem illam Idoli 30. Libertas decens.
Status superbiam, quæ Dei, & superiorum docet excu-
tere imperium, & licentiæ peccandi securitatem quærit.

Quæstio tertia. An justa sint pacta Capitulorum,
per quæ defunctorum Episcoporum relictæ opes, hoc
est, paratæ pecuniæ in ipsos Capitulares distribuuntur?

Justissima pronunciat talia pacta Idolum Status. 31. Idoli argum. 1. pro divisione bonorum Episcopi.
primò, quia defuncto Episcopo Capitulares sunt Domi-
ni, & Gubernatores Ecclesiæ. ergo pro cura, & labore
meritò participare possunt de bonis, & fructibus. 2. quia Argum. 2.
continuata, & per Episcopos confirmata consuetudo
vim legis inducit. 3. quia per talia pacta bona Ecclesiæ Argum. 3.
non alienantur, sed in ipsa membra licitè distribuuntur.
ergo justa sunt.

Audiamus Ecclesiam, quid illa de suis bonis decer- 32. Sacrilegium est bona Ecclesiæ in privatos vsus convertere.
nat, & aperta erit quæstionis resolutio. Sacrilegium
committunt, qui bona Ecclesiæ Deo, & publicæ necessi-

tati

rati dicata, violenter, aut dolosè rapiunt, & in privatos
33. Capitulariũ pacta injusta. vsus convertunt. Sed Capitulares per pacta distributionis bona Ecclesiæ in privatos vsus convertunt. ergo sacrilegij pœnas incurrunt. & per consequens pacta eorum hoc concedentia injusta sunt. Major est juris divini, & humani. Minor probatur. quia cum relictas opes Dei, Ecclesiæ, & pauperum propria authoritate, & iniqua consuetudine suas faciunt, & inde singuli ditescunt, verè in privatos vsus illas convertunt. si durus est avaris hic sermo. considerent quid juris in aliena, & quidem Ecclesiæ suæ bona habeant; quo titulo dividant non sua, in quem finem illa accipiant. Quomodo Ecclesiam sede vacante regere, & protegere dici possint,
34. Cautio ad capitulares de bonis Ecclesiæ. qui illam bonis spoliant; quantam futuro Episcopo, & subditis difficultatem faciant. Considerent denique quod elegerint suis beneficijs, seu præbendis contenti esse; de quibus sicut nihil sibi detrahi volunt, ita de Episcopi, & Ecclesiæ bonis, nihil vsurpare debeant.

Non progredior vlterius, quia non est generalis illa
NB. distributionis consuetudo. Pauca Capitula per hæc illicita pacta suæ avaritiæ consulunt. atque hæc in Domino moneo, vt Ecclesiæ decisionem audiant, & sic transeant per temporalia, ne amittant æterna.

Solutio arg. 1. Idoli. Ad argumentum primum Idoli respondetur. Capitulares sede vacante esse Dominos, & Gubernatores Ecclesiæ, vt illam defendant, non vt defraudent, & bonis exuant. Pro cura verò, & labore, jam designata esse beneficia, suasque leges habere justam Ecclesiæ administrationem.

Solutio arg. 2. Ad 2. respondetur consuetudinem contra bonos
35. Consuetudo mala. mores, & sacras leges, nulla continuatione vim legis obtinere, neque ab vllo Episcopo de jure confirmari posse.

Ad

Ad 3. negatur, bona illa, ſeu pecunias per diſtributionem non alienari ab Ecclesia. quia ſubtrahuntur publicæ neceſſitati, & ſine conſenſu convertuntur in vſus ſingulorum Capitularium. quod cum in Rep. fit, peculatus actio gravis inſtituitur. Solutio arg.

Quæſtio quarta de electionibus Capitulorum.eandem accipit reſolutionem, quam ſupra de electione Summi Pontificis indicavimus. Proditor eſt Eccleſiæ omnis votorum nundinator. Spiritui S. facit injuriam, qui per factiones transfert Epiſcopatum in indignum. Privantur jure electionis per ſacros Canones, qui non ſecundum Deum, & leges ſuos eligunt Epiſcopos. Deus verò de manibus eorum requiret oves ſuas per dona, per malas artes lupis traditas. Quæ peccata ſi Capitulares decenter conſiderent, non facilè in electionibus leges ſacras, & juramenta excedent. Infelix valdè eſt negotiatio, quæ alium elevando, authorem ſuum cum infamia æternùm deprimit, & affligit. 36. Electiones Capitularium. 37. Proditor eſt Eccleſiæ omnis votorum nundinator.

Ex his clariſſimè patet, quo modo Idolum Status opera Capitularium per ſuperbiam, peccandi gratam licentiam, avaritiam, & illicitas electiones, Eccleſiam Dei fraudulenter impugnat, per latera transfodit, & certiſſimum ei intentat exitium. Fugiant ergo viri generoſi, nobiles, egregij hanc fœdam beſtiam falſam Rationem Status. militent Chriſto D. N. ſtrenuè & fideliter, qui nomen illi, & Eccleſiæ dederunt. non in dolo, non in humana prudentia ſtat victoria, ſed qui legitimè certaverit, æternùm coronabitur. 38. Idoli fraudes per electiones in Eccleſiam.

PVNCTVM VII.

De Collatione beneficiorum Ecclesiasticorum.

1. De beneficijs conferendis.

QVia in conferendis Ecclesiæ beneficijs, dignitatibus, & officijs Idolum Status supra modum prævalet, & quasi de generali consuetudine primas tenet, ex instituto, & promissis obligatum me sentio, vt ejus artificia, & dolos detegam, & in veritate sacrarum legum confundam.

Vt hoc clarius fiat, distinguam diversitatem beneficiorum, ac dignitatum; deinde gradus conferentium beneficia; & tertiò personas impetrantes, & acceptantes beneficia.

2. Dignitates Ecclesiasticæ quales sint.

Dignitates Ecclesiasticæ sunt illæ, quas supra in ordine hierarchico Ecclesiæ breviter retulimus; Pontificia, Cardinalatus, Patriarchatus, Primatus, Archiepiscopatus, Episcopatus, Præpositura, Abbatia, Decanatus, & aliæ minores pro necessitate Ecclesiæ constitutæ dignitates.

3. Beneficia quæ sint.

Beneficia sunt Canonicatus, personatus, Vicariatus, Parochiarum administratio, Sacristarum, Custodum, & aliorum Ecclesiæ ministeriorum.

4. Dignitates & beneficia quomodo conferantur.

Hæ dignitates, & beneficia acquiruntur per Electiones, vel conferuntur à superioribus, etiam à Regibus, Principibus, nobilibus, & alijs secularibus jus conferendi, præsentandi, aut Patronatus habentibus, aut sibi vsurpantibus.

5. Personæ acceptantes beneficia quales.

Et personæ impetrantes, & acceptantes dignitates, & beneficia, sunt Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi, Canonici, Religiosi, Capitulares, Clerici, Seculares, Principes,

cipes, nobiles, ingenui, honesti, docti, digni, indigni, viri, juvenes, pueri.

De singulis videamus, quid in illis agat, aut conetur Idolum Status, ut Ecclesia ab ejus veneno, & insidijs, eò felicius liberetur, quò illas intentius considerat, & cognoscit.

Et primò quidem quid Idolum Status, per suos administros hæreticos, & Politicos in Pontificiam dignitatem moliatur, aut electionem Clero, & Cardinalibus denegando, aut eandem in Seculares transferendo, vel ipsum Summum Pontificem mendaci calumnia in Antichristum transformando, & Regibus Primatum Ecclesiæ tribuendo: in superioribus punctis breviter ostendimus. ideoque ad inferiores gradus, in quibus major est difficultas, & periculum transitum faciemus. De Patriarcharum, & Primatum dignitate nihil movemus, quia reipsa in Cardinales translata est. 6. Idoli fraudes in Papam.

Cardinalium dignitati mille modis insidiatur Idolum Status, cum alios ambitione honoris, & spe Pontificiæ dignitatis ad illicita media seducit, alios ad hypocrisin incitat, alios per Reges & Principes promovet, alios ad factiones, seu conspirationes informat. maximè verò laborat, electiones Cardinalium activas, & passivas arcanis fraudibus vitiosas reddere, ut indigni in numerum Cardinalium assumantur, & illi pluralitate votorum minus dignum Summum Pontificem suæ factioni faventem eligere possint. ad hoc vehementer stimulare solet Reges seculi, ut per Rationem Status, rebus suis consulant, factiones Cardinalium foveant, augeant, & pensionibus in suas partes attrahant. Sed omnibus his, & alijs dolosis machinationibus Idoli precludit aditum, impedit effectum, qui portas inferi non prævalituras promi- 7. Idolum quomodo impugnet Cardinalium dignitatem. 8. Cardinalium munimenta.

promiſit Chriſtus D. N. defendit ſacrum Senatum ſuum Spiritus S. Concilia, & Sacri Canones directionem ſanctam præſcribunt, vitia, & dolos graviſſimè puniunt. & ſi aliquando Ratio Status ſchiſma, aut alias diſſenſionis flammas excitat, ſummà vigilantià Sacri Senatus in ipſo cinere extinguuntur. Quid in Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Præpoſitorum, Abbatum, & aliorum Eccle-

9. Idoli fraudes in electiones Epiſcoporũ.

ſiæ Prælatorum, dignitate Idolum noſtrum moliatur, in eo maximè apparet, quod vbi tales dignitates per Capitularium electiones obtinentur (vti in Germania laudabili conſuetudine receptum eſt) per infinitos dolos ipſas electiones, & confirmationes, vitiare conatur. Vbi verò à Summo Pontifice conferuntur, miris artibus, & fictis laudum commendationibus malè informare, & fraudulenter obtinere doceat. Et vbi à regibus, aut alijs ſecularibus præfatæ dignitates conferuntur, quod ex integro dominetur Idolum, vt per Rationem Status faciat illas in benemeritos Regum fautores, adulatores etiam indigniſſimos transferre.

10. Leges confundunt Idolum.

Sed has Idoli fraudes glorioſè ſacræ leges evertunt, quando electionum puritatem ſub graviſſimis pœnis præcipiunt. Cum à Summo Pontifice malis artibus impetrantes inhabiles pronunciant; & cum à regibus indultorum rationes, & conditiones ſub gravi onere conſcientiæ requirunt.

11. Idoli ad vitiandas dignitates Eccleſiæ arg 1.

Verùm non acquieſcit ſanctis legibus Idolum! quia Ratio Status non admittit legem ſuperiorem, adeoque

Argum. 2. ex hoc 2. fundamento ſuadet Regibus, vt abſoluti maneant regnorum ſuorum Domini.

Argum. 3. 3. Summo Pontifici, parum, aut nihil deferant.

Argum. 4. 4. dignitates Eccleſiaſticas, & beneficia liberè ſuis conferant.

Argum. 5. 5. de indultis antiquis nihil ſibi detrahi patiantur.

Argum. 6. 6. occaſiones tam

inſignes

insignes sine proprijs impensis acquirendi fideles ministros, & amicos non amittant. Neque in vanum laborat hoc pestilens Idolum, quia videmus reges, & principes qui ex hac falsa Ratione Status propria authoritate 12. Regum abusus in Ecclesia.
Primatum Ecclesiæ sibi attribuunt, de religione, quod volunt, statuunt, mutant, transformant; de bonis Ecclesiæ, quod libet vsurpant; quod non arridet, in ministros, & amicos distribuunt. & vtinam hoc soli faciant hæretici. Sunt alij, etiam Catholici Reges, & Principes, 13. Principes vsurpant spiritualia.
qui per Rationem Status, ne superiorem, aut secundum in suo statu, habere videantur, Ordinarijs, Episcopis nullam, aut valdè exiguam jurisdictionem concedunt; de causis Ecclesiæ, & Cleri judicare præsumunt; dignitates, & beneficia absolutè conferunt. Sunt alij, qui ex eodem fundamento tam arroganter Archiepiscopatus, 14. Politicæ artes.
Episcopatus, Abbatias, in suis regnis sine vlla dependentia, respectu, aut consensu Summi Pontificis per modum remunerationis, aut obligationis, in proceres, aulicos, seculares, & heroum pueros distribuunt, vt confirmationem sibi denegari nolint; & si hæc potestas in dubium vocetur, ab Ecclesia deficere velle videantur. Sunt denique Reges, Principes, & nobiles, qui per Rationem Status jure conferendi beneficia eò vsque abutuntur, vt Catholicæ Ecclesiæ hæreticos dissolutos, indignosq; obtrudant, illosque armata manu violenter manuteneant, & defendant.

Cum ergo Idolum Status Reges, & Principes suis 15. Cautio ad Reges in conferendis beneficijs.
arcanis consilijs tam potenter seducat, vt manus ad spiritualia extendant; Dei mandata contemnant; bona Ecclesiæ diripiant, pro velle distribuant; beneficia quibuscunque liberè conferant, & sic ex defensoribus Ecclesiæ persecutores, hostesq; fiant. humillimè invito omnes,

 Reges,

Reges, & Principes, Christianos, eorumq; Consiliarios, & ministros, quam prætendunt & exercent potestatem conferendi dignitates, & beneficia ad vera principia rectæ Rationis, & justitiæ revocent, & à fraudibus Idoli quàm diligentissimè caveant.

Vt hoc felicius assequantur, considerent Reges, & Principes, quod Status Ecclesiasticus à Deo sit separatus à seculari. 2. quod Spiritus S. Episcopos, non Reges, posuit regere Ecclesiam Dei. 3. quod dignitates Ecclesiasticæ, & beneficia omni jure dependent à Summo Pontifice. 4. quod leges divinæ, Concilia, Sacri Canones, imò ipsæ leges civiles prohibent, ne laici de personis, aut rebus Ecclesiæ judicare aut disponere præsumant. 5. quod dignitates, & beneficia sint propria Dei, & Ecclesiæ, non regum, & principum. 6. quod qui dignitates, & beneficia indignis conferunt, summam injuriam Deo faciunt, Ecclesiam Dei hostibus ad ruinam exponunt, oves pretioso sanguine Christi Domini nostri redemptas lupis tradunt, & se suosque Clientes æternæ damnationis periculis onerant. quod nemo salva conscientia à laico sacra beneficia accipere possit. Considerent etiam vnde habeant istam conferendi beneficia potestatem, & invenient vtique illam à Summo Pontifice ob benemerita, & insignem pietatem, quibusdam regibus per indulta valde limitata esse concessam. Si autem Reges excedant leges indultorum, dignitates, & beneficia indignis conferant, & sic Ecclesiam Dei destruant, quod tunc omnis ratio indultorum, & privilegiorum cesset, & omnis collatio vitiosa, nulla sit, & tam danti, quam accipienti perniciosa.

16. Rationes quare seculares non debeant vsurpare spiritualia.

17. Beneficia nemo à laico debet accipere.

18. Indultorum origo.

19. Cautio ad omnes seculares in Collatione beneficiorum.

Monendi ergo sunt omnes, Ecclesiastici, & seculares, Reges, & Principes, vt in conferendis dignitatibus, & bene-

& beneficijs principia suæ potestatis, & finem beneficiorum juxta Sacra Concilia examinent; ne hæreditatem Dei, & bona Ecclesiæ in munera, in lenocinia pervertant; ne aliena, & sacra injustè vsurpent; ne panem 20. Panis filiorum. filiorum Dei canibus objiciant. Legant Sacros Canones, audiant Ecclesiam, consulant confessarios Theologos, & quod sanctum, justum, ad Dei majorem gloriam conveniens judicatum fuerit, hoc statuant, hoc tribuant, hoc eligant.

Ne verò Reges, & Principes ab Idolo suo vlterius seducantur, ad fraudes & argumenta ejus breviter respondebo.

Ad primum quod Ratio Status non admittit legem Solutio arg. Idoli. superiorem. Respondeo, hoc axioma esse impium, ve- 21. Ratio status non agnoscit legem. ris Christianis indignum. quia per hoc Dei providentia, justitia, lex, ordo rerum, & conservatio contemnitur, & humana inanis prudentia infinitæ divinæ sapientiæ præfertur, quo nihil Christiano indignius excogitari posset. Secundò, quia non est major impietas, imò stul- 22. Ratio status supra Deum. titia, quàm Rationem Status supra Deum, & divinas leges extollere, cum experientia certum facit, quod Deus regna quibus vult concedit, & transfert; regibus quando vult spiritum aufert: & è contra Ratio Status nec Reges, 23. Idoli Confusio. nec regna conservare possit. falsum ergo est Idoli axioma, & per consequens falsa producit fundamenta, quibus regibus absoluta rerum dominia promittit, vt in secundo argumento persuadere conatur.

Ideoque ad hoc 2. argumentum respondeo, vt su- Solutio arg. 2. pra, solum Deum habere justum, & absolutum in omnia 24. Reges teneatur legibus. creata imperium. Reges verò in esse, & conservari à Deo dependere, ad rationes obligari, divinis, & justitiæ legibus teneri. hoc nullus Christianus negat.

Solutio arg. 3. Ad 3. argumentum, quo docet Reges parum, aut nihil summo Pontifici, in regnis suis deferre, Respondetur. 25. Reges quomodo sub Ecclesia. quod hæc doctrina æqualem fundamento suo spirat impietatem. quia Christus D. N. Summum Pontificem constituit Pastorem omnium ovium (etiam Regum, & Principum) quem audire debeant. Si spernant, à Deo spernendi sint. Idolum verò Status negat Summo Pontifici obedientiam legitimam. ergo suo more contra Deum, ejusque leges impietatem docet, & meritò fugiendum est.

Solutio arg. 4. 26. Indultorum Ratio. Ad 4. argum. respondetur, quod quando Reges, & Principes, aut alij seculares, dignitates, & beneficia Ecclesiastica conferunt, primò gloriam Dei, & Ecclesiæ emolumentum respicere. Secundò, conditiones, causas, & finem privilegiorum, seu indultorum sibi à Summo Pontifice concessorum strictissimè observare. & tertiò non nisi secundum sacros Canones dignissimis personis conferre debeant. Quando verò ex mente Idoli beneficia liberè, cum absoluto imperio in quoscunque pro velle distribuunt, quod tunc Deo, & Ecclesiæ ad rationes teneantur, & salutis æternæ subeant pericula.

Solutio arg. 5. Ad 5. de indultis respondetur, Privilegia, & indulta à Summis Pontificibus ad effectum conservandi beneficia concessa, sive antiqua sint, sive nova, semper habere easdem causas moventes, & finem, vt nimirum tendant, & impendantur ad majorem Dei gloriam, & Ecclesiæ incrementum. quæ si Seculares observent, valent. 27. Ratio Indultorum, & finis. Si negligant, nulla sunt. Deinde notandum, quod antiqua privilegia benemeritis regibus data non valeant successoribus, nisi æquali, aut etiam majori affectu Ecclesiam Dei protegant. 28. Reges filij Ecclesiæ. Sicut enim de privilegijs gaudere cupiunt, ita etiam Ecclesiæ defensores, & pij filij

eſſe debent. Vnde vehementer errant, qui indulta ſan-
ctis, & pijſſimis Regibus, aut Principibus delata, non
alio, quam jure ſucceſſionis ſibi vſurpant, & quaſi vio-
lenter continuari volunt, etiamſi ipſi nec hæredes virtu-
tum ſint, nec de Eccleſia benè mereantur, imò illam
multis modis defraudent, & impugnent.

Ad 6. argumentum reſpondetur, etiam hanc do- Solutio arg. 6.
ctrinam eſſe impiam, & injuſtam. quia docet reges bona 29. Collatio beneficiorum requirit finé Eccleſiæ.
Eccleſiæ in ſua dona convertere, & ex alienis bonis fide-
les miniſtros acquirere. Cum bona Eccleſiæ ad Dei
gloriam, & divina officia non ad Regum vtilitatem, &
munificentiam oſtentandam deſtinata ſint.

Ex his ſpero, ſatis apertè intelligitur, quàm falſis
fundamentis nitatur Idolum Status, cum Reges in rui-
nam Eccleſiam inſtruit. & quàm ſanctis legibus armata
ſit Eccleſia, vt ſeſe ſub pijs Regibus contra falſam Ratio-
nem Status defendat. Vnum addere placet ex Conci- 30. Cautio ad Reges ex Concil. Trident. in collatione.
lio Tridentino, quod mortale peccatum committat, qui
minus dignum ad Epiſcopatum nominat, aut promo-
vet. vnde colligere poſſunt Reges, & Principes, quid ſibi
immineat, quando juxta præcepta Idoli indignis, & for-
tè omninò, diſcolis dignitates conferunt.

Nunc de perſonis, quæ impetrant, & accipiunt di-
gnitates, & beneficia Eccleſiaſtica breviter videamus.

Omnibus, & ſingulis, magnis, & parvis, qui ad di- 31. Perſonæ beneficia impetrantes.
gnitates, & beneficia Eccleſiaſtica aſpirant, præſcribunt
Sacra Concilia, & Canones ſtrictiſſimas leges, quas ſub
pœna privationis, vel reſtitutionis, vel peccati mortalis,
aut etiam excommunicationis, & æternæ damnationis
obſervare tenentur. Primò ſtatuunt, vt omnes purè 32. Beneficiorum finis.
intendant gloriam Dei, ſervire Deo, & Eccleſiæ; & au-
gere numerum fidelium. Secundò, vt dignitates nemo

ambiat, aut per vitiosas electiones procuret, aut per
Principum commendationes extorqueat; aut per dona,
& illicita pacta præveniat. Tertiò, vt omnis Episcopus
33. Episcopus debet vocari, & oves pascere. ad exemplum S. Pauli Apostoli, sit servus Christi, vocatus, & segregatus in Evangelium. Quartò, vt omnes
Episcopi in Ecclesijs sibi commissis resideant, oves suas
verbo Dei pascant, & officia debita alijs non committant. Quintò, vt dignitates Ecclesiasticas nemo à Secu-
34. Beneficia acceptantis qualitas. laribus accipiat. Sextò, vt beneficia impetrantes, juxta
Canones justam ætatem, decentes qualitates, ante omnia pietatem, modestiam vitæ, & doctrinam habeant.
35. Beneficium datur ob officium. Septimò, vt fidem Catholicam profiteantur, ordines sacros pro Statu suscipiant, & propter beneficia officij obligationibus satisfaciant. Octavò, vt omnes species Simoniæ devitent, nec animo iterum resignandi beneficia
acceptent.

Sunt & aliæ leges, & pia statuta Ecclesiæ, quæ si seriò considerarent, qui dignitates, & beneficia quærunt, non tam leviter, & ambitiosè in hæreditatem Christi involarent, nec Idoli Status consilia legibus divinis, & sacris Concilijs præferrent.

Ne verò deinceps hoc Idolum sacris legibus vim inferat impetrantium animos occupet, & seducat; aperiam breviter ejus artificia, & fraudes, easque ad rectæ rationis judicium revocabo.

Primò, docet Idolum per Rationem Status, nihil
36. Idoli pro beneficijs captandis arg. 1. esse tam sanctum, quod regnandi causa non sit violan-
Argum. 2. dum. 2. instruit prætendentes ne vllis sumptibus, do-
37. Idoli impietas in beneficijs. nis, promissis, aut precibus parcant, vt ad Pontificatum,
Argum. 3. Cardinalatum, vel Episcopatum perveniant. 3. persuadet de modo acquirendi facilem esse dispensatio-
Argum. 4. nem, quando dignitates actu possidentur. 4. docet non

esse curandum de obligationibus dignitatum, quia per alios administrari possint. 5. dicit dignitates Ecclesiasticas à regibus vt munera donari, & non nisi à stultis, recusari. 6. vult Ecclesiam à majoribus abundè esse dotatam, vt nobiles familiæ conserventur, & alantur; & ideò illos liberum ad dignitates accessum habere. Et quia his falsis Rationibus Status Idolum nostrum deplorandam stragem edit in Ecclesia, & plurimos pervertit, ad easdem respondeo.

Argum. 5.

Argum. 6.

38. Idoli finis in beneficijs.

Ad primam dico, hanc Idoli doctrinam, vt alias demonstratum est, etiam in republ. ab ipsis Ethnicis non probari, à Christianis vt impiam rejici, ab Ecclesia dominari. Deinde errat in principijs Rationis Status. Quia præsupponit in dignitatibus Ecclesiæ regnum, cum illæ ordinatæ sint, vt Deo, & Ecclesiæ serviant, non vt dominentur. malè ergo docet sacrosancta violare, vt regnent, qui servituti, & divinis officijs destinati sunt.

Solutio arg. 1.

39. Regnandi causa an jura violanda?

Ad 2. respondeo, hanc Idoli mercaturam suis negotiatoribus esse prorsus exitiosam. quia illos ipso facto, inhabiles, & infames reddit; per sacras leges à dignitatibus repellit; & in conscientia judicij reos facit. Vnde rectè infertur. ergo Ratio Status sibi contraria docet. perdere, non verè acquirere dignitates. Cum sola legitima electio, & vocatio securos Ecclesiæ Prælatos faciat.

Solutio arg. 2.

40. Beneficiorum mercatura damnanda.

Ad 3. respondetur. Idolum vehementer errare, quando præsupponit eos, qui per suas fraudes ad dignitates perveniunt, illas cum securitate possidere, & vitia per possessionem purgari posse. quia sicut malæ fidei possessores de jure rejiciuntur, ita qui in Christi D. N. ovile per vias iniquitatis intrant, fures, & latrones, non Episcopi vocantur. neque facilè absolvuntur à peccatis, qui de misericordia Dei vanè præsumunt, vitiosè ac-

Solutio arg. 3.

41. Beneficia malè acquisita, malè possidentur.

42. Ovile Christi rectè intrandum.

cepta non reſtituunt, & peccata novis peccatis accumulant. non exaudit Deus peccatores, in malo perſeverantes; non ſalvabit Ratio Status, quos Deus condemnat, & Eccleſia.

Solutio arg. 4
43. Epiſcopi in Perſonis obligantur.

Ad 4. reſpondetur, Idolum ſeipſum impietatis arguere, & confundere, cum docet Prælatos Eccleſiæ obligationes ſuas non curare, & alijs committere. quia hoc ipſo illos ad perjuria inſtruit. jurant enim ſe velle Deo, & Eccleſiæ fideliter ſervire, oves paſcere, pauperes prædicando evangelizare. quod tum omninò perjuri, negligunt, cum Idoli Status conſilia ſequuntur; nunquam impunè violantur juſta juramenta. nec ſtabit in judicio adminiſtrator pro committente. non excuſabit Vicarij diligentia abſentis Epiſcopi, Abbatis, vel Canonici negligentiam.

44. Epiſcopi juramentum.

45. Adminiſtrator non ſtat pro Epiſcopo.

Solutio arg. 5.
46. Beneficia, hæreditas Chriſti

Ad 5. reſpondetur dignitates, & beneficia non eſſe munera Regum, ſed hæreditatem Chriſti. quæ ſi non legitimè ad Dei gloriam diſtribuatur, graviſſimè dantes, & accipientes onerat.

Solutio arg. 6.
47. Beneficia non ſunt nobiliũ propria.

Ad 6. reſpondetur, falſam eſſe hanc perſuaſionem Idoli, quia bona Eccleſiæ non ſunt patrimonia nobilium. neque ad illum finem à pijs majoribus liberaliter dotata eſt Eccleſia, vt nobiles familiæ conſerventur, & alantur; ſed vt ad majorem Dei gloriam augeatur numerus, & pietas fidelium. quod ſicut omnes fundationes teſtantur, ita nobiles cum alijs de beneficijs Eccleſiæ ſecurè gaudebunt, quando ſecundum diplomata, conceſſiones, & obligationes graduum officijs divinis ſatisfacient. quia propter officium datur beneficium.

48. Beneficia dantur ob officia.

Oſtendi nunc præcipuas leges ſacras, quas dantes, & impetrantes beneficia Eccleſiaſtica obſervare tenentur; patefeci etiam Idoli Status gratas fraudes. quæ via

potius ſit ſequenda ad judicium cujuſque remitto, qui ſalutem æternam ſibi propoſitam habet.

PVNCTVM VIII.

De pluralitate beneficiorum Eccleſiaſticorum.

QVæſtio eſt, An liceat plures dignitates, aut beneficia ſimul habere? Qui partem affirmantem defendunt, hæc argumenta afferunt. Primò, quod non ſit præceptum divinum, vnicum habere beneficium, aut dignitatem in Eccleſia. Secundò, quod pluralitas beneficiorum ſolo jure poſitivo prohibita ſit, & ideo à Summo Pontifice concedi poſſit. Tertiò, quod ex generali conſuetudine Eccleſiæ rari ſint, qui vna dignitate, vel beneficio contenti, plura non deſiderent, procurent, vel actu poſſideant. Quartò, quod neceſſitas Eccleſiæ aliquando requirat, vt potentior plures dignitates acceptet, Eccleſiam contra hoſtes defendat, ab injuria paupertatis redimat, & in integrum reſtituat. Quintò, quod quando dignitates, & beneficia non ſunt ſufficientia ad dignam ſuſtentationem, tunc de neceſſitate plura peti, & acceptari poſſint. Sextò, quod benemeritis de Eccleſia debeantur plura beneficia, vt boni ſpe præmij ad virtutes ſtimulentur. Septimò, quod eximiè doctis plura beneficia conferri poſſint, imò debeant, vt cum gratitudine labores pro Eccleſia compenſentur, & multi ad ſtudia excitentur.

1. Beneficiorum pluralitas. Argum. 1. Argum. 2. Argum. 3. Argum. 4. 2. Beneficiorum pluralitas. Argum. 5. Argum. 6. Argum. 7.

Quibus autem hæc argumenta ſaniora ad tuendam pluralitatem dignitatum, & beneficiorum deficiunt, illi ad Idolum Status confugiunt, & has rationes proferunt.

3. Idoli pro pluralitate beneficiorum rationes. Ratio 2.

Prima, quod superior dignitas per inferiores, v. g. Cardinalatus per Episcopatus, & Abbatias juvari debeat, vt in statu suo cum splendore conservetur. Secunda, quod superiores administrationem minorum dignitatum dignis personis committere, & sic de damno Ecclesiæ cavere possint. (Ratio 3.) Tertia, quod per Rationem Status nobilibus debeantur plura beneficia, vt secundum dignitatem Status sui commodius vivant, familias illustriores reddant, & in alios liberales esse queant.

4. Rationes contra pluralitatem beneficiorum.

5. Lex sancta prohibet pluralitatem.

Pro parte negativa, quod non liceat plures dignitates, vel beneficia habere, stat sancta lex Ecclesiæ, quæ per Concilia, & sacros Canones statuit. ne quis plures dignitates, vel beneficia accipiat. ne quis duos titulos, aut duas præbendas in diversis civitatibus habeat; vt qui plura beneficia curam animarum habentia suscipit, ipso jure primis privandus sit.

6. Sententia Concilii Tridentini de beneficiis.

Equidem Concilium Tridentinum, vt antiqua prætermittam, sic definit. Nemo quacunq; etiam dignitate, gradu, aut præeminentia præfulgens, plures Metropolitanas, aut Cathedrales Ecclesias in titulum, sive commendam, aut alio quovis nomine, contra sacrorum Canonum instituta, recipere, & simul retinere præsumat. Cum valdè felix sit ille censendus, cui vnam Ecclesiam benè, ac fructuosè, & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. qui autem plures Ecclesias detinent, solam vltimam habeant, reliquis priventur. Atque hoc tam strictè vult observari, vt ne Cardinales quidem excipiat; nisi à Summo Pontifice de necessitate congruè illis provideatur.

7. Fundamenta sanctæ legis de beneficijs.

Hæc sancta lex Ecclesiæ prohibitiva, videtur in eo fundari, quod omnis in dignitate Ecclesiastica constitutus, sive Archiepiscopus, sive Episcopus, sive Abbas sit, jura-

juramento obligatur reſidere in Eccleſia ſibi commiſſa, & in perſona omnia illa officia fideliter obire, quæ dignitatis ratio requirit. Deinde, quod Dei benignitate ita cuilibet dignitati de reditibus proviſum eſt, vt ſuum Prælatum ſufficienter alere poſſit. Tertiò, quod impoſſibile, aut certè difficillimum ſit, vnum Paſtorem diverſis gregibus benè præeſſe. Quartò, quod Spiritus S. ſingulis Eccleſijs ſingulos Epiſcopos aſſignarit, & de cujuſq; manu rationem commiſſarum ovium exigat, mercenariam operam omninò improbet. Quintò, quod omnis dignitas, & beneficium datur, propter officium Deo, & Eccleſiæ perſolvendum; & ideò qui beneficium accipit, obligatur ad officium. qui autem plura beneficia habet, & vix vnius officij obligationi ſatisfacit in reliquis Deum privat ſuo honore, & animam onerat peccatis. Sextò, quod qui plures dignitates, aut beneficia poſſident, verè in cauſa ſint, vt minor ſit numerus Deo, & Eccleſiæ ſervientium, quem tamen augere tenentur. Septimò, quod humana fragilitas vix vni Eccleſiæ, vel vni officio ſufficiat; vnde qui plures dignitates, & beneficia deſiderant, aut ambiunt, quod manifeſtum ſuæ ſuperbiæ & avaritiæ præbeant argumentum. Habemus ergo in quæſt. propoſita legem certam fundatam in Spiritu S. obligantem conſcientias, ad hanc tenentur omnes, qui ſacræ militiæ nomen inſcribunt. vt à multis ſervetur, exopto.

8. Reſidentiæ obligatio.

9. Epiſcopi obligatio.

10. Beneficiorum pluralitas contraria Deo.

11. Superbia beneficiorum.

Verùm cum in parte affirmante pro multitudine beneficiorum ſolida ſint argumenta, ne contradictio prævaleat, & lex noſtra violentiam patiatur, conciliãda eſt partium diverſitas. quod ſperamus, commodè fiet, quando argumenta allegata ad ſenſum Eccleſiæ reducentur.

Solutio arg. 1. 12. Lex Dei non prohibet plura beneficia.

Ad primum argumentum concedimus, nullum ad vnitatem beneficiorum extare Dei expressum præceptum, sed neque ad pluralitatem id ipsum dari posse. Cum autem in lege Ecclesiæ de pluralitate beneficiorum vitanda implicitum sit Dei mandatum, non facilè violandam esse legem.

Solutio arg. 2. 13. Pontificis beneficia.

Ad 2. argumentum respondetur cum debita humilitatis submissione, neminem verè Christianum Summo Pontifici potestatem vni plures dignitates, vel beneficia conferendi denegare, cum & vniversalis cura Ecclesiæ liberam dispositionem habeat, & necessitas aliquando à lege faciat recedere. Sed hic maximè esse illis attendendum, qui per falsa narrata Summi Pontificis potestate, & largitate, abutuntur. non liberantur à lege, qui malè impetrant, neque lex tollitur, quia legislator aliquando ex justis causis dispensat.

Solutio arg. 3.

Ad 3. respondetur, malas consuetudines non derogare legibus. neque curandum quid fiat, sed quare, & quid fieri debeat.

Solutio arg. 4

Ad 4. respondetur, Judicium necessitatis Ecclesiarum à Summo Pontifice dependere, sicut & collatio plurium dignitatum vel beneficiorum in vnam personam; non tamen per hoc abrogari legem Ecclesiæ, sed per illam vehementer onerari impetrantium conscientias, cum per non causas, vt causas legitimas pluralitatē obtinent, & quod ad majorem gloriam Dei, & Ecclesiæ augmentum sanctè promittunt, non satis fideliter complent. Non disputatur quid Summus Pontifex conferre

14. Cura vniversalis Ecclesiæ excusat de pluralitate.

possit, sed quare impetrans plura beneficia habere debeat, vt simul justus, & fidelis inveniatur. Multi arguunt Cardinales de multitudine dignitatum, qui si vniversalis Ecclesię curę onus sentirent, suam ambitionem, & ava-

& avaritiam ad illorum exemplum non extenderent. meritò gaudent, qui fidelissimè serviunt.

Ad 5. argumentum respondetur, hanc sufficientiam sustentationis non esse metiendam ex cujusque avari cupiditate, sed simpliciter Summo Pontifici aperiendam, & ejus judicio deferendam. Solutio arg. 5.

Ad 6. & 7. argumentum respondetur, Ecclesiam non debere esse ingratam, & ideò sine damno legis in benè meritos, & insigniter doctos viros plures dignitates, aut beneficia conferre posse. qui verò eadem accipiunt, merita sua lege conscientiæ humiliter æstimare debere. Solutio arg. 6. & 7.

Ex hac brevi argumentorum explicatione non difficulter conciliatur diversitas opinionum. cum affirmativa pluralitatis sine necessitate & justitia legem sacram non prætergrediatur; & lex vnitatis conditori suo ita dispensationem deferat, vt tamen ipsa constans in vigore permaneat. Non enim prima opinio est contraria secundæ seu legi, quia non simpliciter defendit, aut exigit pluralitatem beneficiorum, sed tantum dicit, Summum Pontificem posse vni plura beneficia conferre, quando hoc evidens Ecclesiæ necessitas vel vtilitas requirit. recedit ergo in casu necessitatis à lege sua Legislator, non autem abrogat legem. 15. Conciliantur opiniones.

Superest, vt ijs, qui pro pluralitate beneficiorum tuenda ad Idolum Status confugiunt, respondeamus.

Dicimus autem in genere, quod in Ecclesia Dei omnis Idololatria severissimè prohibita sit, & per consequens Idolum status nullo modo admittendum. 16. Idololatria prohibita.

In specie respondetur ad primam rationem Idoli. quod hoc judicium non à ratione status, sed à Summi Pontificis, necessitatem Ecclesiæ & personæ justè decer- Solutio 1. rationis Idoli de beneficijs.

18. Status non est finis beneficij.

nentis dispensatione dependeat. Non enim datur aut acceptatur dignitas, vel beneficium, vt personæ status conservetur, sed vt illa persona Deo, & Ecclesiæ melius servire possit. cum finis dignitatis, & beneficij sit officium divinum, non conservatio status.

Solutio rationis 2.

Ad 2. respondetur, quod sicut Cardinales, qui ad curam vniversalem Ecclesiæ advigilant, per moderationem Summi Pontificis in casibus necessitatis Episcopatus, vel Abbatias licitè acceptare possunt; ita omnes in Deum graviter peccant, qui dignitates per Rationem Status conjungunt, & Ecclesiarum, quarum titulum gerunt, curam in administratores deponunt.

Solutio rationis 3.

Ad 3. respondetur vt supra, beneficia simpliciter dari propter officia divina. quando autem multiplicantur, vt Nobiles statum suum illustrent, tunc à fine Ecclesiæ cum gravi peccato receditur.

19. Cautio ad omnes pluralitatem sectantes.

Qui hanc legem Ecclesiæ duriorem existimant, & omninò decentem Rationem Status in pluralitate beneficiorum habendam volunt, invitantur per amorem Christi D. N. vt abstracti à temporalibus considerent, primò: Ipsam rationem sui status: quis ille sit, quo fine susceptus, & quid officij requirat, & videbunt statum suum in Ecclesia Dei esse sanctum; segregatum à seculo, votis sacris obligatum, Deo & Ecclesiæ; qui alio fine non debet suscipi, quàm vt quilibet secundum gradus dignitatem, & beneficiorum ad majorem Dei gloriam, suam & proximorũ salutem in illo quam exactissimè operetur. Officia autem ex qualitate status diversa sunt. Summus Pontifex vniversalem curam habet omnium Ecclesiarum. Cardinales columnæ sunt, quorum consilijs Ecclesiæ omnes gubernantur. Episcopi servi Dei sunt, vocati, & segregati in Evangelium ad pascendas oves.

NB. 20. Status Ecclesiastici quis?

21. Officia singulorum in Ecclesia.

Abba-

Abbates vt Religiosis præsint. Canonici, vt canonicè vivant, & divina persolvant. parochi vt particularem curam Ecclesiæ sibi concreditæ gerant. Cum itaque Status Ecclesiasticus in se ipso sit sanctus, pro fine habens gloriam Dei, & ad officium Deo debitum strictissimè obligans, attendant saluti suæ, qui ex consilio Idoli no- 22. Idoli fraus in Ecclesiam.
stri per falsam rationem status dignitates, vel beneficia ambiunt, & malis artibus obtinent, vt principes fiant, vt illustrissimè vivant, & familias suas amplificent; non vt suscepti status sanctitati, fini, & officio satisfaciant. Objiciunt sanè statum suum per se sanctum periculis æternæ perditionis, qui Deo illudentes curam Ecclesiæ, & animarum in gloriam status convertunt. Considerent Consideratio 2.
secundò, qui plures dignitates, vel beneficia quærunt, quomodo vni satisfaciant; quas vires, quæ merita ad plura habeant; quare plura ambiant. invenient vtique multi in recto examine, quod sicut dignitati vel beneficio, quod actu habent, non ex voto satis respondent, ita ad plures dignitates, vel beneficia requisitis viribus, & meritis destituantur, & per solam rationem status ex va- 23. Conscientia Iudex.
na gloria, & avaritia in ambitionem pluralitatis transferantur. de quo præsentem semper quilibet habet judicem, propriam conscientiam.

Considerent tertiò, & quidem in specie, qui plures Consideratio 3.
Episcopatus, aut Canonicatus expetunt. An Episcopus sit actualiter in sua Ecclesia secundum Apostolum Paulum servus Dei vocatus, & segregatus in Evangelium. an 24. Episcopi finis.
prædicando pascat suas oves; an Clerum, & populum ritè ad salutem æternam dirigat. An Canonicus in Ecclesia sua resideat, divinis intersit, horas cantet, aut le- 25. Canonici obligatio.
gat. Et si Episcopus reflectendo deprehendat, se in Episcopatu, quem possidet, non tam servum Dei, quam illustrissi-

ſtriſſimum principem agere, ſecularibus negotijs, venationibus, ludis intendere; vel ſe non legitimè vocatum, ſed artificioſè promotum; nec ſegregatum, ſed immerſum ſeculo, vicarijs oves ſuas committere; ſine dubio hanc formabit conſequentiam, & feret ſententiam. ergo graviter erro, cum plures Eccleſias deſidero, qui nec vni quidem, vt debeo, præſum. ergo malè quæro, vnde gravius judicer. Sic Canonicus ſi videat, ſe in vna Metropolitana, aut Cathedrali Eccleſia non reſidere, raró divinis intereſſe, & horas perſolvere, facilè concludet; quod ſi plura beneficia obtineat, multò minus votis, juramentis, & officijs ſatisfacere poſſit.

Conſideratio 4. 26. Epiſcopus Deo reſpondebit. Quartò conſideret Epiſcopus ambitioſus, quid Deo in judicio reſpondere velit, quando quæret, an oves commiſſas evangelizaverit, & Eccleſiam ſuam diligenter adminiſtrarit? quare cum vni non debitè præfuerit, plures Eccleſias ambire & ſecum perdere voluerit? Verè 27. Idoli conſilia, non ſalvant Epiſcopum. in hoc judicio non ſufficiet allegare Rationem Status, quod Epiſcopus in propriæ Eccleſiæ negotijs gravioribus attenderit, curam ovium vicarijs commiſerit, quod alios Epiſcopatus, aut Abbatias expetiverit, vt ſtatus dignitatem melius conſervare poſſet. Quia replicabit juſtus Judex, quod graviſſimum Epiſcopi negotium ſit Dei gloria, & ſalus animarum, non mundi vanitas. quod 28. Oves boni paſtoris voces debent agnoſcere. quomodo agnoſcent, quas non audiverunt? ipſi Epiſcopo non Vicario ſint oves commiſſæ. quod ſi oves vocem paſtoris ſui nunquam audierunt, multò minus noverunt, & per conſequens, neglectæ aberrarunt, paſtor ille teneatur ad rationes, & à judice Deo non agnoſcetur. quod qui pluris æſtimat augmentum ſui ſtatus, vt ſuperbè dominetur, quàm Dei gloriam, Eccleſiæ curam & ſalutem animarum, quam ſuſcepit, non dignus ſit ad vnum Epiſcopatum, & à pluribus omninò

remo-

removendus. Ita planè Canonicus, qui plures habet Canonicatus, & in ſingulis Civitatibus ſecundum ſtatum ſuum vult alere familiam, per ipſam rationem ſtatus, quam per fraudes Idoli ſequitur, ſtatum ſuum in diſcrimen æternæ ſalutis conjicit, & difficulter in judicio reſpondebit. Si Epiſcopi & Canonici prædeceſſores vno Epiſcopatu, vel Canonicatu contenti ſanĉte, piè, & laudabiliter vixerunt: quare qui nunc in eadem functione, ſtatu & conditione ſunt, non poſſent idem præſtare? Si dicant, Rationem Status nunc aliam eſſe, & pretioſorem. audiant patienter, non alius, ſed idem eſt Deus, & non mutatur; idem eſt judex juſtus, non tempora, ſed opera dijudicans. idem eſt votum, officium, cura, obligatio præſentis Epiſcopi, & Canonici, quæ fuit aliorum, ante centum, & mille annos. & ſi ab illis per ſuperbiam vitæ, aut avaritiam recedant, non excuſabit Idolum Status, ſed gravius judicium provocabit.

29. Canonici ſtatus periclitatur.

30. Deus non mutatur.

His paucis conſiderationibus poſſunt ambitioſi addere diſpenſationis Pontificiæ cauſas, conditiones, & circumſtantias; nec cum pro Ratione Status, per falſa narrata multas dignitates, & beneficia impetrant, ſtatum æternæ ſalutis dubium, & difficilem reddant.

31. Diſpenſationis cauſæ.

Securior omninò eſt lex vnitatis, quàm ambitio pluralitatis.

PVNCTVM IX.

De Sacerdotio, & Sacrificio Missæ.

1. Idoli transformatio. QVia Idolum Status in Angelum lucis se transformans etiam ipsum sacerdotium, & sacrificium Christianorum intentatum non relinquit, & multos Sacerdotes inducit, vt per rationem status Sacerdotium suscipiant, & per hoc ad magnas dignitates sibi viam sternant: multos quoque Reges, & principes Christianos eò cæcitatis transfert, vt aut sibi primatum Sacerdotij assumant, aut illud ex integro sublatum velint: aut Sacerdotes non venerentur, & sacrificijs sacrosanctis ad simulandam pietatem intersint. proposui de dignitate, & officio sacerdotis, & de sacrificio Missæ, pro instituti mei ratione, brevem discursum formare, vt vani sacerdotes errorem agnoscant; reges verò, & omnes Christiani, præsertim Catholici videant, quantam reverentiam sacerdotio, & quàm syncerum cultum sacrificio Missæ debeant.

2. Sacerdotium, & missa.

3. Sacerdotii dignitas in lege naturæ. In historia sacra docetur, quod apud eos, qui secundum Deum vixerunt in lege naturæ tanta fuerit sacerdotij dignitas, vt soli primogeniti, & illustriores in familijs eo fungerentur, sacerdotes simul & reges essent. Sicut de Melchisedech constat, qui Sacerdos fuit Altissimi, & Rex in Salem. Job caput familiæ suæ sacerdos fuit, quotidie pro filijs suis immolans holocausta, & simul Rex omnia in suo statu justissimè gubernans. & sic consequenter vsque ad Moysen sacerdotij dignitas ab omnibus bonis in summo honore habita est. Quod

4. Melchisedech.

5. Iob sacerdos, & Rex.

præter

præter hiſtoriæ veritatem ipſi naturæ humanæ, quaſi
congenitum videtur, quæ ſicut occulto inſtinctu Deum 6. Natura docet ſacrificia.
eſſe cognoſcit & fatetur, ita ipſi Deo ſacrificia offerre, &
ſacrificantes honorare docuit. hinc ſtatim ab exordio
Mundi ſine expreſſa lege conditoris Cain, & Abel certa- 7. Abel. Cain.
tim Deo ſacrificia obtulerunt. quod eorum poſteri Noe,
& Abraham, alijque Patriarchæ, & ſancti vſque ad legem
ſcriptam glorioſè continuarunt.

Quanta ſacerdotij dignitas fuerit apud Gentiles, 8. Sacerdotij dignitas apud Gentiles.
qui deſtituti lumine fidei, & gratiæ in errorum tenebris
immerſi Deos falſos ſibi finxerunt. hoc ex illorum hi-
ſtoria ita manifeſtum eſt, vt Chriſtianos vehementer
confundat, qui veri Dei ſacerdotium deteſtantur, perſe-
quuntur. Plato non ignobilis Gentilis ſapiens cum in
peregrinatione didiciſſet Ægyptios nullum in regem 9. Aegyptij ſacerdotes.
eligere, qui non eſſet Sacerdos religione, & ſapientià 10. Plato.
præcellens, idem pro lege in ſua, quam formavit, republ.
ſervandum ſtatuit. Numa Romanorum Rex primus 11. Numa.
ſummam gloriam in aſſumpto ſacerdotio habuit, &
multi Imperatores ſacerdotes eſſe voluerunt. Perſæ
ſolis ſacerdotibus de graviſſimis rebus judicium detule-
runt. Abyſſini ipſam regiam poteſtatem in manus Sum-
mi Sacerdotis conſignarunt, vt quem ille pronunciaret, 12. Abyſſini.
ad regnum eveheretur. Ariſtoteles lumen humani in-
genij Sacerdotij dignitatem ita extollit, vt ejus munere 13. Ariſtoteles, Cicero.
rempubl. ſtabiliri, pace frui, & conſervari aſſerat. Ita
Cicero, & omnis gentilitas ſummos ſemper honores ſa-
cerdotibus tribuit. de qua re conſulant hiſtorias, qui
dubitant.

Quid Deus D. N. de ſacerdotij dignitate ſtatuerit, 14. Sacerdotij dignitas in lege Moyſis.
hoc in lege ſcripta multis præceptis decretum habemus.
In primis voluit Deus ſacerdotes ſuos ſpecialiter eligere,
à plebe

à plebe ſegregare, inter populum non numerari, veſte ſancta in gloriam, & decorem indui, ab oneribus liberari, ab omnibus in magna veneratione haberi, & ex totius Iſraelis decimis, & oblationibus largiter ſuſtentari, imò ſeipſum hæreditatem, ſacerdotum eſſe velle declarat. Cum Rempubl. ſuam inſtitueret infinitæ ſapientiæ
15. Reges ad ſacerdotes à Deo remiſſi. Legislator Deus, Ducibus, & Regibus Iſraelis præcepit, leges à ſacerdotibus accipere, & ab illorum ſententia in dubijs neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinare. qui autem ſuperbierit, nolens obedire ſacerdotis imperio, moritur homo ille.

16. Reges excluduntur à ſacerdotum officijs. Voluit inſuper tantæ Majeſtatis eſſe ſacerdotium, vt ſi quis extraneus intra velum ſanctuarij accederet, occideretur. Reges etiam à ſacerdotum munere ſeve-
17. Saul. riſſimè juſſit abſtinere. Vnde non profuit Sauli excuſatio, quod neceſſitate compulſus obtuliſſet ſacrificium, ſed Deum ſenſit ſacerdotij vindicem, qui regnum & vi-
18. Ozias Rex. tam illi abſtulit. Ita cum Regis Oziæ cor elevaretur, vt pro gloria majori incenſum adoleret, lepra percuſſus
19. Core, Dathan. eſt, & regnum filio ceſſit. ſic ob præſumptionem Core, Dathan & Abiron ſpectante vniverſo populo à terra abſorpti ſunt. & ne in notiſſimis longior ſim, hoc vnum generale Spiritus S. pronunciatum omnes ſine diſcri-
20. Audite Reges, & populi. mine obligans ſuperaddo. In tota anima tua time Dominum, & ſacerdotes illius ſanctifica, & honorifica.

Ex ſuperioribus licebit inferre. ſi tanta fuit in lege naturæ, & ſcripta ſacerdotij excellentia, vbi Deo tauri, arietes, & volatilia offerebantur, ergo ſine comparatio-
21. Sacerdotij dignitas in lege gratiæ. ne in infinitum major eſt dignitas Sacerdotij legis gratiæ, in quo Vnigenitus Dei filius Chriſtus D. N. æterno Patri in hoſtiam offertur. Et quia ad dignitatem Sacerdotij Chriſtianorum dignè prædicandam nulla ſufficere

poteſt

poteſt eloquentia, ego memor imperfectionis propriæ, Chriſti D. noſtri ſententiam & SS. Apoſtolorum alio- 22. Paulus quid in ſacerdote requirat. rumque Patrum doctrinam fideliter proferam. In primis vult S.Paulus ſacerdotem Dei aſſumi ex hominibus, & conſtitui pro hominibus, vt offerat dona, & ſacrificia pro peccatis. ex quo manifeſtè colligitur, quod ſacerdos ratione muneris ſui ſanctitate vitæ debeat excedere communem hominum ſtatum; ideoque ad Corinthios ſcribens dicit. nonne homines eſtis; vt ſecundum hominem ambulatis?

Secundò Sacerdotes in ſcriptura ſacra paſſim angeli vocantur, quia ſumma contentione Angelorum ſci- 23. Sacerdotes vocantur Angeli. entiam, puritatem, & caſtimoniam imitari debent. & quia ſicut Angeli, ita ſacerdotes ſunt Legati Dei ad homines pro æterna ſalute inſtruendos deputati.

Tertiò Sacerdotes ſæpiſſimè in ſacra hiſtoria Dij, & 24. Sacerdotes vocantur Dij, & filij Dei. filij Dei dicuntur, ob excellentem dignitatem, quà præ cæteris hominibus ab ipſo Deo donati præfulgent. Chriſtus verò D. N. apertè ſacerdotes Chriſtos ſuos appellat, cum dixit. Nolite tangere Chriſtos meos. neque 25. Sacerdos eſt Chriſtus Dominus noſter. hoc titulo contentus fuit, ſed cum Saulus ſacerdotes ſuos perſequeretur, illum ſic ab alto arguit. quid me per- 26. Qui vos tangit, me tangit. ſequeris? ſcilicet in ſacerdotibus, quos ego de mundo elegi in Miniſterium gloriæ, & ſalutis hominum. qui illos tangit, & ſpernit, me tangit, & ſpernit; quo nihil clarius & divinitati propinquius inveniri poteſt. Hinc pro certitudine tam divinæ dignitatis, tradidit Chriſtus Dominus noſter ſacerdotibus poteſtatem abſolvendi reges, & omnes homines à peccatis, cum non obſcurè, ſed diſertè affirmavit. Quorum remiſeritis peccata, re- 27. Sacerdotum poteſtas à Deo. miſſa erunt, & quorum retinueritis, retenta erunt. quæ ſanè poteſtas, nec Angelis, nec Archangelis conceſſa eſt,

ſed ſolus ſacerdos legitimè vocatus, & ordinatus pronunciat ſalutis humanæ ſententiam. ego te abſolvo, quod eſt, ego tibi remitto peccata tua.

28. Sacerdos habet poteſtatem conſecrandi, offerendi.

Quartò, habent ſoli ſacerdotes à Spiritu S. poteſtatem conſecrandi, & tractandi Corpus & Sanguinem JESU Chriſti, offerendi, ſumendi, & alijs miniſtrandi. quod omnia humana ſupereminens officium ſacerdotibus à Chriſto D.N. ſeriò commendatur, cum dicit. hoc quotieſcunq; feceritis, in mei memoriam facietis. mortem Domini annunciabitis. Et poſtquam Apoſtolos ſuos in ſacerdotes ordinaſſet, ſtatim rogavit æternum patrem, vt illos ſecum vniret, dicens. Pater ſancte, ſerva eos, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut & nos, & in nobis vnum ſint. Sanctifica illos, ſicut nos ſancti ſumus. Volo Pater, vt vbi ego ſum, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam. Quæ omnia infinitæ dignitatis certiſſimum ſunt argumentum, & ſicut omnem ſcientiam humanam cum incomprehenſibili admiratione tranſcendunt, ita ſola viva fide in illo, qui omnia, quæcunq; voluit, fecit in cœlo & in terra, in mari, & in omnibus abyſſis, à Chriſtianis veris percipiuntur.

29. Chriſtus eſt vnus cum ſacerdote.

30. Sacerdotes vocantur amici, & fratres Chriſti.

Quintò, pronunciantur Apoſtoli jam Sacerdotes creati amici Chriſti D.N. quibus omnia, quæ audivit à patre ſuo, nota fecit. Aſſumuntur etiam in fratres Domini. vt patet ex eo, quod Mariæ Magdalenæ poſt reſurrectionem mandavit. Vade dic Petro, & fratribus meis. Quid vlterius ad dignitatem ſacerdotum ſuperaddi poſſit, non videt humana fragilitas.

31. Sacerdotis officium.

Dignitatem excelſam ſequitur ſacerdotum officium, ſeu functio, quæ in eo maximè conſiſtit, quod Miniſtri Chriſti ſint, & diſpenſatores Myſteriorum Dei. Vt ergo & dignitati, & officio reſpondeant, audiant Sacerdotes

dotes

dotes Domini verba Concilij Tridentini, quæ sic habent. Moneant Episcopi suos Clericos, ut conversatione, sermone, scientia, Dei populo præeant, memores ejus, quod scriptum est. Sancti estote, quia & ego sanctus sum. & juxta Apostoli vocem nemini dent ullam offensionem, ut non vituperetur ministerium eorum: sed in omnibus exhibeant se sicut Dei ministros, ne illud Prophetæ dictum impleatur in eis. Sacerdotes Dei contaminant sancta, & reprobant legem. Nihil est, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assiduè instruat, quàm eorum vita, & exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt. Cum enim à rebus seculi in altiorem sublati locum conspiciuntur, in eos, tanquam in speculum, reliqui oculos conjiciunt, & ex ijs sumunt, quod imitentur.

32. Sacerdotes, Episcopi sunt sal terræ.

Christus D. N. sæpius repetit. ego vos (Sacerdotes) elegi mihi in gentem sanctam. vos estis lux mundi. vos estis sal terræ. Et S. Petrus. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, ut virtutes ejus annuncietis, qui vos de tenebris vocavit in admirabile lumen suum. S. Paulus monet. quod conversatio Sacerdotum debeat esse in cœlis, & nihil immundum inter illos vult nominari.

33. Sacerdotes gens sancta.

Ad specialia officij sacerdotum non descendo, neque de vitæ sanctitate, virtutum perfectione, & multiplici obligatione quidquam supra dictis adjicio. quia sicut à perfectioribus profunda humilitate semper doceri desidero, ita ad solos ab Idolo Status seductos sacerdotes discursum meum converto, atque illos in vinculo fraternæ charitatis syncerè oro, Considerent gradum sui status, cujus ministerium susceperint, quid voverint, quid tam eximia dignitas, & officium requirant. Considerent

34. Consideratio sacerdotis 1.

35. Consideratio 2. de sacerdotio. derent etiam, quid Deo D. N. qui illos in amicos, in fratres assumpsit, respondere velint, quando in judicio convincentur ingrati, quod divinum sacerdotium in Idolum Status, damnato ausu commutarint; hoc est, quod sacerdotium non in ministerium Christi, sed in argumentum sui status ambitiosè susceperint. Examinent,
36. Consideratio 3. de sacerdotio. dum tempus superest, conscientiam, quo fine Episcopatum, Canonicatum, aut Sacerdotium acceptarint. An gloriam Dei, & animarum salutem purè intenderint, & actu prædicando, docendo, ministrando promoverint; vel magis principatum, dignitatem, & propriam commoditatem quæsiverint. quia ratio status à stricto
37. Idolum non salvat. Dei judicio non absolvet. Maledictus ibi pronunciatur homo, qui opus Dei facit negligenter, quid fiet de
38. Sacerdotis peccatum omnium gravissimè punitur. illo, qui Idolum Status Deo præfert & adorat? nihil tam occultum, quod non revelabitur. neque vllum peccatum gravius punitur à Deo, quàm mali sacerdotis. In
39. Augustin. de sacerdotio. hunc sensum dicit D. Augustin. sicut nihil est in hac vita beatius sacerdotis dignitate, si eo modo militetur, quo Imperator noster Christus jubet; ita nihil est apud Deum tristius, miserabilius, & damnabilius, si perfunctoriè & adulatoriè res agatur. Adde, si ex sacrosanctis Dei Mysterijs Idolum status faciat. Qui ergo ex alto non volunt ad æterna supplicia præcipitari, deserant Idoli status consilia, & fideliter serviant Deo vivo, & vero, in cujus gloriam, & Ministerium sanctè jurarunt, & electi sunt.

40. Oratio ad reges, & populum pro sacerdotio. Non debeo hîc præterire reges, principes, & alios fideles Christianos, sed omnes in Domino humiliter rogo, vt quantum possunt, dignitatem sacerdotij venerentur, & ab injurijs defendant. ne, si suadente ratione status sacerdotes Dei malè persequantur, terribilem cum Saulo de cœlo vocem audiant. quid me persequimini?

mini? Amici, fratres, electi sunt mihi sacerdotes, quidquid illis feceritis, ego retribuam, ego vindicabo. Sanè sicut durum est contra hunc stimulum infinitæ potentiæ calcitrare; ita stultius in humanis nihil occurrit, quam ob inane idolum status in persecutione sacerdotum, & sacrificij medium salutis æternæ sibi præcludere. 41. Sacerdotes protegendi.

Transeamus nunc à dignitate sacerdotum ad ipsum, quod offerunt, sacrificium.

Quod sanctissimum novi Testamenti sacrificium ab ipso Christo D.N. in vltima Cœna sit institutum, omnes verè Christiani firmiter credunt. definitur autem ab Ecclesia Catholica, quod sit viva, & perfectissima repræsentatio omnium Mysteriorum totius vitæ, passionis, & mortis Jesu Christi. qua cum Deo Patre nihil gratius offerri posset, in sacrificium perpetuum ab immensa Dei bonitate ordinata est. Finis hujus sacrificij est, vt Deo Opt. Max. summus, & divinissimus honor, & imperium deferatur. 2. vt sanctissimæ Trinitati pro omnibus beneficijs hominibus concessis dignissimæ gratiarum actiones persolvantur. 3. vt hoc sacrificium sit propitiatio, & satisfactio pro peccatis nostris, & totius mundi. 4. vt per ipsum impetremus à Deo omnia bona, virtutes, gratiam, salutem; & liberemur à malis præteritis, præsentibus, & futuris. extendendo illud ex vera charitate, vt eodem modo prosit omnibus, amicis & inimicis, vivis, & fidelibus defunctis. Pro tam excelso fine quia nulla creatura sufficere potuit, invenit infinita sapientia medium, vt in hoc sacrificio Christus vnigenitus Dei filius esset ipsum oblatum, & principalis offerens, Sacerdos verò Minister, per quem Deus operaretur. Et quia per hoc incruentum sacrificium Christus Dominus

42. Sacrificium missæ quale.

43. Finis sacrificij Missæ.

44. Christus offerens, & oblatio.

noster cum omnibus meritis vitæ, passionis, & mortis suæ Deo Patri offertur, non licet dubitare, quin illud ipsum æterno Patri super omnia sit gratissimum, & quod omnium sanctorum merita, orationes, laudes in cœlis, aut in terra hoc adæquare non possint. hic sisto.

Neque de hæreticorum objectionibus laboro, quia illorum malitiæ plusquam abundè Ecclesiæ Doctores
45. Calvinistæ nullum habent sacrificium.
responderunt. Vnum tantum horrore magis, quàm admiratione dignum videtur. quod Calvinistæ omnium Gentilium, & infidelium feritatem, & impietatem superant, cum Deo, quem profitentur, nullum sacrificium deferri volunt. Diabolo autem, quia in humanis nihil ita strenuè odit, & persequitur, sicut Missæ sacrificium, gratum illud persequendo præstant officium.

Hoc sanctissimum sacrificium (de cujus veritate,
46. Sacrificium Missæ solis sacerdotibus commissum.
merito, & necessitate nullus verus Christianus dubitat) commissum esse solis sacerdotibus, agnoscunt omnes Christi fideles, & apertè declarat forma Sacramenti Ordinis, quæ sic habet. Accipite potestatem offerendi sacrificium pro vivis & defunctis. Attendant ergo vani Sacerdotes, qui hoc sacrificium negligunt; nunquam,
47. Vox Christi ad negligentes sacerdotes.
aut rarò offerunt; & si offerunt, augmentum Status intendunt, ne aliquando audiant justum judicem inclamantem. ego te elegi in sacerdotem ad sacrificandum mihi hostiam laudis; tu Idolo status te ipsum immolasti. Tu mihi fidele ministerium vovisti, jurasti; & idolo status perjurus servijsti. Ego te constitui medium inter
48. Idolum seducit sacerdotes.
me, & populum, vt offerres pro peccatis tuis, & totius mundi, pro vivis, & defunctis; tu verò existimasti esse contra rationem status, si concredita tibi frequentares sacrificia. homo cum in honore esset, non intellexit. Noluit intelligere, vt benè ageret. Ecce qui nutriebantur

tur in croceis, amplexati sunt stercora. Sacerdos, & Propheta nesciunt præ ebrietate, absorpti sunt à vino (à veneno status) Non addo plura, sed in Christo obtestor omnes Sacerdotes, quos ratio status in vanas mundi ambitiones seducit, audiant S. Bonaventuram de negligentibus offerre sacrificium. Cum Sacerdos ex negligentia omittit celebrare, quantum in ipso est, privat SS. Trinitatem laude, & gloria; Angelos lætitiâ; peccatores venia; justos subsidio, & gratia; in purgatorio existentes refrigerio; Ecclesiam Christi spirituali beneficio; & seipsum medicinâ, & remedio contra peccata, & infirmitates. Atque ex hoc considerent, quantis malis se immergant, vt Idolo status, & suis vanitatibus satisfaciant.

49. Bonaventura de sacerdotibus.

Eodem prorsus modo humiliter rogo omnes reges, & Christianos, vt sacrosancti sacrificij auctorem, finem, meritumq; benè considerent, & de remedio salutis æternæ per rationem status non faciant sibi causam æternæ perditionis.

PVNCTVM X.

De Religiosis, Monachis.

HAbet Respubl. Christiana in Ecclesia Catholicorum diversos officiorum, & dignitatum gradus, vt in præcedentibus dictum est. Superest Religiosorum institutum. de cujus dignitate, vtilitate, & necessitate in Republ. legi possunt multorum Doctorum, & SS. Patrum scripta. Mihi pro intentione præsenti nihil aliud propositum est, quàm Religiosis syncerè declarare, quomodo Idolum status ipsorum dignitati, & saluti insidiatur.

1. Religiosi in Ecclesia.

tur, & ordinum subversionem quærit. vt causam, & originem melius agnoscentes, pro sua sanctitate & religiosa sapientia collapsa restaurent, & futuris maturè præveniant.

2. Religiosorum instituta sancta.

Omnium Religiosorum institutum esse sanctissimum, nullus nisi vanus calumniator negaverit. Religiosi enim voluntariè de mundo exeunt; parentes, amicos, bona relinquunt; paupertatem, castitatem, & obedientiam vovent, vt Deo, cujus gloriam vnicè intendunt, liberius servire, laudes, psalmos, hymnos indesinenter canere, in lege ejus die ac nocte meditari, orare, & cœlestia contemplari pro Ecclesia vniversa, pro regibus & principibus, & pro omni populo, pro vivis, & defunctis fidelibus sacrosancta sacrificia sine intermissione offerre possint.

3. Religiosi munus.

4. Religiosorum diversi ordines.

Sunt autem Religiosi professione sua in plures Ordines distincti. Alij namque largiores proventus habent, vt Benedictini, qui dum vitæ sanctitate, & insigni doctrinà septentrionem ferè totum ad Christi D. N. fidem converterent, magnatum liberalitate ad tantas opes pervenerunt, vt Abbates ipsorum in multis locis in principum dignitatem relati sint. Hos sequuntur Bernhardini, Cistercienses, & Præmonstratenses. Alij tenuiores habent reditus; vt vix quotidianis necessitatibus in Conventibus satisfacere possint. Vt Dominicani, Augustiniani, Carmelitæ, Crucigeri, Carthusiani, Patres societ. JESU. Alij verò pauperrimè vivunt, solis eleemosynis in dies sustentantur, vestiuntur contextis pilis, & continuæ pœnitentiæ austeritatem in vilissimo habitu profitentur. Vt Patres Capuccini, Observantes, Minimi, & qui Ducem suum, Seraphicum S. Franciscum strenuè imitantur; & alij.

5. Religiosi pauperes.

In

In tribus his classibus, quid Idolum status molia- 6. Idoli fraudes in religiosos divites.
tur, videamus. In prima ditiorum classe hoc agit. Primò movet Parentes, vt de statu provideant filijs, procurando illis accessum in ditissima quæque Monasteria. Secundò juvenes inducit, Ordines ditiores ingrediantur, vt Abbates, vt Principes fiant. Tertiò præbet ingressis mille artificia, quibus ad Prælaturas perveniant. Quartò Prælatis factis suadet omninò Rationem status servare, cum principibus pro dignitate conversari, habitum principalem assumere, aulam egregiam instruere, Religiosorum numerum contrahere, & omnia ad ampliorem mensam referre. Quintò docet etiam arcanis modis Abbatias, seu principatus in suos familiares continuos facere, vel nepotes immensum ditare, & promovere. Sextò subdolè nimis persuadet, regulas ordinis non esse attendendas; eò, quod Ratio status principis, & Religiosorum majorem libertatem requirat.

In secunda classe omni conatu laborat Idolum sta- 7. Idoli fraudes in religiosos mediocres.
tus, vt quos spe divitiarum vix potest, ambitione honorum vincat; persuadendo in mediocritate electa, sic scientijs invigilent, vt per eas ad supremas dignitates avocentur, aut ad Prælaturas sui ordinis adhibeantur.

In tertia classe audet hoc Idolum animos humi- 8. Idoli fraudes in religiosos pauperes.
lium, & pauperum tentare, vt post tantam vitæ austeritatem, & sanctitatem, de meritis, de requie, de libertate cogitent, & ad Episcopatus, vel Cardinalatum aspirent, ne Ecclesiæ Dei, quam possunt præstare insignem operam, suo malo subtrahant.

Quod vero Idolum Status, in singulis classibus mul- 9. Monachorum defectuum origo.
tum nimis suis fraudibus proficiat, hoc multorum Abbatum dissoluta vita, religiosorum insolentia, abnegatio habitus, regularum Ordinis ignorantia, seculi frequen-

tatio, fratrum raritas, & nepotum luxus plusquam satis demonstrant. Hoc doctiorum superbia, & prætensionum latentes funiculi; hoc pauperum secretior ambitio, ita verum faciunt, vt multi, quia ad destinatos fines non pertingunt, ordines suos deserant, ad hæreses, & seculi vanitates infeliciter abeant. Neque mirum videbitur, quod Idolum status in perfectissimos Ecclesiæ militantis Ordines tam potenter prævalet, cum ipsius D. N.

10. Apostolorum ambitio status.

Jesu Christi electos Apostolos non erubuerit tentare, & eò per Rationem Status induxerit, vt sedere ad dextram, & ad sinistram expetiverint, & quis major in regno Dei futurus esset, sollicitè disputarint.

11. Idolum status quomodo à religiosis colatur.

Vt clarius elucescat veritas, exemplum proferemus. Videmus hoc nostro seculo multa monasteria per se ab antiquo ditissima, ære alieno vehementer prægravari, ad paupertatem redigi, vel ad mensas Episcopales reduci, vel ab hæreticis occupari, aut in aliorum manus transferri; quæ tamen vt historiæ docent, superioribus temporibus fuerunt florentissima, & tam multos religiosos commodè aluerunt, vt aliquando centum, vel ducenti, etiam trecenti in vno monasterio per distinctos

12. Causa ruinæ religiosorum.

choros incessanter Deo perennes laudes personarint, & quasi exercitus pauperum sustentarint. Si causa tam infelicis mutationis sine passione spectetur, non offeretur alia certior, quàm quod Abbates pro Ratione status Illustrissimos agant Principes; religiosi libertatem prætendant, & de regularum ordinis observantia, parva, aut nulla sit cura, vel memoria. Hoc enim habet Ratio status falsa sibi essentiale, vt verum statum fraudulenter destruat.

NB.

13. Objectio hæreticorum contra monachos.

Objiciunt hæretici, quod cum summo Christiani orbis scandalo in quibusdam monasterijs pauci admodum,

dum, octo, vel decem Monachi ingentes opes, & proventus consumant, vnde ex majorum fundatione, magna multitudo Deo servientium ali possit. atque ex hoc abusu occasionem præsumunt occupandi ipsa Monasteria, & in alios, vt loquuntur, pios vsus convertendi.

Ad hanc objectionem non est dubitandum, quin sacri Ordines sufficienter sciant respondere. multa enim in omni statu hominum lento errore, injuria temporum introducta sunt, quæ non vno impetu emendari possunt. Auferant hæretici suos abusus, desinant perversè judicare, & aliena rapere, non deerit Ecclesiæ Catholicæ gratia Dei, qua si quid humanitus in Monasterijs erratum, decenter corrigatur, & ad mores pristinos reformetur.. Solutio objectionis.

Dixi breviter, quomodo Idolum Status in omni genere Sacrorum Ordinum primaria causa sit, quare multi per falsas Rationes in ruinam propriam seducantur. Hujus sententiæ judicem constituo ipsum S. Benedictum, qui si Monasteria sua visitet, & aliquando pro Abbate Principem, pro religioso, militem, vel nobilem aulicum; pro regulis ordinis, Rationem Status; pro psalmis, & hymnis, prophanam musicam, vel latratum Canum inveniat; quid aliud judicare poterit, quàm statum religiosum mutatum esse in secularem? si ex singulis inquirat, quare habitum ordinis deposuerint, coronas capitis in crispos verterint; quare in separatis præposituris domos suas equis, & canibus repleverint, & à regulis, à votis suis discesserint? quid respondere poterunt aliud, quàm quod Ratio Status hoc exigat? Est ergo idolum status causa dissolutionis, ruinæ multorum Monasteriorum & Ordinum. 14. Benedicti de discolis sententia. 15. Ratio status perdit religiosos.

Quæ verò remedia adhiberi possint, vt Deo gloria

16. Remedia ad reformationem.

restituatur, Ecclesia à scandalo liberetur, religiosi ordines ad primum fervorem reducantur, Monasteria restaurentur, vel amissa recuperentur, id nemo melius judicaverit, quàm qui ad hoc singulariter electi sunt Abbates, & Prælati.

Si fortè meum judicium desiderent, quomodo Idolo status resistere possint, dicam syncerè, quod sentio. Nunquam falsa Ratio Status tutius vincitur, & confunditur, quàm quando veræ Rationi Status in sacris, & secularibus rerum directio integrè committitur.

17. Spiritus S. Regula pro religiosis.

In specie docet Spiritus S. abnegare secularia desideria (hoc est, Idolum status) & sobriè, justè, ac piè vivere. tum etiam primò quærere regnum Dei. Si Prælati in reformatione Ordinum hunc Doctorem infinitæ sapientiæ sequantur, seipsos primò in habitu, in vitæ sanctitate ad Regulas fundatoris sui componant; religiosos deinde ad disciplinam, & votorum observantiam reducant, refractarios dimittant; & rerum temporalium prudentem administrationem; frugalioremque vsum religiosè instituant, non est dubium, quin facilis illis, & salutaris futura sit reformatio. Superabunt in Domino omnes fraudes Idoli, liberabunt Ecclesiam à scandalis, ordinibus suis antiquum splendorem gloriosè restituent, & immensi meriti coronam promerebuntur. hoc imprecor.

18. Religiosorũ meritum.

De religiosis, qui secundum regulas Ordinis vivunt, hoc ausim affirmare, quod sua pietate, assiduis precibus, gemitibus inenarrabilibus, orationibus continuis, contemplationum puritate, & sacrosanctis sacrificijs quasi inter Deum, & homines in medio, & confractione stantes, omne malum, ad minus promeritum totalem interitum à Christianis regibus, regnis, & populis

pulis avertant, gratiam Dei concilient, & conſervationis cauſa ſint. Quia ſi propter decem juſtos Deus parcit populis, tantæ multitudini continuo fervore ſupplicantium quid denegabit? Beati Reges & populi, qui tales ſanctos alunt, venerantur, & defendunt. Miſeri verò, & cæci, qui illos perſequuntur, quorum Angeli vident faciem Dei ſemper.





LIBER V.

DE BELLO, ET PACE.

PVNCTVM I.

Quæ sit vera causa Bellorum?



VT in terminis propositi mei arctius permaneam, etiam in hoc libro tantum illas quæstiones de re militari attingam, in quibus vel Idolum status, vel excessus militares Rempubl. offendunt. Alias omnes inventiones, stratagemata, acierum instruendarum formas, delectum militum, ducum qualitates, armorum diversitates, arcium, munitionumque præstantiam, & similes considerationes illis relinquam. qui vel ab experientia, vel relatione, vel lectione de omnibus belli circumstantijs, & eventibus prudentissimè scripserunt. Et qui in causis belli fingendis, aut assumendis respubl. Christiana maximè periclitatur, de vera causa bellorum primam quæstionem institui. Ad cujus faciliorem resolutionem referam primò aliorum opiniones, deinde meam breviter subjungam.

Com-

Communis eſt omnium Chriſtianorum ſententia, imò habemus certitudinem fidei, quod bella juſto judicio Dei in pœnam peccati immittantᴗ. Sic ex Daniele Deus Monarchias exorbitantes, quando peccata erant completa, per alios ferociores reges, & populos delevit. Judæos,eorumque reges à lege deficientes bellis afflixit. Ita Attilam in ſervum elegit, & flagellum,ᵭt Chriſtianorum malitiam caſtigaret. atque hæc occultis Dei judicijs relinquenda ſuntᴗ.

1. Belli cauſa peccatum.

2. Attila flagellum.

Secunda opinio eſt hæreticorum, qui omnes bellorum ſuorum cauſas religioni tribuunt, ᵭel ad religionem reducuntᴗ.

3. Hæreticis religio eſt cauſa belli.

Tertia opinio eſt Politicorum,& Hiſtoricorum,qui pro diverſitate bellorum diverſas conſtituunt cauſas. & quidem ad bellum offenſivum, ipſum jus naturale allegant. Pro bello auxiliari, obligationem fœderis adducuntᴗ. Belli Civilis cauſas plerumque avaritiæ, impietati, & crudelitati regnantium, ᵭel etiam ſubditorum injuſtæ rebellioni aſſcribunt. & ſic conſequenter nullum bellum quantumcunq; inſanum,& injuſtum fuerit in hiſtorijs recenſetur, cum induſtria humana cauſam, aut juſtitiæ titulum non adinveneritᴗ.

4. Politici diverſas cauſas belli fingunt.

Quarta opinio eſt illorum,qui nec bellum,nec belli cauſas admittunt, eò, quod legibus Dei, & naturæ contrarium ſitᴗ.

5. Libertini nullum bellum admittunt.

Poſt aliorum opiniones, ᵭt meam aperta fronte referam, hanc diſtinctionem præmitto. Si cauſæ bellorum ad Deum referantur,cum Chriſtianis juxta generalem fidei certitudinem ſentio, quod peccata hominum ſint ᵭeriſſima cauſa bellorum. Si ᵭerò ſecundum homines conſiderentur, quod ratio ſtatus ᵭera ſit, & maximè communis bellorum cauſa. Hoc probo, per inductio-

6. Opinio auctoris de bello.

7. Ratio ſtatus eſt cauſa bellorum.

nem

nem ab exemplis. Quia cum ſuperbus Lucifer in ipſis
cœlis, primum bellum adverſus Creatorem ſuum ſuſci-
peret, cauſam moventem habuit Rationem ſtatus, vt
ſedem ſuam altiſſimo adæquaret, vel præferret. & quia
8. Lucifer per rationem ſtatus elatus cecidit. præſumpta illa Ratio ſtatus falſa fuit, cecidit in pugna
Draco rufus, & excelſiora tentans ad infimum æternæ
perditionis ſtatum damnatus eſt. ſic ſacra habet hiſtoria.
Quod in humanis primi belli fratrum Cain, & Abel
9. Abel per rationem ſtatus occiſus. ratio ſtatus vera fuerit cauſa, ex eo patet, quod Cain vi-
dens ſacrificium fratris Deo gratum, ne ille in ſtatu ſibi
præferretur, & ipſe ſolus dominaretur, Abelem occidit.
ideoque profugus, primus Civitatem mundi in falſa ra-
tione ſtatus fundavit.
Sic Nembrod, & Ninus primi bellorum auctores
10. Nemrod, Ninus. aliam non habuerunt cauſam, quàm vt ſoli imperare, &
vicinos quoſque ſubjugare poſſent. Eodem modo Per-
ſarum reges, vt ſtatum ſuum augerent, Aſſyrios bellis
11. Alexander. deleverunt. Græcorum Alexander Perſas & Aſiaticos
ſubjecit. Romani primo vicinos infeſtarunt, deinde
12. Romani. totam Italiam occuparunt, tandem in Aſiam, Africam,
& magnam Europæ partem ſuum tranſtulerunt impe-
rium. Hi verò omnes nullam aliam ad injuſtiſſima bella
cauſam allegare potuerunt, quàm rationem ſtatus. vt
ſuum ſtatum conſervarent, & in immenſum amplifica-
rent, bella ſuſceperunt, aliena invaſerunt. hoc clarè ſa-
13. Gentiles pro ſtatu bella ſuſceperunt. tis teſtatur Romanus orator, cum dicit. Majores noſtri
ſubacta Sicilia didicerunt, quàm ſit dulce imperare ex-
teris. hæc enim dulcedo, & inſatiabilis cupido regnandi
diſſoluit omnia jura divina, & humana. atque ex hoc
fonte omnia bella promanant. ergo concluſio indu-
ctionis noſtræ eſt certa, quod Gentilium bellorum vera
cauſa fuerit Ratio ſtatus.

Proba-

Probatur secundò, quod etiam apud Judæos Ratio status causa fuerit bellorum. quia hoc apertè testantur ipsius Dei promissiones, quibus populo suo electo fortissimas Gentium regiones pollicetur, clarissimè dicens. faciam te in gentem magnam. dabo tibi terram fluentem lacte, & multas subjiciam tibi gentes & regnabis. elige tibi viros bellatores, & egredere. esto fortis in bello, ego tradam hostes in manus tuas, quæ sanè nihil verius arguunt, quàm bella Judæorum suscepta esse ad obtinendum, & firmandum statum in terra aliena. Quod ab eventu magis elucescit. Cum enim Judæorum Duces feliciter per Dei gratiam pugnando multas gentes devicissent, regiones ipsorum ex mandato Dei in Tribus diviserunt, & sic cum effectu de causis belli, hoc est, de statu participarunt. Neque vlla alia ratio in sacris historijs perhibetur, quare Judæi Deo imperante Gentes debellarint, quàm vt ipsi Judæi ibidem solium regni constituerent.

14. Iudæi pro statu pugnarunt.

Probatur tertiò, quod bellorum, quæ inter Christianos geruntur, Ratio status sit verissima causa. Quia omnes reges, & principes, aut Veram, aut Falsam Rationem status allegant, & alterutram ad bella sufficere profitentur; imò Politici mundi sapientes pro pueris, & stultis habendos, qui aliam esse causam bellorum, quam ipsum statum, arbitrantur.

15. Christiani belli causas etiam in ratione status fundant.

Neque quidquam valet aut movet opinio secunda hæreticorum, qui omnes bellorum causas religioni tribuunt. Quia ex ipsorum principijs hoc falsum ostendo. docent enim conscientiam, & religionem debere esse liberam. si libera. ergo bellis non astringenda. si dicant, se bella defensiva pro religione sua suscipere. Convincuntur contrarijs actibus. quia rarò ob religio-

16. Solutio opinionis hæreticorum de bello.

nem, ſæpiſſimè propter ſeditiones hæretici oppugnantur, & in facto, aliena regna, provincias, Epiſcopatus hoſtiliter invadunt. Deinde conſtat ex generali hæreticorum pronunciato. quod nullum ſit juſtius bellum,
17. Hæretici ſibi contradicunt. quàm quod contra Papam, & Papiſtas ſuſcipitur. ergo rectè infertur, illos vel maximè de bello offenſivo agitare conſilia. quod ſicut negare non poſſunt, ita fateantur oportet, quod conſcientiæ, & religioni vim inferant,
18. Arrianorum bella, & cauſæ. & ſibi contrarij libertatem impugnent. Tranſeamus ad exempla antiqua & nova. Arriani celebres, & potentes in orbe Chriſtiano hæretici, continuis bellis offenſivis afflixerunt Catholicos, & in omnes mundi partes imperium extenderunt. Si illi cauſam bellorum (vt hiſtoriæ ſonant) faciunt zelum religionis; juſtè accuſantur, quod libertatem, quam profitebantur, violenter ſuſtulerint. Melius ergo, & verius declarat ipſe Impe-
19. Iuliani impietas. rator Julianus bellorum ſuorum in Catholicos cauſam, cum dicit; omnem principatum, & bona Catholicis adimenda eſſe, vt in Chriſti paupertate ſecuriores vivere poſſint. quo dicto, & facto ſatis apertè oſtendit, ſe non religionem, ſed ſtatum Catholicorum ambiviſſe. Idem fecerunt Arrianorum Epiſcopi. Suaſerunt, & mo-
20. Hæretici ſtatum quærunt. verunt in Catholicos bella, non vt religionem propagarent, ſed vt illorum Epiſcopatus, & regiones occuparent. quod exinde clarum eſt, quia religionem permiſerunt, ſtatum ademerunt. Noſtro ſeculo Lutherani in Germania, Calviniſtæ in Gallia, Anglia, in Belgio, maxi-
21. Hæretici fingunt religionem, intendunt regna. mos bellorum motus excitarunt, & tam conſtanter religionem pro cauſa publicè aſſumpſerunt, vt vix ſine gravi offenſione aliud ſentire, aut dicere licere voluerint. Si tamen omnia noſtrorum hæreticorum bella, & fœdera verè conſiderentur, religio prætextus, ſeu ſpeci-

men

men exterius, ſtatus ambitio vera cauſa fuit. Hoc patet ex profeſſione fidei hæreticorum, & ab eventu rerum. quia neminem ob religionem turbari, multò minus bello infeſtari volunt. Eventus autem docuit, quod in Germania Lutherani, non Cæſaris religionem, ſed imperium oppugnarint, ac quod noviſſimè Correſpondentes, & maximè Triumviri ſub Friderico Palatino totalem everſionem Auguſtiſſimæ Domus Auſtriacæ intenderint, & ſine diſcrimine religionis regna & provincias invaſerint. Ita in Gallia Hugonottæ regnum tentarunt, in Anglia obtinuerunt, in Belgio excuſſerunt. omnes ambitio regnandi, paucos, aut nullos ad bellum movet religio.

22. Palatinus.

Si quis objiciat, per hanc opinionem, hiſtorijs injuriam fieri, quæ communiter cauſas bellorum ad religionem, & injurias referunt. Huic reſpondetur candidè. quod hiſtoricis nihil derogetur, quando ſcribunt, quod partes allegant; de occultis enim non tenentur, quæ ſolus rerum eventus tandem declarat, & prodit. Cum itaque hæretici per bella ſua regna, & ſtatum quærere ab effectu convincantur, fruſtrà religionis velamen producunt.

23. Hiſtorici excuſantur.

Manet ergo conſtans propoſitæ quæſtionis reſolutio, quod vera cauſa bellorum tam apud Gentiles, quàm Judæos, & Chriſtianos ſemper fuerit, & adhuc ſit Ratio ſtatus, non tamen omnibus eadem; quia Gentiles, & athei, ſapientes mundi falſa ratione ſtatus ducuntur. Chriſtiani ſolam veram rationem ſtatus in bellis, & pace admittere tenentur.

24. Gentiles, & politici falſa ratione ſtatus ducuntur, Chriſtiani vera.

Atque hæc differentia diligentiſſimè obſervanda eſt. quia Idolum ſtatus omne acumen arcanorum ſuorum in eo maximè impendit, vt reges ſuos, quos ad bel-

25. Cautio ad Reges de cauſis belli.

26. Idoli bellum. lum instruit, doceat artificiosè causas belli justas, pias & necessarias invenire, & ad speciem propalare; veras prudenter dissimulare, occultare. Ratio autem status vera
27. Belli justitia. in principe suo requirit intentionem puram, candorem realem, causas ad bella patentes, ad Dei gloriam principaliter directas, simpliciter necessarias, & sine dolo justissimas. Sequetur ergo Princeps Christianus veram rationem status, & à laqueis Idoli quam diligentissimè
28. Pharao. caveat. qui exercitum Pharaonis projecit in mare, omnia videt, justè judicabit.

PVNCTVM II.

Quæ sint causæ justæ, & necessariæ bellorum?

1. Hæreticorũ de justitia bellorum Argum. 1. HÆretici belli justitiam metiuntur ex proprijs affectibus, & statuunt justius esse bellum, quod contra Papam, & Catholicos, quam quod contra Turcas geritur; eò, quod Papa verus Antichristus, & Catholici ejus sectatores; Turca vero à Deo in flagellum Christianorum vocatus sit.
Argum. 2. 2. Belli causa libertas. Deinde docent verbo, & exemplis, libertatem conscientiæ, & religionis, justam esse causam belli. quia conscientiam, quam Deus libertate donavit, Rex, aut Princeps non possit violenter compellere; si vim inferat, subditis defectionem, & defensionem esse liberam.

3. Politicorum de belli justitia argumenta. Politici, Idoli status ministri, sicut veritatem intentionis suæ cautissimè occultant, ita bellis suis publicam justitiam affingunt. Et primò dicunt omne bellum defensivum esse justum, quod defensio naturæ congenita sit.
Argum. 2. Secundò docent, justissimas esse bellorum causas,

quæ pro ſalute reipubl. hoc eſt pro conſervatione aut
augmento ſtatus ſuſcipiuntur. quia cum ſalus reipubl.
ſuprema lex ſit, illa nihil juſtius prætendi poſſit. Tertiò
volunt libertatem moralem eſſe juſtam cauſam belli. Argum. 3.
quia libertas, & vita hominis æquiparantur.

Chriſtiani Catholici juſtas cauſas bellorum eſſe de- 4. Sententia
finiunt. Primò cum Deus ipſe bellum inferri imperat Catholicorum de juſtis
ijs, quos ob peccata graviter punire decrevit. ſicut Joſue cauſis belli.
ex mandato Dei Chananæos delevit. atque hæc judicia 5. Ioſue.
in ſe juſtificata extra controverſiam certa ſunt. 2. Quan-
do Eccleſia Dei vel ab exteris, vel à ſubditis fraude, aut 6. Eccleſia.
vi armata impugnatur, bonis ſpoliatur, & ad hæreſes
impellitur. Tunc enim leges de ſacroſanctis Eccleſijs
juſta bella decernunt. 3. Quando reges, aut principes
ſupremam poteſtatem habentes injurias, violentias,
damna, hoſtilitates, pericula nullo pacis remedio, nullo
juris ordine avertere poſſunt, juſtè in violatores arma 7. Belli juſtitia.
ſuſcipiunt, quia neceſſitate ad defenſionem aut licitam
vltionem adiguntur. 4. Quando ab exteris fides, fœ-
dera, legati, ſocij violantur: ab inferioribus aut ſubditis
ſeditiones, conjurationes, & inſidiæ componuntur. Re-
ges poſt tentata pacis conſilia juſtas ad arma cauſas ha-
bent.

In his tamen omnibus generatim obſervandum eſt 8. Belli juſti requiritur recta
principi Chriſtiano, quod non ſufficiat juſtitia cauſæ intentio.
belli, ſi recta deſit intentio. Si enim princeps graviſſimè
offenſus crudelem vindictam, regnum alienum, & ſpo-
lia implacabili animo ita ſibi in bello gerendo propo-
nat, vt nulla concilia ſatisfactionis admittere velit, per
ſiniſtram hanc intentionem cauſæ belli aliàs juſtiſſimæ,
injuſtæ fiunt. Quod vſque adeò verum eſt, vt etiamſi
princeps ex imperio Dei bellum gereret, & vltra Dei vo-

luntatem ſuam ambitionem dominandi explere intenderet, hoc bellum reſpectu principis injuſtum dicendum eſſet, quia recta intentio deficeret. Eſt autem recta intentio, vt bellum ex juſtis, & neceſſarijs cauſis ſuſceptum, juſtiſſimè geratur ad effectum pacis, & ſatisfactionem juſtitiæ. Quomodo vèrò princeps Chriſtianus de belli juſtitia in conſcientia ſecurus eſſe poſſit, in libro tertio de conſilijs paucis declaravimus. Conſulendi ſunt Theologi, Juriſperiti, Politici Chriſtiani, fideles miniſtri, & amici. quia in proprio judiciō facilis eſt error.

9. Intentio recta quæ ſit in bello.

10. Belli ſecuritas.

Securus etiam erit princeps, ſi poſt conſilia ſententiam Catholicorum, & Eccleſiæ in cauſis belli decernendis fideliter ſequatur. Ne vèrò argumentis hæreticorum, aut Politicorum moveatur, ad illa breviter reſpondebo.

Solutio arg. 1. hæreticorum.

Ad primum argumentum hæreticorum reſpondetur. hæreticos falſum aſſumere; cum per calumniam dicunt, Papam eſſe Antichriſtum, quia nunquam hoc probarunt, neque in æternum probabunt. Cum ergo deficiant in cauſa juſtitiæ, non ægrè ferent hanc converſionem ſimplicem. Hæretici ſine juſta cauſa Catholicos Turcis pejores, & majores hoſtes declarant. ergo Catholici hæreticos potius, quàm Turcas juſtiſſimè perſequuntur.

11. Belli hæreticorum injuſtitia.

12. Cautio ad Reges de hæreticis non fovendis.

Hic vellem notarent reges, & principes Catholici, quibus aliquando blandiantur, quos per rationem ſtatus in tabernacula ſua recipiant, cum quibus matrimonia jungant, fœdera componant, & pro quibus arma ſumant. an non hoc eſt ſerpentem in ſinu alere? juratos hoſtes amicis præferre? & in effectu eſſe hæreticum?

Solutio arg. 2.

Ad 2. argumentum reſpondetur, falſum eſſe, quod Deus conſcientiam hominis libertate donarit. hoc probant

13. Conſcientiæ libertas qualis.

bant ſeveriſſimæ leges divinæ, & humanæ, quibus homo Chriſtianus ſub pœna æternorum ſuppliciorum in filiali obedientia Eccleſiæ Dei ad vnam fidem aſtringitur. Deinde ipſi hæretici negant libertatem arbitrij, neceſſitant voluntatem humanam ad bonum, vel malum, & Deum auctorem peccati faciunt; ergo ſibi cõtrarij malè conſcientiæ libertatem prætendunt, & pejus juſtam cauſam bellorum faciunt. Tertiò, ſi conſcientiæ libertas eſt juſta cauſa defectionis, & belli, nunquam ſeditioſis deerit occaſio rebellandi, nunquam ſecuri erunt reges, nunquam in pace vivet reſpubl. Quæ mala vt maturè avertantur, ſtandum ſanctis legibus, non admittendi, multò minus tolerandi ſunt hæretici.

14. Hæreticis nunquam deeſt cauſa rebellandi.

Solutio arg. 1. Politicorum

15. Bellum juſtũ quando.

Ad Politicorum primum argumentum reſpondetur: Non omne bellum defenſivum eſſe juſtum, niſi enim juſtas cauſas habeat, etiam ipſa defenſio injuſta eſt. Ita Rex, aut Princeps, qui aliena violenter rapuit, invaſit, detinuit, fidem violavit, & juſtitiæ ſatisfacere denegavit, ſi ab alio rege hoſtiliter oppugnetur, juſtam cauſam defenſionis non habet, ſed ad reſtitutionem tenetur. Eodem modo ſubditi rebelles nunquam contra ſuos reges, aut principes juſtum bellum ſuſcipiunt, niſi defectionis, & defenſionis ſuæ juſtiſſimas cauſas reddant. quia lex Dei etiam malis regibus obedire præcipit.

Solutio arg. 2.

16. Lex ſuprema, gloria Dei.

Ad 2. argumentum reſpondetur, Fundamentum hujus axiomatis jam ſæpius expugnatum eſſe. quod ratio ſtatus non ſimpliciter ſit ſuprema lex reipubl. ſed quod Chriſtiano Principi ſuper omnia Dei voluntas, mandatum, diſpoſitio, & providentia attendenda, & ſecundum hæc juſtitiæ leges ſervandæ ſint. Quod ſi ex ratione ſtatus juſtitia bellorum æſtimanda ſit, ſequetur nullum

17. Ratio ſtatus omnia bella facit juſta.

nullum bellum esse injustum, imò latrones, & prædones justam fovere causam. quia omnes conservationem, vel augmentum Status sui allegare possent. Sit exemplum in bello offensivo. Si Rex Christianus non justè provocatus, sed vel ambitione stimulatus, vel odio secreto, & invidia æstuans, vicino regi bellum inferat. posset justitiam causæ in axiomate Politicorum fundare, quod pro augmento status sui alienum regnum invaderet. quo facto summa injustitia per rationem status transiret in formam justitiæ. In bello defensivo posset Rex injusta detinens ad rationem status confugere, & ne ille aliena restituendo minuatur, defensionem justam prætendere. Similiter subditi, quos ipse Deus voluit obedire superioribus, per rationem status omne imperium excutere possent, allegando conservationem sui status, & libertatis hoc exigere. Ita in bello auxiliari non sufficerent pacis, & amicitiæ juratæ conditiones, quò minus hostibus amici regis subsidia dari possent; quia ratio status justitiam compensaret. Quæ omnia cum manifestè Deo, rectæ rationi, & justitiæ contraria sint, à Christianis inter causas belli censeri non debent. Qui verò ex Idoli consilijs bellorum suorum justitiam metiuntur; pacem fingunt, arma parant; regionem alienam ambiunt, sub titulo defensionis hostiles invasiones machinantur, nunquam in statu securi, nunquam in conscientia quieti erunt. quia divinæ justitiæ illudunt, & Idolum status adorant.

18. Fraudes Idoli in bello.

Ad 3. argumentum respondetur, libertatem moralem posse esse causam justam belli, si ab illis, qui eam antiquo jure obtinent, defendatur, contra externum, qui nullum imperium prætendere possit. Si autem ex mente Politicorum de libertate agatur, omnibus populis, & subdi-

Solutio arg. 3. 19. Libertas causa belli.

20. Politicorum libertas.

ſubditis aperta eſt porta rebellionis. quia ſi juſtè pro vita, & libertate pugnatur, etiam juſtè reges deſeruntur.

Poſt reſolutionem argumentorum, ne dubius videar, in propoſita quæſtione, meam opinionem declaro eſſe conformem Catholicorum ſententiæ ſupra allegatæ, & magna ad hoc movet ratio. quod cum bellum omnia incommoda humana, & exercitus peccatorum producat, non niſi ex juſtiſſimis cauſis, & inevitabili neceſſitate ſuſcipiendum ſit.

21. Bella Chriſtianorum debent eſſe juſta, & neceſſaria.

Quod autem rationem ſtatus à cauſis belli rejecerim, cum (vt mihi in faciem objicitur) omnia ferè Chriſtianorum bella in ratione ſtatus fundamenta ſint, hanc cauſam ſuperaddo. quia ratio ſtatus falſa (hanc enim ſemper intelligi volo cum abſolutè ponitur) eſt hæreſis, & quidem omnium, quæ in orbe ſunt, maxima, & peſtilentiſſima. Et cum nulla hæreſis juſta ſit cauſa belli, vt per arma foveatur, & conſervetur; etiam Ratio ſtatus talis non erit. Quod falſa ratio ſtatus ſit hæreſis, probatur. quia docet, & tuetur errores contra fidem Chriſtianam. Eſt verò omnium maxima hæreſis. quia aliæ hæreſes vnum, vel alterum articulum fidei impugnare ſolent. Ratio ſtatus in atheiſmo Deum ipſum, & ejus divinam providentiam negat, ſuum Idolum ſupra Deum colendum proponit; religionem & virtutes docet fingere; omnia jura divina, & humana peſſundant; voluntatem hominis per fatum neceſſitat, & per fortunæ impetum omnia regi, ſervari, & diſſolvi defendit. ergo tam peſtiferæ impietatis genitrix nullo jure pro cauſa belli à Chriſtianis aſſumi debet.

22. Quare falſa Ratio ſtatus ſit injuſta cauſa belli.

23. Ratio ſtatus hæreſis.

Si quis arcanus Politicus objiciat, reges Chriſtianos non omnes Idoli ſtatus abominationes ſequi, ſed tantum ad ea reſpicere, quæ ſtatus conſervationem, & aug-

Objectio Politicorum.

 mentum

24. Politicorum fraus. mentum concernunt; quæ cum purè Politica ſint, & fidem non tangant, pro juſtis belli cauſis æſtimari poſſe.

Solutio objectionis. Huic Secretario palam reſpondeo. licet de regum Chriſtianorum profeſſione fidei non ſit dubitandum, quod tamen in ipſa politica ſtatus ſui æſtimatione ad reales Idoli abominationes latenti veneno per indirectum ſeducantur. Hoc oſtendo per exemplum. Si Rex

25. Idoli conſilia in bello. Chriſtianus videat regem vicinum potentiorem fieri, exinde metuat, & Idolum ſtatus conſulat, ſanè aliud conſilium non referet, quàm pacem publicè eſſe colendam, ſecretius verò agendum, vt plures illi hoſtes inſurgant, vt auxilia dentur periclitantibus, & vires in diverſa diſtrahantur, ne potentia ad juſtum metum excreſcat.

26. Idoli fraudes deteguntur. Jam examinemus hoc conſilium, quod Arcaniſta noſter purè politicum vocat. Nunquid oſculum pacis fingere, & in facto omnia hoſtilia procurare; amicitiam jurare, & inimicis auxiliari, eſt Deum, ejuſque mandata, & Juſtitiæ leges contemnere. Sed talia docet conſilium Idoli. ergo ſub prætextu politico, ne, videlicet, rex vicinus ad metuendam potentiam perveniat, alteri media iniqua ſuggerit, quæ abominationes involvunt. Idem clarius

27. Rex Daniæ quis cauſas belli prætenderit. in vivo exemplo demonſtratur. Rex Daniæ videns Auguſtiſſimum Imperatorem Ferdinandum per Dei gratiam de Palatino, alijſque conjuratis præclaros triumphos agere, non læſus, nec provocatus Imperatori grave bellum movet, cum regibus Gallo, Anglo, Sueco; cum Tranſilvano, Venetis, & Hollandis fœdus init, provinciales inferioris Saxoniæ Status in ſuas partes trahit, vrbes, oppida, arces occupat, & præſidijs munit, nihil hoſtile intentatum relinquit. hortatur inſuper omnes ſuæ religionis principes, & civitates ad auxilia, addit minas, niſi conſentiant. Cum verò ad hæc omnia nullam ju-

ſtam

ſtam cauſam haberet, confugit ad Idolum ſtatus, ex quo 28. Auſtriacæ domus.
didicit, proſperitatem Domus Auſtriacæ conjunctis viribus in tempore eſſe reprimendam, & bello ſpecioſum titulum religionis præfigendum. eò, quod hoc modo ſe, ſuoſque confœderatos à metu nimiæ potentiæ Auſtriacorum poſſet liberare, & ſecurius conſervare. Hinc oritur præſens quæſtio, an hoc Idoli conſilium, ſeu ratio ſtatus ſit juſta cauſa belli à Rege Dano ſuſcepti? Ad quam abſolutè reſpondetur. quod non. Ratio eſt, quia hoc 29. Bellum Regis Daniæ quare verè injuſtum ſit.
conſilium nullo jure nec divino, nec humano juſtificari poteſt. quod probatur. quia Deus prohibet aliena violenter invadere, innocentes opprimere. Jura graviter vetant, pacem publicam turbare, indicta cauſa vim inferre. Sed conſilium Idoli planè ſtatuit contrarium. ergo nullo jure juſtificari poteſt. Minor probatur, quia Idolum non attendit Deum, aut juſtitiam, ſed ſupremam legem decernit eſſe rationem ſtatus. ergo Deo, & juſtitiæ contrarium ſtatuit.

Si quis objiciat, Regem Daniæ non rationem ſtatus, ſed religionem cauſam belli facere. Objectio Daniæ.

Reſpondetur hoc quidem ex publicis ſcriptis conſtare, ſed non ſufficere cauſas ad ſpeciem fingere, & diverſas intendere. cum ad juſtitiam cauſæ belli recta intentio quam ſtrictiſſimè requiratur. Sed eſto, moveat regem Daniæ ad hoc funeſtum bellum religio. Certè ſuſpecta valde eſt iſta religio, quæ regem docet in alieno imperio judicem agere, rebellium cauſam fovere, ſine prævia læſione armata manu aliena occupare, & in perniciem Domus Auſtriacæ cum alias conſpirare. Rectius ſentire videntur, qui Rationem ſtatus Regem Daniæ ad bellum moviſſe contendunt. niſi enim ſibi ſpem aperuiſſet Epiſcopatus Imperij vicinos, Ducatum Braunſui-

Solutio objectionis.

30. Intentio Regis Daniæ non eſt recta.

31. Aliud intendere, aliud agere docet Idolum.

 cenſem,

censem, & alias arridentes provincias auxilijs confœderatorum acquirendi, & consequenter majora tentandi, nunquam intuitu Religionis Imperatorem offendisset.

Ex his exemplis, & rationibus satis, spero, apparet, quare Ratio status justa causa belli dici non possit.

PVNCTVM III.

De Ducibus Belli.

1. Belli dux.

QVod in corpore humano est caput, quod in navi gubernator, hoc in exercitu est Dux. Sic enim à capite, tanquam sede intellectus, singula membra directionem accipiunt, & navis cursus à gubernatoris industria dependet, ita exercitus præstantià Ducis felices effectus consequuntur. Atque hinc constat, quàm necessarius sit ad bellum Dux bonus, & Imperator. Vt ergo Princeps Christianus in electione Ducis militaris securior sit, de ejus virtutibus, & qualitatibus paucis agere necessarium existimavi.

2. Ducis belli virtutes.

3. Pietas in Deum in duce.

In summo belli Duce, sive ille rex, aut ipse princeps bellum gerens sit, sive à magno rege electus, ante omnia requiro veræ Christianæ fidei professionem, pietatem, & puram conscientiam. Quia per has virtutes ascendit in fiduciam divini auxilij, sine quo nihil sunt humanæ vires, aut exercitus. Per has conciliat animos militum, auget æstimationem, inducit rectitudinem vitæ, devitat scandala, quæ à Duce impio in milites redundare, & iram Dei in vindictam provocare solent. Per has virtutes meretur veram confidentiam sui Regis committentis, excitat spem rei benè gerendæ, facilitat populi auxilia, & hostibus terrorem injicit.

Neque

Neque movet, quod objiciunt Politici, fidem non facere Ducem, aut milites, sed experientiam, & fortitudinem. Quia hæc sunt fundamenta humanæ prudentiæ ex secretis Idoli status petita, quæ si à Christiano principe, ut decet, secundum Deum considerentur, sua vanitate corruunt. Licet enim fides propriè non faciat ducem, aut militem (quod multò minus impietas præstabit) efficit tamen bonum, gratum, & confidentem Deo, sicut impietas & Ducem, & exercitum Deo exosum reddit. Securior ergo erit conjunctio fortitudinis cum pietate, quàm cum atheismo Idoli, in quo nemo fortis, nisi impius, & crudelis.

Objectio Politicorum. Solutio objectionis. 4. Idoli fraus.

Secundò, Duci necessaria est prudentia. quia illi salus, & conservatio reipub. committitur, quæ summam prudentiam requirunt. Hæc autem Ducis prudentia debet esse vera virtus secundum Deum, recta ratione gerenda, & omittenda decernens, non levis Politicorum dissimulatio, aut ad dolum composita inanis astutia, vel fortunæ commissa audax temeritas. A solida Ducis prudentia dependent belli felicis eventus. non multum proficit vis armata, si prudenti directione destituatur. fortitudinem bellicam multi, pauci prudentiam assequuntur. Dux verè prudens suos reddit confidenter intrepidos, hostes vel sola fama consternit. Prudentia Ducis sine sanguine parit victoriam. consilia hostium de longè prospicit, astutias intelligit, & eludit, stratagemata suppeditat, occasiones observat, præmeditatis consilijs celeritatem executionis subjungit, vires proprias, & hostis examinat, de militum valore decernit, causas tumultuum prævenit, præfectos legionum & turmarum concordes conservat: annonæ abundantiam pro-

5. Duci prudentia necessaria.

6. Prudentia belli qualis.

7. Prudentiæ fructus.

procurat, & omnia ad bellum necessaria consilio dispo-nit, gubernat, & ad felicem pacis finem dirigit.

8. Prudentia Ducis est innata, & ab experientia.

Hæc verè necessaria est Duci, & optanda virtus, quæ vel à felicitate ingenij, quasi innata est, vel longa experientia & varietate consiliorum acquiritur. Gratior quidem solet esse militibus Dux magnæ experientiæ, qui per singulos gradus militiæ ad summa pervenit, quàm is, quem sola excellens prudentia, nullo evaginato, vt loquuntur, gladio, vno impetu ad imperium evexit. Attamen quando ritè attendunt, quàm facile sit illi fortitudinem induere, & experientiæ defectus supplere, quem præcellens ad omnia armavit ingenium, & felix prudentia: non recedunt à judicio, & malunt cum prudente vincere, quàm cum experto in fortunæ incertis casibus periclitari. felix nimium, qui experientiam cum prudentia conjunxit, & talem Christianæ reipubl. opto.

9. Ducum differentia.

10. Dux belli debet esse justus.

Tertio in Duce belli requiritur justitia prudenter moderata. quia sine justitia bella in latrocinia transmutantur; crudelitate verò, & tyrannide animi militum exasperantur, & in desperata consilia feruntur. Tenebit Dux prudens mediam viam, ne in defectu, aut excessu justitiæ administrandæ principem suum; aut rempubl. in pericula conjiciat, nec se ipsum perdat.

11. Moderata justitia omniũ securissima in bello.

Sunt (etiam inter Christianos) magni Duces, qui vt Zelatores justitiæ magnam famam consequantur, in eo, quod nunquam erranti pepercerint, vanè gloriantur. Habent illi speculum justitiæ divinæ, & examen conscientiæ, in quo cognoscent, quando propter circumstantias facti, & personæ rigor legum sit mitigandus. Sit exemplum.

Quidam milites ob non soluta stipendia nudi, famelici, in summa necessitate per occasionem rusticis paucu-

pauculas carnes, aut panes abſtulerunt. Vocantur ac-
cuſati in judicium militare, condemnantur ex lege pro-
hibitiva, quæ capitis pœnam imponit. Si Ducibus refe-
ratur de facto, circumſtantijs, & de lege, pronunciant
pro lege, non attendunt omiſſam ſolutionem ſtipen-
diorum, nec duram famis neceſſitatem, ſed hoc ſolum
volunt ſufficere. omnia errata in bello eſſe capitalia. 12. In bello non licet bis peccare.
non licere bis peccare. juſtitiam ſervandam. nemini
parcendum. ne leges fiant eluſoriæ. Tales Duces ad
judicium Dei, & conſcientiæ remitto. invenient non
ſoluta ſtipendia ſanguinis, in cœlum clamare, & datam
cauſam ad malum neceſſarium, judicium in auctores
provocare. Ita omninò limites juſtitiæ excedere viden-
tur. Duces, qui ad evitandos tumultus, militibus non 13. Duces tenentur Deo ad rationem.
permittunt, ullam mentionem ſolutionis facere. & ſi vel
minimum de ſtipendijs ſuis inſinuent, pro ſeditioſis ju-
bent miſerè ſtrangulari. Sanè ſi iſti Duces conſidera-
rent, quid cum milite pactum ſit, quàm grave malum
defraudare operarium mercede ſua, & quod ſine com-
paratione major ſit culpa non ſolventis debitum, quàm
ex neceſſitate humiliter petentis ſtipendium, non tam
faciles eſſent ad decernendos laqueos, neque pro ſuo ri-
gore Rationem ſtatus allegarent. Contigit anno ſalutis 14. Memorabile exemplum rigoris militaris.
1606. in Belgio caſus memorabilis. Miles Germanus
juvenis natura facetus, cum ad excubias dato ſigno vo-
caretur, ſubridens commilitonibus dixit, redeunt ad
nos excubiæ, utinam & pecuniæ nuncius veniret. De-
fert officialis hoc verbum Capitaneo, examinatur à Præ-
tore, & cum pro voce tumultuantis haberetur, appre-
henditur miles, torquetur miſerè, & capitis damnatur.
Miles videns innocentiam non prodeſſe, & mortem in-
ſtare, terribili clamore vocat Capitaneum ſuum, & illi
dicit.

dicit. post tres septimanas hac ipsa hora noctis reddes Deo justo rationem de sanguine meo. sed hoc non attento miles duodecima hora noctis strangulatur, & mane ad terrorem exponitur cum titulo seditiosi in præcordijs, transfixo. Capitaneus verò satis consternatus elapso termino in puncto horæ 12. noctis exit ad visitandas excubias, labitur è ponte navali, & submergitur. Vter hic fuerit securior in divino judicio, an Capitaneus, qui ex rigore Ducis sui condemnavit militem, an verò miles, qui sententiam mortis excepit, hoc abyssalibus Dei D. N. judicijs relinquendum existimo.

15. Duces negligentes justitiam perniciosi.

Sunt alij Duces, qui per rationem status in defectu justitiæ graviter delinquunt. vt enim animos militum sibi concilient, & suæ avaritiæ, vel ambitioni satisfaciant, omnes excessus militares dissimulant, sacrilegia, rapinas, extorsiones, incendia, prædasque impunè indulgent. Atque hi tales valdè periculosi sunt reipubl. neque aliud, quàm latrocinantium Ducum nomen merentur.

16. Dux prudenter justus æterna laude dignus.

Qui verò Duces electi in administranda militari justitia Rationem status non respiciunt, crudelitatem devitant; vitijs justas pœnas, virtutibus præmia decernunt, immortales laudes consequuntur, & tanquam Reipubl. conservatores venerandi sunt.

17. Dux belli liberalis erit.

Quartò Ducem liberalem desidero, non prodigum, multò minus avarum. quia cum præfectis legionum, tribunis, & officialibus majoribus honores, & promotiones condignas, distribuit, militibus verò vtiles ex hoste prædas concedit, vix dici potest, quam vehementer omnium animos sibi devinciat, & ad ardua quæque accendat. Si autem Dux nervum belli pecunias sine termino moderationis vanè profundat, aut sibi turpiter strictius

18. Dux avarus perdit Rempubl.

reser-

reſervet, vnde milites incommoditates patiantur, ſeipſum, & rempubl. mille periculis exponit, & meritò boni ducis nomen amittit.

De temperantia, clementia, alijſq; virtutibus, quæ in Duce belli deſiderantur, & de vitijs, quæ in eodem culpantur, non extendo diſcurſum, quia quæ in libro de virtutibus, & vitijs principis dicta ſunt, optimo jure, cuicunque Duci militiæ accommodari poſſunt. 19. Ducis Temperantia.

Reſtat libertas in agendo, & diſponendo, quam Dux quilibet à rege vel republ. accipit, abſolutè, cum ſine recurſu ad nova mandata pro re nata de ſumma rei ſtatuit, prælia, obſidiones, invaſiones decernit. accipit verò limitato modo, quando ſine novo ſummi principis mandato nihil attentare debet. Egregium Ducem, cui ſalus Regni committitur, decet abſoluta libertas, ne occaſiones elabantur. Et periculoſa eſt limitatio libertatis ad nova conſilia, qui Ducis fortunam impedit, auctoritatem minuit, & regis committentis diffitentiam oſtendit. 20. Dux belli debet habere liberam diſpoſitionem.

Oritur ex hac reſolutione non contemnenda quæſtio. An magis expediat, Regem in perſona bellis ſuis præeſſe, an per duces agere?

Politicorum prudentiam, & conſilia in hujus quæſtionis reſolutione non rejicio. Prudenter enim dicunt, reges in bellis multum periclitari; pro tuenda regia perſona multa millia militum abſtrahi; & in abſentia regna facilè ad ſeditiones commoveri. 21. Reges quare bellis interesse non debeant.

Verum omnibus militaribus viris conſiderandum propono. An Rex verè prudens arma, & bellum, hoc eſt, regnum ſuum, vlli hominum melius, quàm ſibi ipſi confidere poſſit? An Rex præſens in bello non æquè, quàm abſens induſtriâ ſui ducis vti poſſit? An non Regi 22. Reges quare bellis præeſſe debeant.

præsenti eadem consilia suorum imò saniora subministranda videantur? An non omnes Duces, & milites in conspectu Regis fortius, & gloriosius agere, & pugnare excitentur? An non Rex bellator melius Regium animum, & affectum erga subditos declaret, quando regnum armatus gloriosè defendit, quàm cum ducibus omnia committit, & seipsum vilipendit? Sanè tam veteres, quàm recentiores historiæ nobis perhibent, quod omnes magni Reges assumptis armis exercitibus suis præfuerint, & exinde victorias, & immortalem gloriam acquisiverint. Ego cum exemplo gloriosissimi Imperatoris Caroli V. qui solo militari suo nomine, & famà Solymannum Turcarum felicissimum regem fugavit, & Anno 1529. Viennam obsidione liberavit, hanc quæstionem resolvo. Si Rex senio, aut aliàs malè dispositus bellum ducibus gerendum credat, habet vnde excusetur; sed Rex junior regios spiritus, & veram fortitudinem in castris manifestare tenetur. In judicio hominum non acquirit Rex majorem famam, & existimationem, quàm si egregius miles sit, & Dux exercituum. Hic titulus militaris conciliat amorem subditorum, & hostibus timorem injicit: conservat disciplinam, & impedit seditiones. Qui autem Regibus arma dissuadent, nescio quomodo fideles ministri haberi, & à suspicione liberi esse possint, quod Regem obscurum delitescere, sibi regiam potestatem, & gloriam vsurpare, & arrogare velint.

23. Caroli V. Imperat. gloria militaris.

24. Solymanni Turcæ fuga.

25. Rex miles gloriosus.

26. Rex latens, obscurus.

Dixi breviter de virtutibus in Duce belli requisitis; postularet nunc ordo, vt de ejus officio, & modo gerendi bellum agerem; sed quia hoc meum institutum excedit, & ab alijs felicissimè præstitum est, ego tam in rege, aut republ. committente, quàm in Duce commisso ad bellum

bellum nihil majoribus votis desidero, quam vt à fraudibus Idoli status caveat, ne sine necessitate in bella consentiat, ne bella ex bello nectat, ne causas justas fingat, alias intendat; ne reges ducibus suis, aut duces regibus diffidant. quia si aut Reges, aut Duces belli ratione status in consilijs, & actionibus ducantur, rarò aut verius nunquam ad pacem, finem belli, perveniet Respubl. Christiana. 27. Cautio ad Duces belli de fraudibus Idoli.

PVNCTVM IV.

De Militibus.

IN militibus Christianis easdem, quas in Ducibus virtutes in gradu proportionato requiro. Sint pij, in recta fide conscientiam puram conservantes, vt Christiana fortitudine armati in agendo, & patiendo mortis pericula contemnere sciant. Prudentes, vt in repentinis occasionibus vices Ducum supplere possint. Justi, vt coram superioribus intrepidi compareant, & fiduciam ad magna inveniant. Temperantes, vt à vitijs liberi per virtutes ad altiora promoveantur. Ratio verò quare suprà communem opinionem has virtutes in militibus desiderem, est hæc potissima; quod per militum virtutes regna Christianorum conserventur, per impietatem autem, & vitia sæpius in extrema pericula conjiciantur. Deinde hoc nemo sanæ mentis negaverit, quod impius, & vitiosus miles sibi, & reipub. inutilis sit. qui verò præclaris virtutibus ad generosa facinora ducuntur, quod illi & rempubl. illustrant, & sibi ad immortalem gloriam, honores, & dignitates vias aperiunt. Requiro ergo virtutes in militibus, vt sibi, & reipubl. prosint. insigniter impius est, qui vitia virtutibus præfert.

1. Militum qualitates.

2. Quare in militibus virtutes requirantur.

Hoc fundamento progredior ad obligationes, juramenta, leges, & disciplinam militarem.

3. Iuramenta militum.

Obligationes militum oriuntur ex contractu voluntario, quem cum Ducibus, aut præfectis legionum ineunt, & consistunt, maximè in eo, quod quàmprimum nomina militum data in libros regis belligerantis relata, & stipendia ex pacto assignata sunt, ipso facto ad obedientiam, disciplinam, fidelitatem, onera, & quævis pericula mortis teneantur.

4. Leges militares publicantur omnibus.

Ante juramenta militum ne quis ignorantiam prætendere possit, in aperto campo obligationes, & leges militares omnibus distinctè præleguntur. Deinde in consulta Christianorum forma Regi, seu principi in manus Ducis belli fidelitatem, obedientiam, & legum observantiam solemnissimè jurant.

5. Leges militares sanctæ.

Leges autem militares sanctæ sunt, & justissimæ. quia quæ ad Dei gloriam, & cultum, ad Ecclesiæ immunitatem, & defensionem; ad pietatem, & religionem conferunt, strictissimè servari jubent, virtutibus digna præmia assignant, vitijs verò severissimas pœnas capitales statuunt. hoc ex ipsis legibus satis apertum est.

6. Disciplina militaris necessaria.

Disciplina militaris hoc agit in bello, vt milites vigilantià Ducum ad optimos mores, virtutes, scientiam, armorum feliciorem vsum, & laborum tolerantiam certis præceptis continuà exercitatione, & consuetudine instituantur. Hanc virtutem Romani tam necessariam existimarunt, vt illi triumphos, & conservationem Reipubl. asscriberent.

7. Turcarum disciplina.

Turcæ in bello disciplinam militarem diligentissimè servant, & à puritate castrorum, à parsimonia vitæ laudantur. Christiani multa de disciplina remiserunt, exercitationes sunt rariores, ordo vitæ in li-

in licentiam abijt, manent tamen præcepta diſciplinæ, quæ à multis laudabiliter reaſſumuntur.

Cum itaque obligationes militum ſint maximæ, juramenta ſancta, leges capitales & diſciplina militaris ſummè neceſſaria, non malè hæc quæſtio movetur. quare milites Chriſtianorum ſint tam diſſoluti, vitioſi, inſolentes, & inobedientes? 8. Quare milites Chriſtiani ſint præ alijs vitioſi.

Si milites audiantur, dicent, quod propter defectum ſolutionis ſtipendiorum egeſtate premantur, ad furta, & rapinas quaſi compellantur, & quod cauſa exceſſuum Ducibus belli imputanda ſit. 9. Excuſationes militum. Duces verò culpam in reges ſuos rejiciunt, eò, quod ſufficientem ſolutionem, & annonam non ſuppeditent, vnde diſciplina ſervari non poſſit. 10. Ducum excuſationes. Reges de mala diſtributione pecuniarum, & de conniventia Ducum conqueruntur. 11. Regum excuſationes.

Sed non ſubſiſtunt hæc militum, Ducum, & Regum effugia ad tam ingens malum, & ſcandalum à republ. Chriſtiana removendum. Quia in facto conſtat, quod milites præter furta multa alia mala committant, vt ſunt ebrietas continua, turpis libido, incendia prohibita, negligentia diſciplinæ, proditiones, & alia vitia, quæ magis ex abundantia, & malitia, quàm ex egeſtate prætenſa procedunt, & ideò ad ſtipendiorum defectum referri non poſſunt. 12. Reſponſio ad milites. Eodem modo ab experientia convincuntur multi Duces, quod plurima militum peccata impunita relinquant, quæ à ſolutione ſtipendiorum non dependent. 13. Reſponſio ad Duces. Reges verò malè Ducibus, & miniſtris ſuis hoc ſcandalum imputant, quia ipſi verè in cauſa ſunt, qui non majori prudentià meliores Duces elegerunt. 14. Reſponſio ad Reges.

Rectius ergo ſine paſſionibus judicant, qui veras cauſas exceſſuum, & inſolentiæ militum Chriſtianorum partim regibus, partim eorum Ducibus tribuunt. quia 15. Exceſſus militum ducibus imputandi ſunt, & Ducum Regibus.

si reges minus idoneos duces eligant, & vltra vires bella suscipiant, vnde postmodum in onere deficiant, culpa non carent. Si Duces Regibus serviant, quos sciunt non esse sufficientes, susceptis autem officijs non exactissimè fungantur, in latissima culpa sunt omnium malorum, quæ exinde promanant.

16. Cautio ad Reges de excessibus militum.

Hic vellem principes Christianos singulariter observare, quomodo tumultuum militarium, & gravissimorum excessuum participes fiant, & se propriæ ruinæ auctores constituant. Deinde quàm gloriosè exercitibus Christianis disciplinam militarem restituere possint, si bellis Ducès egregios, pios, fortes, prudentes, justosque præficiant.

17. Militum stipendia.

Post virtutes militum, & severas leges, consequens est, vt de ipsorum stipendijs breviter agamus. Promittuntur à Regibus, & Ducibus belli, militibus certa stipendia, vt qui domos, & propria relinquunt, decenter alantur ab ijs, quibus fideliter serviunt.

18. Stipendia justa.

Hæc stipendia ex pactis jure debentur militibus, justè accipiuntur, justissimè exiguntur, & pessimè denegantur; quia pro vita, & sanguine pretium, & merces constituta sunt. Et quoniam tam à Regibus, & belli Ducibus in defectu solutionis, quam à militibus in modo exigendi stipendia gravissimè peccatur, ab vtrisque autem respubl. Christiana periculosè offenditur. Referam fideliter, quæ in hoc genere à prudentioribus notari solent.

19. Belli incommodis Deus deterret homines.

Primò sapienter observant, quod Deus Opt. Max. infinita sua providentia ita de bellis statuerit, vt sine sanguine, ingenti labore, periculis, & sine immensis sumptibus geri non possint, quò facilius homines ab illis deterreret, & in consilijs pacis contineret.

20. Protracta solutio stipendiorum tumultus excitat.

Secundò, dicunt ab experientia, quod ex protracta, denegata, aut defrau-

defraudata solutione stipendiorum maximi tumultus,
& desperata militum consilia oriantur, quæ sine duplici
sumptu in summo reipubl. periculo vix sopiri possint.
Tertiò, notant reges bella gerentes tunc maximè in per- 21. Reges ante bellum vires examinare debent.
solvendis stipendijs deficere, quando per Rationem sta-
tus insatiabili ambitione in bella seducuntur, quæ vi-
rium suarum modum multis passibus excedunt; vel
quando distributionem stipendiorum non satis fidis
ministris committunt, vel solutionem in tempora pro-
trahunt, vt effugiant. Quartò accusant in Ducibus belli, 22. Duces avari defraudant milites, & ad hoc artibus vtuntur.
quod pecunias regias aliquando malè profundant, vel
avarè retineant, vel sine æquitate distribuant. 2. Quod
cum præfectis Legionum separatim paciscantur, ne mi-
litibus, ad obtinenda stipendia patrocinentur. 3. quod
rigore justitiæ milites ita terreant, vt promerita stipen-
dia nec petere, nec nominare ausint. 4. quod post di-
missionem & rationes subductas violenter milites co-
gant, talem portionem solutionis acceptare, qualem du-
ces offerunt? 5. quod defunctorum viduis, & orphanis
parum, aut nihil exolutum velint. 6. quod pacta con-
venta cum militibus non decenter compleant. 7. quod
præfectis legionum, tribunis, Capitaneis, Commissarijs,
scribis permittant, vt mille artibus milites impunè de-
fraudent.

Talia putant sapientiores cautè satis observari à 23. Milites curiosè observant sua damna.
militibus, & propter perspectas fraudes, insidias, merca-
turas (vt vocant) sui sanguinis, violentiam paratam, in-
juriam destinatam ad tumultus, & defectiones excitari.

De militum verò excessibus in exigendis stipendijs 24. Militum error in exigendis stipendijs.
sic judicant, quod etiamsi sibi debita justè requirant, hoc
tamen convenienti tempore, & modo facere teneantur.
Si tempore pugnæ arma seponant, solutionem vrgeant,
quod

quod infidelitatis, & proditionis insimulari possint. 2. quod alimenta beneficio regum sibi subministrata in compensationem stipendiorum admittere debeant. 3. quod milites Christiani inexcusabiles sint, qui sine gravissima necessitate tumultuantur, & stipendia sua saluti publicæ præferunt.

25. Remedia errorum tam militũ, quàm Ducum.

His erroribus Regum, Ducum, & militum præsens erit remedium, si vtrinque pacta sine dolo serventur. sicut justum est, vt miles stipendio suo contentus sit; ita injustissimum est, si mercede sanguinis sui à Ducibus & superioribus dolosè privetur.

26. Milites qui optimi.

De præstantia, & delectu militum varium est judicium. Antiqui Asiaticos milites contemnunt, quia molliores sint, & impares ad belli molestias. Africanos parum æstimant, quod æstu solis ad otium stimulentur, & sanguinis paucitate laborent. Europæos ferè omnes laudant, & maximè septentrionales, quos cœli asperitas induratos reddit. Turcæ suos milites omnibus alijs præferunt. Christiani passionibus ducuntur, cum quælibet natio de valore suorum militum ita superbè glorietur, vt alios præ se contemnat. Qui verò longo rerum vsu sapientiores sunt, constanter judicant, illos milites esse optimos, & præstantissimos, qui à juventute in armis exercitati, molestijs, & continuis periculis assueti, habitum, & scientiam veræ militiæ acquisiverunt. Rationem reddunt, quod nec cœlum, nec natio, sed continua exercitatio militem faciat. nemo enim illam artem exercere veretur, quam se benè didicisse confidit. Neque Romani hostes suos devicerunt, quia Romani erant, sed quia Duces, & milites exercitatissimos habebant. Hoc loco vellem considerarent superbæ nationes, alias temerè vituperantes, quantam suæ gloriæ injuriam inferant.

27. Turcæ milites.

28. Expertus miles optimus.

29. Nationes non faciunt milites, sed experta virtus.

30. Cautio ad superbos.

rant, cum ab ijs quos vilipendunt, turpiter cæduntur. nam ipso facto se illis esse viliores produnt, à quibus superantur. Qui hostem ferit, miles est.

31. Delectus militum.

In delectu militum omnes ferè consentiunt, quod internus, & subditus præferendus sit externo, & auxiliari. 2. quod juvenes, robusti, veloces, liberi, & minus vitiosi eligendi sint. 3. quod voluntarij coactis præstent. 4. quod diversitas religionis periculosa sit, & devitanda. 5. quod nobiles, & generosi potius, quàm plebei, opifices, vel agricolæ assumendi sint. quia hos pauperies aut abjectior animus deprimit, illos gloria ad fortia quæque accendit.

32. Nemo invitus ad bellum trahendus, nisi necessitas cogat.

Hoc insuper in delectu militum Christianorum observandum, quod nemo invitus ad bellum trahi debeat, nisi quando extrema necessitas reipubl. id requireret. quia tunc viritim omnes apti ad arma exire, & pugnare tenentur; imò ipsi religiosi arma induere possunt.

33. Finis militum qualis.

Et quia milites Christiani voluntariè ad bella veniunt, de fine, quem intendere debeant, vt feliciter militent, pauca subjungere volui, quia ab omni gradu in electione finis vehementissimè peccatur. Aliquando enim ipsi Duces augmentum status sui, vanam gloriam, & divitias sibi pro fine statuunt. Præfecti legionum, tribuni, Capitanei plerunque in avaritia explenda finem suæ intentionis collocant. Nobiles profitentur, se ideo arma suscipere, vt majorum vestigijs insistentes honores acquirant. Plebei ferè omnes in bello otium quærunt. Multi privatam vindictam sibi proponunt. Alij, libertatem dissolutæ vitæ sectantur. Et non desunt, qui prædas, latrocinia, & furta intendant. omnes autem suæ intentionis judicem habent conscientiam, & ex illa suum errorem facilè dignoscunt.

34. Finis militis Christiani. Vt ergo Christianus miles cujuscunque gradus finem armorum certum, & salutarem eligat, hoc requiro, vt in justo bello principaliter gloriam Dei sibi proponat; secundariò per fidele obsequium, & generosa facinora promotiones, honores, dignitates, & divitias in mensura Christianæ cõscientiæ intendat. quia sic honores cum salute conjunget, & sine hac intentione vtrumque amittet. qui malum finem proponit, de perditione metet.

PVNCTVM V.

De Duellis.

PRæsentio non sine bello mihi hoc duellum fore. quia magni aulici, & milites, ac vtrisque blandientes Politici duellum omninò licitum volunt, ego illicitum esse defendo. Vt ergo hoc bellum in pacem veritatis resolvatur. arma rationis vtriusque partis in apertum campum producam, & justi judicis sententiam interpellabo.

1. Aulicorum argum. 1. pro duellis. Aulicorum, & militum rationes sunt. Prima, quia duellum suscipitur pro defensione vitæ, & honoris. hæc autem defensio omni jure licita est, ergo & duellum. Secunda (Argum. 2.), quia suscipitur ad arcendam, aut vindicandam injuriam, vel ad tuenda bona. quę cum licitè fiant, etiam ipsum duellum licitum esse debet. Tertia ratio (Argum. 3.), quia si duellum non esset licitum, viri illustres, & nobiles provocati cum perpetua infamia cogerentur omnem injuriam pati, & debitam existimationem negligere. Quarta (Argum. 4.), quia bellum est licitum. ergo & duellum.

2. Duella sunt illicita, & quare. Rationes verò eorum, qui duella illicita esse defendunt, sunt hæ. Prima, quia duella ab Ecclesia prohibentur,

tur, illa autem exercentes, & reges permittentes, amici consulentes, & astantes spectatores excommunicantur. ergo verè illicita sunt, quæ tam gravibus pœnis condemnantur. Secunda, quia duella sunt contra jus divinum, quod privato non concedit vindicare injurias, aut occidere. Ratio 2. Tertia, quia sub gravissimis pœnis de jure civili ab Imperatoribus, & Christianis Regibus defenduntur. Ratio 3. Quarta, quia duella offendunt pacem publicam, & illis permissis nunquam vacaret cedibus respub. Ratio 4. Quinta, quia si duella essent licita, cessaret forma justitiæ in Republ. cum quilibet sibi jus diceret, injurias inferret, vel vindicaret. Ratio 5.

Hæ sunt præcipuæ rationes partium, de quibus, vt judex certius decernat, necessarium videtur distinctè explicare, quale sit duellum, quod hic controvertitur.

Est ergo hoc loco duellum singulare certamen duorum ex pacto, in quo est persona provocans. 2. persona provocati. 3. vtriusque partis secundi. 4. electi à partibus patrini, seu defensores. 5. spectatores pugnæ. 3. Duellum quid sit. Causa verò duelli communiter est accepta injuria, ejusque vindicta privata, & intentio partium pro defensione honoris adversarium occidere. 4. Indentio duellantium.

Persona provocans est, quæ offert duellum, ne vir nobilis acceptam injuriam non vindicans infamia notetur, quæ illi morte gravior esset. Provocatus est, qui vitam & honorem defendit, ne inter nobiles, & milites existimatione cadat. 5. Duelli respectus. Secundi vocantur, qui æquales numero, & armis parati veniunt, vt vel ipsi decertent, vel deficientis partis vices subeant. 6. Secundi. Patrini sunt electi à partibus judices, qui de æqualitate armorum, loci, & temporis decernunt, & quando satisfactum honori, pugnam interrumpunt, partesque conciliant. 7. Patrini. Spectatores

tores sunt, qui malo desiderio videndi pugnantium valorem, & finem ad duella veniunt.

Ex his personis formale constat duellum, de quo hic agitur, an licitum sit? superest, ut audiamus judicem.

8. Deus judicat duellum esse illicitum. Æquissimus Judex est Deus D.N. qui privatam vindictam nemini concedit, qui irascentem fratri suo reum facit judicio. qui inimicos docet diligere. qui gladio ferientem gladio vult perire. qui malum in bono docet vincere, & nemini malum pro malo reddere. ergo certissima consequentia infertur, quod Deo judice duellum Aulicorum sit illicitum. 9. Ecclesia damnat duella. Secundus Judex est Ecclesia Dei, quæ duella illicita pronunciat. 10. Ius civile prohibet duella. Et tertius est, ipsum Jus Civile, quod gravissimas pœnas duellis statuit. ergo in omni judicio duellum illicitum esse declaratur. quia divinis, & humanis justitiæ legibus contrarium est. 11. Inductione declaratur, quare duella sint illicita. Hoc probatur inductione. quia provocans alium ad duellum vindictam privatam assumit, se & proximum sine causa publica vitæ periculo exponit, contemnit leges, & se ipsum judicem constituit. Provocatus per rationem status præfert suum honorem Deo, & justitiæ. Secundi gravius delinquunt, quàm ipsi auctores duelli, eò, quod non offensi in mutuas cædes conspirent. Patrini judicium acceptant in actione omni jure prohibita. & spectatores in mala consentiunt, cum cædes, & pugnas non impediunt. ergo omnes duella exercentes, juvantes, & spectantes divinis, & humanis legibus adversantur, & per consequens ipsa duella illicita sunt.

Hac sententia armati respondemus ad rationes aulicorum.

Solutio arg. 1. Aulicorum. Ad primam dicimus, defensionem non esse licitam, quando quis per intervallum ad duellum provocatur,

& per

& per viam juris vitam, & honorem salvare potest. defensio enim debet esse necessitatis, non voluntatis. Deinde ex parte provocantis duellum non suscipitur pro defensione vitæ, sed animo offendendi. ergo secundum ipsos Aulico-Politicos illicitum est. 12. Defensio quando licita.

Ad 2. respondemus, nunquam vindictam privatam esse licitam; multò minus illam, quæ in duello ex pacto proponitur. Secundò non licere injurias arcere per duellum, nisi præsens malitia provocantis, & periculum vitæ necessitatē inducat. Tertiò illicitum esse duellum, quod pro tuendis bonis suscipitur, quando violentia invasoris aliâ viâ repelli, & res conservari possunt. Solutio arg. 2. 13. Vindicta illicita.

Ad 3. negamus viros nobiles infamiâ notari, aut injurijs exponi, si duella recusent. quia hoc faciendo potius eximiè laudandi sunt, eò, quod Deo, & justitiæ legibus obediant, à quibus vera honoris, & infamiæ existimatio dependet. Quod autem aulici, vel milites de statu honoris sui proprium sibi fingunt, & tribuunt judicium, in quo offerentes duella laudantur, recusantes infames habentur, dicimus omninò falsum, erroneum, & infame esse judicium. Solutio arg. 3.

Ad 4. respondetur, sicut non omne bellum, sed solum justum, & necessarium licitum est, ita etiam duellum sine publica causa, & inevitabili necessitate ex pacto susceptum illicitum esse. Solutio arg. 4 14. Bellum licitum.

Superest nunc referre casus, in quibus duellum licitum esse possit. Et primò communis est Theologorum, & Jurisperitorum opinio, quod duellum necessarium ad salvandam vitam ab actuali invasione insidiatoris sit licitum. quia melius est, vitam ab actuali invasione insidiatoris cum mortis periculo defendere, quàm certæ, & injustæ occisioni sine defensione locum dare. 15. Duellum quando sit licitum.

Secundo licitum pronunciatur duellum, quando princeps justum gerens bellum, vt statum suum, & rempubl. minori periculo conservet, hosti duellum offert, & sic bellum in duellum convertit. quia tunc salus publica sufficiens causa ad periculum mortis subeundum esse videtur. Tertiò, quando miles provocat, aut provocatur, vt pro honore exercitus in duello decertet, tunc ob publicam causam duellum conceditur, vt bellum alacrius promoveatur, hostes deterreantur, & alij milites animentur.

16. Bellum in duellum licet convertere.

Ad hos tres casus invito omnes vanos mundi aulicos, & milites, qui in duellis solis gloriam suæ fortitudinis constituunt, vt quando hostis præsens mortem intentat, tunc viros se exhibeant. quando salus publica periclitatur, tunc in aciem præ alijs procedant. Sic enim veræ virtutis, & fortitudinis gloriam promerebuntur, & illam, quam prætendunt ex denegato duello infamiam gloriosè effugient, cum in facie duorum exercituum pro causa publica pugnare non recusant.

17. Qui vult videri fortis, ante exercitum pugnet.

PVNCTVM VI.

De pace, ejusq; speciebus.

TAm est excellens bonum in Republ. pax, vt propter illam summum in rebus humanis malum, bellum suscipiatur. Vnde finis belli pax censetur. Tam est necessaria, vt sine illa nulla respubl. nullum regnum, aut societas diu subsistere possit. Tam est vtilis, honesta, & dulcis pacis memoria, vt ab omni hominum genere nihil ardentioribus votis exoptetur, nihil majoribus studijs acquiratur, & nihil in altiori pretio habeatur.

1. Pacis necessitas, & commoda.

Hoc

Hoc ita verum omnes ſentimus, & experimur, vt ad ſolum nomen pacis animi noſtri in gaudia ſummi boni transferantur. Hoc etiam ipſa infinita Dei bonitas abundanter confirmavit, quando nobis pro teſtamento pacem reliquit. Vt ergo tanto bono in Republ. Chriſtiana ſecurius fruamur, propoſui breviter indicare, quę pacem conciliare, & conſervare; impedire & ſubvertere ſoleant. 2. Pax Teſtamentum Chriſti D.N.

Quod vt clarius ſuccedat, pacis ſpecies varias referam, & de ſingulis quantum ad inſtitutum conveniens erit, diſcurrendo agam. Et primò eſt quædam pax interna, & ſpiritualis ſoli menti inhærens; quædam verò externa corporis, & fortunæ bona reſpiciens. Deinde eſt pax publica, alia privata. Tertiò eſt alia vera, alia falſa. Quartò eſt pax cuique regno, aut Reipubl. propria, & intrinſeca; alia cum exteris compoſita. Quintò eſt pax juſta, & honeſta; eſt aliqua iniqua, & turpis. Eſt etiam ſextò alia pax temporalis, & mundana; alia cœleſtis, & æterna. 3. Pacis variæ ſpecies.

Pax interna eſt illa tranquillitas mentis, quam homo Chriſtianus acquirit, ſuam voluntatem in proſperis, & adverſis ita divinæ diſpoſitioni conformando, vt ſe neglecto de omnibus æquali facie Deo ſuo gratias agat. hanc pacem obtinet, cum in recta fide, & conſcientia pura ſervat mandata Dei, juſtè, piè, & ſobriè vivit, in patientia animam poſſidet, neminem offendit, inimicos diligit, omnium ſaluti conſulit, & omnia ſua ad Dei gloriam dirigit. De hac pace ſpirituali ſcio Politicos mundanos nullam mentionem admittere, ſed quia hæc eſt reale fundamentum ſolidæ felicitatis temporalis, & æternæ, ego illam principi Chriſtiano ſupra omnia pacis deſideria commendo, & ſine hac interna pace nihil illi 4. Pax interna mentis. 5. Politici contemnunt pacem internã.

illi securum promitto. non est pax impijs. justus in pace vivit.

6. Pax externa. Externa pax est illa, quam cum alijs habemus. hanc acquirimus perfectissimè, cum regulam naturalis æquitatis observamus. quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Pro hac pace tuenda, & conservanda conscriptæ sunt ferè omnes divinæ, & humanæ leges. quia in hac mutua pace singulorum, consistit salus Reipubl. Et ideo Christiano principi maximè vigilandum, vt cum subditis, & inter subditos per viam rectæ rationis, & justitiæ secundum Deum hanc externam pacem teneat, promoveat, & conservet.

7. Pax publica. Pax publica est vniversalis securitas, de cujus bono gaudent omnes in Republ. hæc maximè consistit in bono regimine Principum. Cum enim illi juxta leges sanctas & avitas consuetudines provincias suas justè gubernant, virtutibus præmia, vitijs pœnas decernunt, & exteros ad bella non provocant, hostilitatis causas prudenter præscindunt; ambitioni alijsque passionibus justum moderamen adhibent, & sub divina protectione publicum bonum privato præferunt, hoc agunt, vt ipsi principes, & subditi incomparabili pacis publicæ dulcedine & securitate fruantur. 8. Pacis publicæ fructus. Sub hac pace floret pietas, & religio; surgunt alta regum palatia, crescit ærarium, ditescunt regna, ornantur Civitates, mercaturæ libertas datur, sub hac securè gaudet populus, lætatur agricola, confidit extraneus, non insultat miles, & omnes sine timore domi, & foris quietè vivunt, suisque negotijs attendunt. Hìc velim observent principes, & subditi, quando sine justissimis causis pacem publicam malè gubernando, aut seditiosè rebellando violant, quantum bonum impediant, & quantis malis se ipsos objici-

objiciant, vt vel ſic pacis conſilijs inhærere, & bella fugere diſcant.

Privata pax eſt illa, quam vocamus ſingulorum. Hæc licet à pace publica vt plurimum dependeat, tamen in bona aut mala diſpoſitione cujuſque hominis fundamentum habere videtur. Sunt enim pacifici, qui in Deo pace interna fruuntur, & cum omnibus pacem habere conantur, & filij Dei vocantur. Sunt alij, qui nec pacem mentis habent, nec alijs pacem permittunt, & rectè filij Diaboli vocantur; vtrique autem ſui boni, & mali authores ſunt. Vnde illud Spiritus S. veriſſimum eſt. inquire pacem, & proſequere eam. quaſi dicat, ſi deſideras pacem, quære illam, & invenies; ſi lites, & bella quæris, multiplicabuntur tibi mala, diſcordijs conſumeris. Tantum ergo quiſque pacis privatæ conſequetur, quantum intus, & exterius de pace ſeminaverit.

9. Pax privata.

10. Pacifici vocantur filij Dei.

11. Filij diaboli.

Pax vera eſt, quæ neſcia doli in conſtanti veritate fundatur. Talis eſt, quam Chriſtus D. N. nobis reliquit, & dedit, non quomodo mundus dat, ſed in veritate. Hanc amplectimur, & poſſidemus, quando in charitate perfecta cum Deo, & hominibus ambulamus. Per hanc ſecura via deducimur ad æternam pacem, cujus non erit finis. ſine hac pace Chriſti corruit omnis humana prudentia. & quæ Politicis ſolida, & vera videtur, vacua eſt & inanis. Nam licet mundi ſapientes veram Reipubl. pacem in eo conſtituant, quod inter partes acta, & concordata juramentis, ſcriptis publicis, ſigillis, & teſtimonijs, firmiſſimis humanæ ſecuritatis vinculis, communita ſint, errant tamen à vero, cum per Rationem Status Deum à ſuis conſilijs excludant. quia niſi Dominus ædificaverit domum pacis, & conſilij; in vanum laborant, qui ædificant eam.

12. Pax vera.

13. Idoli error.

14. Pax falsa. Falsa pax est, quam humana calliditas ad speciem effingit, vt securius lædat. hæc fundatur in secretis Idoli status, & eò majoris prudentiæ argumentum habetur, quò subtilius à Politicis obnubilatur. Sed quia illa indigna est, quæ inter Christianos nominetur, attendant justi principes, ne idolum status consulant, aut ejus dolis circumveniantur. non est pax in mendacio, aut duplici corde. finis falsæ pacis est confusio, & interitus.

15. Pax propria Regni. Pacem cuique regno aut reipubl. propriam & intrinsecam dicimus, quam suavi concordia habent reges, & Magistratus cum suis subditis, & hi cum regibus, & superioribus. hæc conciliatur, fovetur, & conservatur mutuo amore, cum reges justè imperant, & subditi filiali timore potestatem à Deo ordinatam decenter venerantur. Dissolvitur autem superbo dominatu, & rebellione populari, quando vel reges injustè suos opprimunt, vel subditi indebita prætendunt. ad quæ vtrinque Idolum status consilia, & arma subministrat.

16. Pax extrinseca. Pax extrinseca est, quam reges, & principes habent cum vicinis, & exteris regibus, vel post bellum, vel post justitiæ definitionem, vel per amicabilem compositionem. hæc consistit in pactis conventis. quæ si honesta sunt, servari debent strictissimè, qui enim pacta violat, pacem destruit, bellum provocat. non meretur pacem, qui pacis media perfidus subvertit.

17. Pax justa, & honesta. Justa, & honesta pax est, quæ ad Dei gloriam directa justis, & honestis conditionibus ita inter reges componitur, vt vtrinque regalis dignitas illæsa permaneat. hæc propria est regum Christianorum, qui jure charitatis, & justitiæ in mutuis actionibus nihil infame, nihil iniquum admittere solent.

18. Pax turpis, & iniqua. Turpis, & injusta pax est, quæ Dei gloriam, & religionem

gionem non attendit, justitiam superbè excedit, servitutem inducit, & partem subactam ad iniquas, impiasque conditiones compellit. atque hæc propria est Gentilium, qui Deum verum non agnoscunt, suæ feritati confidunt, & præter voluntatem suam nihil justum, nihil honestum æstimant: Christiani verò reges nec victi talem pacem acceptare, nec victores ipsis etiam Gentilibus talem imperare possunt. imò mortem potius eligere tenentur, quàm à Deo declinare, & devictorum salutem negligere. quia verum Christianum nec tribulatio, nec angustia, persecutio, aut gladius, neque mors, neque vita, aut vlla creatura separare debet à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu. 19. Pax Christiano digna.

Pax temporalis, & mundana est, quam quilibet in particulari per regulas humanæ prudentiæ sibi comparat; & hæc simpliciter mala non est, quando eò tendit, vt cum omnibus pacem colendo expeditius Deo serviatur. Est autem perniciosa, quando mundani cum mundo pacem ineunt, vt in bonis ducant dies suos, & delicijs sine perturbatione fruantur. Quam hæc pax sit instabilis, fallax & incerta, docet mundi inconstans mutabilitas, & rerum humanarum vicissitudo. Plenissimam cum mundo pacem habebat Rex Balthasar, cum regale convivium in signum potentiæ instrueret, & in medijs delicijs pingente ad parietem manu vocatur ad judicium. Sic dives epulo in abundantia humanæ pacis insperato judicio ad æterna supplicia condemnatur. Pereunt in æternum sine pace, qui relicto Deo mundanam pacem sectantur. attendant sibi athei, qui nihil nisi mundi pacem spirant, docent, & desiderant. 20. Pax Temporalis. 21. Balthasar rex. 22. Dives epulo.

Felicissima omnium pax cœlestis, & æterna est, quæ hominem cum Deo, cum Angelis, & cum omnibus bo- 23. Pax æterna.

nis conjungit; quæ omnem ſenſum exſuperat, & hominibus bonæ voluntatis à Deo promittitur, in abundantia datur, & in ſecuritate æternum continuatur. Hanc pacem Chriſtus D. N. Apoſtolis ſuis, & Eccleſiæ dedit, & pro teſtamento reliquit. hanc Spiritus S. docet inquirere, & qui illam inveniunt, filij Dei vocantur. Ad hanc pacem obtinendam debent Reges Chriſtiani omnia ſua conſilia, actiones, bella, fœdera, & pacta dirigere, niſi cum atheis Politicis ab vltimo fine aberrare, & in humanæ prudentiæ vanitate per falſam Rationem ſtatus, ſeducti perire velint. Pro hac pace militant omnes Chriſtiani adverſus carnem, mundum, & diabolum; ſuſcipiunt Martyres horrenda tormenta; & religioſi voluptates, honores, & divitias contemnunt, voluntati propriæ vim inferunt, mundanis ſtultè vileſcunt, vt in pace Chriſti vivant in æternum. Hanc pacem intelligunt, & conſequuntur, qui ſpiritu Dei ducuntur, & per temporalia ita piè gradiuntur, vt æterna non amittant. Qui verò ex ſecretis Idoli ſtatus publica, & privata adminiſtrant, ad delicias æternæ pacis non perveniunt; à Cœna magna excluduntur.

Volui diverſas has ſpecies paulò latius deducere, vt Chriſtianus Princeps laqueos ſimulatæ pacis Idoli ſtatus facilius devitare, & per veram, juſtam, ac honeſtam pacem temporalem ad æternæ quietis dulcedinem ſecurius viam ſtratam invenire poſſit.

PVN-

PVNCTVM VII.

Quomodo Pax concilietur, & conservetur; impediatur & amittatur?

FUndamentum pacis est mutuus amor. quia amor conjungit animos, parit consensum, & facit habitare simul homines vnius amoris in domo pacis. sine amore syncero nulla pax subsistere, aut diuturna esse potest. Qui ergo desiderat sibi conciliare pacem solidam vel cum Deo, vel cum hominibus, colat, & foveat constantem amorem, & secundum qualitates amoris de bono pacis gaudebit. Hoc sicut in genere verum est, ita in specie de pace publica (quam hoc loco maximè spectamus) certissimum, quod sine amore benè ordinato nec haberi, nec stare possit. hoc ratio naturalis, & moralis tum etiam experientia rerum, & historiæ tam apertè convincunt, vt vero Christiano causa dubij non detur. Extendat autem quantum velit Politicus humanæ prudentiæ subtilitatem, fingat quantum satis osculum pacis, dominetur quantumcunque absolutè, nunquam tamen suo principi, aut reipubl. pacem firmam conciliabit, nisi eundem ita doceat imperium moderari, vt à subditis ametur, & ipse suos paternè diligat. perierunt infeliciter omnes, qui timorem in odio desiderarunt.

1. Pacis fundamentum amor.

2. Nulla securitas in Regno sine mutuo amore.

Conciliatur ergo pax reipubl. verò in virtutibus fundato amore. Conservatur autem observantià legum, & pactorum. Hoc principaliter patet in pace, quam omnes in Deo D. N. exoptamus. quamdiu enim pleno zelo præceptis divinis inhæremus, filij Dei vocamur, & ad osculum pacis æternæ ducimur. cum verò mandata

Dei tranſgredimur, continuo à regno pacis excludimur, & gratia amoris privamur. juxta illud. Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio vobis. Et qui ſervat mandata mea, hic mihi frater, & mater eſt.

3. Pacis media.

Deinde docet experientia, pacem ſingulorum non aliter conſervari, quàm ſi mutua pacta ſine dolo, ſine violentia inconcuſſa ſervent, & à terminis debitæ charitatis non recedant, juſtè agant, juſta ferant.

4. Pax cōſervatur legibus.

Tertiò, quod pax publica regni aut reipubl. conſervetur obſervantià legum, à priori ſic demonſtratur. quia omnes bonæ leges ad conſervandam pacem reipubl. conditæ ſunt. Ergo ſervatis legibus etiam pax conſervatur. Hoc etiam à conſequenti ſatis probatur. quia cum reges fideliter obſervant ea, quę in inaugurationib. ſuis ſubditis promittunt, quæ juramentis ſanctè confirmant, quæ in regnorum antiquis conſuetudinibus manutenenda ſuſcipiunt, & quæ leges divinæ & juſtitiæ, decernunt. raro aut nunquam ſua culpa in pace publica à ſubditis turbantur. Ita quando cum exteris, & vicinis regibus pacta inviolata ſervant, etiam pax externa illæſa ſubſiſtit. Et cum confœderatis pacem ſecurè conſervant, quando debita ſynceritate conditiones adimplent.

5. Pacem publicam promovet fidelitas ſubditorum.

Non aliter ex parte ſubditorum pax publica ſalva conſiſtit, quando regibus ſuis aut ſuperioribus legitimis fidelitatem, & obedientiam debitam præſtant, à periculoſis factionibus & privatis conſpirationibus abſtinent, ſecundum leges patrias quietè vivunt, & juſtitiæ deciſionibus obtemperant. Ergo ſine errore liceat inferre, quod pax publica fundamentaliter obſervantia legum, & pactorum conſervatur.

Proximum eſt, ut quibus modis pax reipubl. Chri-

ſtianæ

ſtianæ impediatur, videamus. Primum, & ſummum impedimentum pacis eſt peccatum. Secundum eſt, vitium principis. Tertium eſt, error populi. Quartum eſt, violentia exterorum. Et quia hæc tam ingens bonum pacis evertunt, ſingula ſeorſim conſiderare, & diſtinctius declarare neceſſarium viſum eſt.

6. Pacis impedimenta. 1. Impedimentum pacis, eſt peccatum.

De primo, quod peccata ſint maximum pacis publicæ impedimentum, certa eſt omnium Chriſtianorum ſententia. Quia peccata provocant juſtitiam Dei ad vindictam, & ipſum auctorem veræ pacis offendunt. In hujus ſententiæ confirmationem docent ſacræ hiſtoriæ, quod Deus ob peccata hominum generale bellum univerſæ carni indixerit, & per diluvium paucis juſtis reſervatis omnes reges, & terræ populos deleverit. Quod etiam Sodomam, & Gomorram Deus igne de cœlo demiſſo propter enormitatem peccatorum vindice manu perdiderit. Sic legimus, quod Deus regna, & Monarchias de gente in gentem, quando peccata erant completa admirabili viciſſitudine tranſtulerit; & quod Saul, David, alijque plurimi reges ob peccata regnis privati, bellis conſumpti, & implicati ſint. Neque deſunt hujus veritatis exempla in hiſtorijs Chriſtianorum. in quibus de Attila hoc conſtanter refertur, quod Deus in pœnam peccati vocarit illum ſervum ſuum, & flagellum, ac nobiliſſima Chriſtiani orbis regna illi ſubjecerit. De regno Orientis, quod propter peccata continuis bellis attritum ſit, & tandem in manus infidelium Turcarum devenerit, nimis vera nobis eſt hiſtoria. Poſſumus ergo liberè concludere, quod peccata non tantum ſint præcipuum impedimentum pacis publicæ, ſed quod juſto Dei judicio ſint cauſa bellorum, & regum, regnorumq; ruina, & exterminium.

7. Peccata impediant pacem quare?

8. Diluvium.

9. Sodoma.

10. Saul.

11. Attila.

Et licet Politici athei pacis bonum, bellorum mo-
12. Politici errant in sua fortuna. tus, conversiones imperiorum, regumque felicitatem ſimpliciter à fortuna, & vanis humanæ prudentiæ conſilijs dependere velint. Non tamen hac impia opinione moventur veri Chriſtiani, nec fortunæ impetum, nec Idoli ſtatus ſecreta reſpiciunt, ſed divinæ providentiæ vniverſum ſtatum reipubl. pacem, & bellum, adverſa & proſpera tribuunt & committunt. quia per infinitam Dei providentiam omnia creata æternis conſilijs dirigi, & per juſtitiam peccata pœnam, non pacem promereri credunt. & ideò ſolis bonæ voluntatis hominibus pax
13. Pax impijs non eſt. Dei promittitur & datur, impijs fortunæ filijs denegatur.

Generale hoc impedimentum pacis ſequitur par-
14. Pacis impedimentum 2. eſt vitium Principis. ticulare, quod diximus eſſe vitium principis. Hoc autem varium eſt. Aliquando enim princeps à vera religione deficit, & ſubditos ad hæreſes compellit; aliquando in recta religione Dei cultum negligit, impiè vivit, &
15. Exceſſus Principum. ſuo exemplo multitudinem perdit, pacem odit, bellum quærit, pacta violat. ſæpè ambitione extra terminos transfertur. & ſecundum affectus indignis miniſtris officia committit, aut juſtitiam non ritè adminiſtrat; aut violenter aut pro genio crudeliter dominatur, aut ſubditis antiqua privilegia, & libertatem adimit, aut eoſdem novis, & inſolitis exactionibus exhaurit. Et quomodocunque in his excedat princeps, ſinguli defectus pacem publicam potenter impedire poſſunt, & ſolent. quod vt clarius pateat, diſcurſum per ſingula vitia deducemus.

De religione hoc certum eſt, tam Gentilibus, quàm Chriſtianis, quod nihil humanos animos efficacius conjungit, aut vehementius disjungit, quàm concordia aut diver-

16. Principis fictio in religione impedit pacem.

diversitas religionis. Vnde rectè sequitur, si princeps ex præceptis Idoli status omnem religionem sibi vtilem fingat, nullam stabilem vita, & moribus profiteatur; vel si ab avita majorum fide leviter resileat, novam hæresin amplectatur, & subditos suos ad eandem quocunque dolo, aut minis compellat, quod hoc ipso facto vinculum pacis præsentissimum (animorum consensum) dissolvat, & se statumque suum varijs seditionum, & bellorum periculis objiciat.

17. Jeroboam.

Legant in sacris historijs Politici, qui per humanæ prudentiæ secreta divinæ providentiæ illudere præsumunt, quàm infelici successu reges Israelis Jeroboam, & alij verum Dei cultum immutarint, quomodo continuis bellis sine vlla pace distracti, regnis exuti, & quàm miserè cum tota posteritate deleti sint. Considerent etiam omnes curiosi, & novitatum amatores, quàm graviter à Deo puniti sint Christiani Reges, & Principes, qui vel hæreses susceperunt, aut politicè dissimulando permiserunt. Omnes experientia & rerum eventus convincit, quod veræ religionis mutationem bella, seditiones, & civiles discordiæ subsequantur. Et ratio est, quia qui de vera religione recedunt, Deum auctorem pacis contemnunt, & ideo justè pacis bono privantur. Vide ea, quæ supra de Religione dicta sunt.

18. Cautio ad Curiosos de mutatione religionis.

19. Principis impietas impedit pacem.

Secundò, si Princeps religionem quidem veram teneat, sed impiè vivat, cum scandalo publicam honestatem offendat, vagam libidinem frequentet, nec Virginis, nec Matronæ castitati parcat, & quod libet, hoc sibi licere pulchrum ducat, raró pacem inveniet, aut diuturnam experietur. quia hoc modo Deum, quem religione confitetur, opere pessimo negat, contemnit, & ad vindictam provocat. Subditorum verò animos ita à se

avertit, vt horror sit memoria principis, & nihil nisi seditiones, & conspirationes meditentur.

20. Ambitio principis impedit pacem.

Tertiò vehementissimè pacem impedit ambitio immoderata principis, cum Regalibus provincijs non contentus, aut subditorum bonis insidiatur, aut ad vicinorum ditiones concupiscentiam extendit. vel tanta reverentia coli desiderat, vt divinos honores sua majestate minores existimet. Ratio est, quia per tam exorbitantem ambitionem conciliat sibi odium populi, exterorum regum diffidentiam, & inimicitias, ac omnium bonorum contemptum. ex quibus certius bellum, pacem nunquam expectare poterit. Non affero exempla Imperatorum, & regum, quos ambitio perdidit, quia hoc exhibet historia; sed omnes principes Christianos rogo, si pacem veram desiderant, legem Dei, & justitiæ terminum ambitioni suæ statuant. qui omnia ambit, omnia perdit.

21. Cautio ad Reges de ambitione.

22. Principis injustitia impedit pacem.

Quartò, grave impedimentum pacis publicæ est injustitia principis. quando erga benè meritos est ingratus, & indignis summa status officia committit. quando Proceres, & Nobiles contemnit, & exteros infames extollit. quando voluntatem suam facit legem; & inferiores potenti dominatu opprimit. quando judicium, & justitiam negligit, ac causam Ecclesiæ, Viduæ, & pauperis non ritè dijudicat. Quia sine legibus justitiæ nulla respubl. ne societas quidem improborum salva consistere potest: & sub injusto principe abundant impunita facinora, quæ regnum, & pacem publicam subvertunt. addo. pax & justitia se mutuò osculantur. ergo injustitia, & violenta oppressio principem ad osculum, & gaudium pacis non admittit. Placeat Christiano Principi hic

23. Voluntas pro lege.

hic repetere paucula illa, quæ de justitiæ virtute à nobis fideliter notata sunt.

Quintò pacem publicam, & ipsa regna potenter 24. Principis crudelitas impedit pacem.
evertit crudelitas principum. Hoc suo exemplo, & exitio docent omnia Gentilium imperia, quæ sicut immani crudelitate parta & elevata sunt, ita pari & majori feritate concussa miserè interierunt. Sic crudeles Assyrios 25. Assyrii.
Persæ ferociores subjugarunt. Persas Alexandri & Græcorum atrocitas in servitutem miseram redegit. & hos 26. Persæ.
omnes Romani suo imperio subjecerunt. Ipsos autem Romanos domestica seu Civilis sævitia perdidit. De 27. Romani.
qua rerum, & imperiorum admirabili subversione valdè vtilis erit lectio Historiæ, quam principi Christiano iterum commendo. Et quamvis crudelitas sanctis legibus omninò prohibita sit, & à Christianis mentibus aliena videatur, quia tamen Idolum status suis arcanis venenis non paucos reges, & principes Christianos in atrociora consilia seducit, ita vt non rara crudelitatis exercitæ exempla historiæ nobis referant, accusabo dolos Idoli, vt 28. Idoli fraudes pro crudelitate Arg. 1.
felicius devitentur. Primò docet ad absolutum imperium necessarium esse rigorem justitiæ, vt omnes subditi intelligant in manu regis vitam suam consistere. Secundò inducit reges ad crudelitatem, vt metuantur. Argum. 2.
Tertiò persuadet regibus, nunquam securum esse regnum, nisi illos è medio tollant, quibus ob benè merita Argum. 3.
sceptra debere videntur; qui ipsis contradicunt, & præclaris virtutibus favorem populi sibi conciliant. Atque per has falsas rationes status Gentilium crudelitatem Christianis mentibus callidè instillat, imò consuetudinem introducit, vt reges in procerum morte, exilio, & interitu delectentur. quod cum summo reipubl. Christianæ damno historiæ nimis verè contestantur. Ne

verò hæc conſilia Idoli radices agant, breviter argumenta reſolvam.

Solutio arg. 1. 29. Crudelitas deſtruit.

Ad primum argumentum repeto, quæ in præcedentibus dicta ſunt, quod ſolus Deus abſolutum habeat imperium, reges autem à Deo dependens, & legibus divinis, ac humanis limitatum. ad hoc vero conſervandum non eſt neceſſaria crudelitas idoli, ſed moderata juſtitia, qua ſubditorum vita in manibus juſti regis ſalva ſit, non ad libitum violenter periclitetur.

Solutio arg. 2. 30. Timor ſervilis.

Ad ſecundum argumentum reſpondetur, Idolum noſtrum tantum tyrannos inſtruere, & ideò ex crudelitate metum ſuadere. Chriſtianum autem principem ita ſecundum Deum debere rempubl. adminiſtrare, vt ob excellentiam virtutum ab omnibus ametur, & ex amore timeatur.

Solutio arg. 3.

Ad tertium argumentum reſpondetur, falſum, impium, & injuſtum eſſe hoc crudelitatis conſilium. contrarium autem omnibus bonis, & ſapientibus probari, quod benè meriti de republ. non crudeliter necandi, ſed magna gratitudine beneficijs, & honoribus compenſandi ſint.

31. Pacis impedimentum violenta ſervitus.

Sextum Impedimentum pacis ex vitio principis eſt, violenta inſolitæ ſervitutis introductio, quæ ſola opinione ſufficiens eſt omnium ſubditorum animos in Principem concitare, & pro libertate tuenda vitam, & fortunas ad arma convertere. Hoc recitant hiſtoriæ, hoc ſentiunt Reges, & Principes, & tamen ab Idolo ſtatus malè edocti inſidias libertati ſubditorum ſtruere non deſinunt; quàm periculoſe, hoc ſæpè exules à Regnis experiuntur. ſi ſervile Regnum ſecuritatem, & diuturnitatem præberet Regibus, non omninò contemnendæ eſſent perſuaſiones Idoli; ſed cum extra dubium

ſit,

fit, quod nullũ Regnum minus ſoliditatis habeat, quàm quod pro voluntate Regis, de vita, de morte, de bonis, & honore ſubditorum diſponit; neſcio quare Reges, præſertim Chriſtiani, de veneno Idoli tam avidè potare velint, vt ſervitutem ſuorum ſectando ſæpius libertatem, pacem, & ipſa Regna amittere poſſint. Exempla non profero. Vnum Turcarum ſervile Regnum ſatis edocet, non quieſcere ſervos, quando aſſerendæ libertatis vel minima ſpes affulget. Neque mirum, quia libertas naturæ humanæ congenita eſt, hanc ſi tentes, erumpit; ſi lædas, furit; ſi opprimas, deſperat, & in armis omnia pericula contemnit. Addo quod licet Reges Gentium dominentur eorum, Chriſtiani tamen valdè moderatis Dei, Eccleſiæ, & Juſtitiæ legibus aſtringantur; ex quibus ſi tranſilire Reges intentent; harmoniam Reipubl. confundere, nobilitatem delere, libertatem tollere, & ſervitutem ſuis imponere ſtudeant, rarò Dei vindicem manum, nobilium arma, & populi furorem effugiant. pupilla oculi eſt homini aurea libertas. hanc nemo inultus tangit. ſic privilegia antiqua ſunt theſaurus ſubditorum, quæ ſi Rex infringat, pacem cum bello commutat.

32. Servile Regnum nunquam diuturnum.

33. Libertas eſt naturæ congenita.

34. Libertatis pretium.

Conſiderent Reges Chriſtiani, qui ſervile Gentilium regnum affectant, ſe divinæ ſubordinationi graduum in humanis vim inferre, & multò glorioſius eſſe nobilibus, & liberis imperare, quàm ſervis.

Septimum vitium Principis pacem publicam impediens eſt, avaritia. De qua quia libro tertio actum eſt, hic ſileo. ſi tamen Principes ſcire deſiderent, quàm perničioſum ſit illis hoc malum avaritiæ, quando per mille cuniculos Idoli ſanguini, ſudori, & reculis ſubditorum inſidiantur, ac quæ non dantur, rapiunt; legant hiſtorias,

35. Avaritia pacis remora.

considerent vicinorum exempla, & insatiabili cupiditati propter bella Civilia (si minus lex Dei moveat) moderamen Christianum adhibeant. Regium est dare, non turpiter accipere. sunt insuper multa alia vitia personæ, quæ pacem evertere possunt. sed de ijs consulendi sunt historici, ad quos curiosos ablego.

36. Regium est dare.

Pvnctvm VIII.

Quomodo error populi impediat pacem publicam?

VT Principum, ita populi vitia pacem Reipubl. impediunt. Et primò quidem peccata populi pœnas belli provocant. Deinde religionum novitas potenter ad tumultus plebem concitat. Tertiò multis nationibus ingenitus videtur inquietus tumultuandi affectus, vt pacem ferre non possint. Quartò communis error populi rebellis inobedientia, pacem evertit. Quintò ambitiosa libertas. Et Sextò super omnia seditio populi Reipubl. pacem perturbat. Accedunt septimò populi factiones, odio, æmulationes, proditiones, privatum commodum; quibus ita allidunt membra reipubl. vel cum capite, vel inter se, vt de bono pacis vix degustare possint. quod vt facilius intelligant Christiani Regum subditi, singulos errores paulò latius declarabo, & quibus artificijs Idolum status populum seducat, ostendam.

1. Populi vitia pacem impedientia.

Dixi in præcedenti puncto ex communi Christianorum sententia, quod peccatum sit generale Impedimentum pacis; ergo etiam peccatum populi est tale. Hoc, vt gentiles prætcream, in populo Judæorum est eviden-

2. Peccata populi pacem evertunt.

evidentissimum. hic enim licet Duces, & Reges haberet mansuetissimos, prophetas veracissimos, leges justissimas, terram lacte, & melle fluentem; videret etiam in necessitatibus appropinquantem sibi Deum protectorem, ejusque continua miracula, & infinitam virtutem, tamen ingratus per peccata promeruit, ut justo Dei judicio regno exueretur, in servitutem gentium abduceretur, & quasi peripsema in Natione dispergeretur. Vide ea quæ in præcedenti Puncto de hac materia generatim dicta sunt. Et si desideras scire, quæ, & qualia fuerint peccata populi Israel, quibus Dei furorem provocarit, pacis solatia amiserit, bellis consumi, & in servitutem abduci meruerit. Lege sacras historias, Prophetarum lamentationes, ingeminatum Væ, væ, & subsecutas Judæorum horrendas desolationes. Oseas inquit. Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundaverunt, & sanguis sanguinem tetigit, propterea lugebit terra, & infirmabitur omnis, qui habitat in ea. quoniam Dominum dereliquerunt in non custodiendo mandata legis; gloriam eorum in ignominiam commutabo. Non populus mihi erit. nihil clarius. si ergo populus quærit pacem, paret bellum vitijs, & erit, quod petit.

3 Judæorum peccata.

4 Oseas

A Judæis si ad Christianos transitum faciamus, inveniemus, proh dolor, graviora esse horum peccata, & ideo justa Dei judicio continuis bellis implicari, & affligi.

De novitate Religionis quàm vehementer & quibus modis animos ad tumultus, & mutationes incitet, pacis consilia impediat, & bellum acceleret, in libro secundo breviter indicavimus. Et quia hujus Argumenti gravissimorum Doctorum libri pleni sunt, & præ omnibus

5 Religionis innovatio mutat statum

bus Rever. Pater Adamus Contzen Soc. Jesu Theologus ejus veritatem demonstrat, nosque Christianos omnes calamitosa experientia convincit, facilem assensum expecto ab omni æquo judice, quod mutatio Religionis animos alterando pacem populi potenter in bellum convertat.

6. Populi inclinatio pacem turbat.

In tertia specie errorum populi dixi esse ingenitum quibusdam nationibus affectum facilem ad motus, & seditiones. Hoc singulariter testantur.

7. Aegyptij inquieti.

Ægyptij, qui ferè nunquam quieti vixerunt, & ex levissimis causis rempubl. cædibus repleverunt. Confirmant hanc veritatem Judæi, qui dum in deserto abundarent delicijs sine labore, continuè contra Duces suos murmurarunt, & sæpissimè rebellarunt. Romanis sanè jam ab exordio vrbis vsque ad culmen, & ruinam imperij, nihil tam familiare fuit, quàm novis seditionibus rempubl. turbare, Reges, & Consules rejicere, novos Tribunos plebis creare, & leges ad libitum condere. Similes passiones malas populorum inveniet sine numero, quisquis historias perscrutari velit.

8. Heretici semper tumultū quærunt.

Neque erraverit, qui hæreticis spiritum seditiosum in octavo gradu congenitum esse dixerit.

9. Malitia humana.

Si causa tam perversæ inclinationis examinetur; sola malitia humana proferenda est. hæc enim vel per invidiam, & avaritiam; odium, vel superbiam, per ambitiones, & falsum de superioribus, aut paribus judicium, ita animos populi in furiam præcipitat seditionum, vt sine ratione in proprium sæviat sanguinem, ruatq; in interitum. Si verò causam tam mali affectus populi mecum Christiana norma metiri placeat. Audi patienter. concludo breviter, veram causam similium passionum in quacunque Natione hominum hanc esse, quod omnes ferè sibi indulgeant, pauci vitijs suis, &

concu-

concupiſcentijs limites præſcribant; pauciores fallax proprium Judicium recta ratione corrigant; pauciſſimi ſummi Dei,& legibus Juſtitiæ alligari velint. Vnde malè accuſatur vitium naturæ, cum id obedientia legum facilè ſuperari poſſit. Timentibus Deum omnia cooperantur in bonum. naturali inclinationi malæ lex Dei præferenda eſt. In pura conſcientia raró Chriſtianus ad ſeditiones ſtimulabitur. ſi natura irritat ad noxios motus; audi Deum tuum, & conſilia pacis; illa tibi pœnas congregabit; hic præmia æterna legitimè certanti conferet, & pacem.

10. Timor Dei.

Quartum vitium populi diximus eſſe rebellem inobedientiam. Atque hæc oritur vel ex ignorantia, vel ex malitia: vtraque autem pacem publicam evertit. quæ ex ignorantia populum malè concitat in ſuperiores inobedientia, magis imputanda videtur Principibus, & magiſtratibus, quàm ipſi populo. Quia illi per concionatores, & juſtitiæ leges populum naturà vagum ad debitos obedientiæ terminos non curant informari. Sed quæ ex malitia procedit inobedientia, vt excuſationem non meretur, ita, quam populus maximè deſiderat pacem, in diuturna bella pervertit.

11. Populi inobedientia impedit pacem.

12. Regum negligentia.

Hoc vt populus Chriſtianus plenius agnoſcat, ad hanc conſiderationem eundem amore pacis invito. Primò, quod quicunque malitioſè rebellis, & inobediens eſt, legitimo ſuo Principi, ordinationi Divinæ reſiſtat, & pœnas non effugiet. Secundò, quod talis inobediens ordinem naturæ evertit; cum illa paucos imperare, multitudinem obedire ſtatuerit. Tertiò, quod populus nunquam impunè ſit inobediens. cum enim principem ad arma compellit, ſuo malo belli incommoda maximè ſentit, Deum vltorem invenit, & continuis miſerijs op-

13. Conſideratio popularis de inobedientia.

14. Inobedientia Deo, & rationi contraria.

15. Inobedientia inutilis. primitur. Quartò, quod non ſit populus, qui verè gloriari poſſit, inobedientiam ſibi benè ceſſiſſe. Aut enim diuturnis bellis atteritur, aut in mala conſcientia horrendum torquetur, aut in metu perpetuo contabeſcit. Et ſi quæ felicitas affulgeat ad occupandum Regnum ſui Principis, hæc eſt omnium calamitatum maxima, quia per injuſtitiam æterno regno Dei privat ſuos auctores.
16. Adami inobedientia. qui pacem amat, ſit Deo, Principi, legibus fidelis, & obediens. Vna inobedientia Adami vniverſum genus humanum affligit; ergo malè populus inſipiens in ſimili peccato ſperat pacem, & felicitatem. non meretur peccatum præmia.

17. Libertas populi qualis. Specioſus valdè eſt quintus error populi, ambitioſa libertas, ad funditus delendam pacem reipubl. non minus potens, quàm facilis. Quia hæc peſtis ex fontibus Idoli ſtatus hauritur, & ſub ſpecie libertatis, populum in æternam ſervitutem peſſundat.

Hujus veritatis argumenta varia in hoc libello noſtro paſſim annotavimus, ad quæ urioſos remittimus, Sufficiat hoc loco, diſtinctio libertatis, quod, nimirum alia ſit Chriſtiana, & juſta; alia ambitioſa, & doloſa. Illa eſt à Deo, ſecundum Deum, certis legibus naturæ hu-
18. Libertas vera, & falſa. manæ generatim conceſſa: hæc ab Idolo ſtatus, & humana malitia doloſè inventa. Illam nemo populo Chriſtiano denegat; hanc omnes boni abominantur. Illa in ſe ſancta libertas ſanctum facit populum, & verè liberum ſub lege Dei ad æternam felicitatem; hæc pacis neſcia populum doloſè in arma, & ſervitutem ſeducit. Si quis ex populo ingenuè quærat, quis ille ſit dolus, qui in libertate ambitioſa accuſatur?

Reſpondeo non eſſe alium, quàm Macchiavelli impunitatem peccandi, & licentiam ab omnia flagitia. hæc ab

ab Idolo ſtatus propinatur populo, vt in poculo inde- 19. Libertas Machiavelli falſa.
bitæ libertatis, hauriat interitum, etiam ſempiternum.
Vt hoc credat integrè populus Chriſtianus, conſideret
mecum, quod Deus omnipotens ab æterno decreverit.
Omnis anima ſubjecta ſit poteſtati. Si ergo anima popu- 20. Deus omnes ſubjecit poteſtati.
li ſubjecta eſt poteſtati, malè liberam ſe pronuntiat, &
ex conſilio Idoli ſtatus imperium juſti Principis ſpernit.
Inſuper Deus ſtatuit vt regibus, ſic populo leges, ſecun-
dum quas regnare, & obedire vult omnes. ſic habet lex.
non occides. non furtum facies. non mæchaberis, &c.
obedite præpoſitis veſtris, &c. Accedunt his leges civi-
les, quæ graviſſimis pœnis capitis prohibent vitia, hoc
nemo ſani Judicij negabit. Ergo aut leges Dei, & juſti-
tiæ nullæ ſunt; aut prætenſa libertas populi damnanda.

Si quis objiciat ex communi axiomate, conſcien- Objectio.
tiam hominis eſſe liberam. Reſpondeo, vt ſupra, hoc Solutio.
ſimpliciter eſſe falſum. quia conſcientia hominis Chri- 21. Conſcientia quomodo libera.
ſtiani alligata eſt certis legibus divinis, & humanis. ergo
non eſt libera. Et licet homo habeat liberum arbitrium
ad benè, aut malè agendum; nunquam tamen benè agit
ſine præmio, aut malè contra leges ſine pœna tempo-
rali, vel æterna. Si itaquè populus Chriſtianus injuſta
libertate pacem ſtabilem exoptat, neceſſariò deteſtabi-
tur falſam illam Idoli libertatem, quæ conſcientiæ, &
vitæ impunitatem in peccatis promittit, & reipub. quie-
tem evertit. Juſtus eſt Deus, & ſtipendium peccati mors. 22. Servire Deo, eſt regnare.
qui libertatem illicitam quærunt, ſervi fiunt peccati, &
mancipia diaboli. Vera libertas hominis Chriſtiani in
hoc conſiſtit, vt liberè ſerviat Deo. hoc vtique eſt re-
gnare.

Sextus error populi pacem Reipubl. ſubvertens, 23. Populi ſeditio.
eſt ſeditio, quæ fit, quando pauci inquieti malis artibus

insuperiores multitudinem concitant. Hoc malum tam est frequens, & vulgare in omni republ. & regno, vt magis de remedio sit agendum, quàm de latentibus Idoli status causis, quibus incautos instruit. Equidem ad evitandas populi seditiones præsentius non occurrit remedium, quàm vigilantia Principis, & prudentia; quà hoc efficiat, vt quisquis certis indicijs seditiosus habetur, vel blandè dimittatur; vel convictus in cinere opprimatur. Ego omnem populum Christianum obnixè rogo, vt historias mundi perlustret, & attendat, quàm miserè perierint simul & capita seditionis, & multitudo seducta. 24. Seditionis fructus. Si fructus seditionis consideretur, est mutua civium cædes, afflictio multiplicata, pacis in bellum conversio, ruina singulorum, & reipubl. devastatio. Cui hæc placent, sponte festinat adinteritum. Si minus moveant exempla horrenda alienæ seditionis, deterreat saltem quemcunque Christianum vindicta Dei, pœna peccati, conscientiæ tormentum, vitæ, & fortunæ incertitudo, famæ jactura, odium singulorum, & inconstantia plebis, 25. Idoli fraudes, quæ omnia seditiosos comitantur. Si Idolum status seditiosis honores, divitias, imperiumq; promittit: Experientia calamitates, servitutem, & mortem producit. non est in peccato præmium, neq; in seditione pax, aut securitas.

26. Populi factiones. Septimum vitium turbans pacem publicam est, quando populus in factiones, odia, proditiones malitiosè transfertur. quod vt omnes prudentes ab experientia concedunt, ita verum est hæc vitia ex invidia alienæ fortunæ, & honoris, ex ambitione dignitatum, ex avaritia & superbia profluere. ex quo fonte quid aliud hauriet populus, quam bellum, & afflictiones?

De factionibus res expedita est, quia cum illæ populi

puli animos in contraria studia dividunt; Rempubl. desolationi subjiciunt, juxta illud. Omne Regnum in se divisum desolabitur. Et ideo Doctor vitiorum Macchiavellus docet Principem suum in aliena hostium regna seminare factiones, hoc est, animorum divisiones, ut inter se collisos cives facilius opprimat. Si ergo populus pacem sperat, à factionibus abstineat necessum est. quia ipsa factio, & animorum discordia bellum præ se fert. Hoc veterum exempla, & propria experientia indubitatum facit. Utinam saperet populus Christianus, & in concordia, ac mutua charitate pacem quæreret. inveniret utique. 27. Omne Regnū divisum desolabitur.

Idem ferè est Judicium de mutuis odijs, & contentionibus Populi; quæ cum natura sua sint proxima incentiva ad bellum, stultum est in illis fundare pacem. non debetur excellens bonum pacis tam fædis vitijs.

Non dissimilis qualitatis sunt superborum ambitiones, quæ sicut in Regibus, ita in populo sunt causa belli, & privatio pacis publicæ.

Proditiones omni Christiano indignæ si pacem reipubl. non penitus turbant, hoc tamen sibi proprium habent, quod proditorem ipsum horrendum crucient, & cujusvis manum, & odium in se provocent. 28. Proditio.

Reliquum est privatum commodum, medium ad evertendam pacem efficacissimum. De quo Romanorum narrant historiæ, quod divitiæ, deliciæ, & proprium commodum Romanum perdiderunt imperium. Hoc experientia passiva satis testatum facit, & ratio demonstrat. quia cum populus publica media, & proventus in privatos usus convertit, rempubl. viribus spoliat, quibus bellum arcere, & pacem conservare deberet. nolo extendere hoc loco discursum, quia aulæ, palatia, digni- 29. Privatum commodum.

10. Veritas odium parit. dignitates vix admittunt veritatem, concupiscentia oculorum nescit terminum, superbia vitæ non agnoscit errores. hæc sapiens intelligit.

Indicavi breviter, quibus erroribus populi, pax reipubl. impediatur. nunc vniversum populum Christianum intimis votis moneo de salute propria, ne in istis vitijs pacem quærat, neve dolis Idoli status confidat. non datur pax impijs.

De quarto impedimento pacis, id est, de violentia exterorum nihil vlterius necessarium videtur, quàm ea repetere, quæ suprà de bello offensivo dicta sunt.

PVNCTVM IX.

An, & quibus mediis Pax inter Christianos Reges conciliari, & conservari possit?

1. Politicorum opinio de pace, quod sit impossibilis. PRudentes seculi Politici putant pacem inter Reges Christianos esse impossibilem, & media nulla dari ad componendam pacem. Primò, quia ab eventu constat, semper inter Christianos fuisse bella, pacem verò nunquam, aut non diuturnam.

2. Bellum quare continuum. Secundò, quia bellum à Deo est ordinatum medium ad castigandum peccata hominum: at verò Christianorum peccata sunt continua. ergo etiam pœna peccati, bellum, est continuum, & pax impossibilis.

Tertiò, quia Deus prædixit fore novissimis temporibus bella, dissensiones, & quod gens contra gentem surget. ergo impossibile est bellum evitare, aut pacis media adinvenire.

Quartò,

Quartò, quia Regum animi tam contraria astrorum influentia, & fatorum dispositione ducuntur, vt impossibile sit cum vicinis regibus pacem conservare.

Quintò, quia Ratio status hoc exigit, vt magni Reges semper sint armati, & quia armati à vicinis justè timentur, semper paratur bellum, & pax vt impossibilis deficit.

3\. Ratio status facit pacem impossibilem.

Sextò, quia ambitiones, libertas Imperij absoluta, elevationes, motus concupiscentiæ, superbiæ, avaritiæ, & vindictæ tam sunt intrinseca vitia Regum Christianorum, vt pacis consilia non audiant, & extra bellum nullam spem vitæ, aut desiderij sui satisfactionem admittant, ergo irritus est conatus pacem tentare, & de ejus medijs laborare.

4\. Regum vitia non volunt pacem.

Sic judicant omnes Idoli status cultores, qui vt Reges in mutua bella per secretos dolos seducant, necessitatem belli persuadent, pacem vt impossibilem rejiciunt. sed non terretur his, aut alijs argumentis verè Christianus Politicus, qui bellum, & pacem secundum Deum penitius considerat, & ideo nec bellum continuum esse necessarium, nec pacem Christianorum impossibilem admittit.

5\. Idoli fraudes.

6\. Pax inter Christianos est possibilis.

Rationes hujus sententiæ sunt evidentes. Prima, si pax inter Reges Christianos esset impossibilis, sequeretur invalidum esse Christi D. N. testamentum, in quo fidelibus suis pacem dedit, & reliquit. sed hoc consequens est falsum, & impium, ergo & antecedens.

7\. Pax est testamentum Christi.

Secunda ratio. Salvator noster Christus Jesus docet Reges, & omnes Christianos mutuam charitatem habere, imò dicit charitatem Dei, & proximi esse summa mandata sua, & superaddit ad perfectionem. Ego dico diligite inimicos vestros. hæc autem mandata vel possibilis

8\. Pax in Charitate fundatur.

bilis sunt observantiæ, vel non. si servari non possunt, arguitur Deus injustitiæ, qui impossibilia mandarit; quod impium est cogitare. Si verum est, quod æterna veritas dixit. mandata mea gravia non sunt, & per consequens servari possunt. ergo etiam pax Regum Christianorum possibilis est, quia in mutua charitate fundatur pax vera. Vnde infero. Charitas Christiana est possibilis, ergo & pax.

9. Pax de charitate procedit.

Tertia Ratio est moralis. Servare pacem, & gerere bellum, sunt actus voluntatis humanæ. Illi autem actus sunt liberi. ergo Reges Christiani tam pacem, quàm bellum eligere possunt. & exinde benè sequitur, quod pax non sit impossibilis, cum à libera voluntate dependeat.

10. Pax est voluntatis.

Ratio quarta est politica. Reges Christiani possunt juxta veram Rationem status regnare. ergo & mutuam pacem conservare. quia vera Ratio status docet Reges secundum Deum in veris virtutibus Rempubl. administrare, & omnia ad Dei gloriam, suam, & subditorum salutem dirigere qui autem sic regnant, bellum ignorant, pacem feliciter inveniunt.

11. Pax oritur ex vera ratione status.

Ratio quinta est de Jure. Omnes contentiones, & causæ bellorum possunt vel amicè componi, vel per justitiæ viam definiri. ergo inter Reges Christianos & bellum devitari, & pax conservari potest. Antecedens probatur. quia ad hoc Deus auctor pacis dedit virtutem justitiæ, vt per illam contradictiones tollantur, & partes ad Judicis sententiam acquiescant. ergo salvum manet consequens.

12. Pacis causa, justitia.

Ratio sexta est ab experientia. Multi Reges Christiani piè, & justè regnantes, pacem conservarunt; ergo pax non est desperandæ impossibilitatis.

13. Pax finis belli.

Ratio septima est à fine bellorum. quia bella susci-

piuntur

piuntur propter bonum pacis, ſi autem pax eſſet impoſſibilis, malè Deus dediſſet ſummum in humanis malum, bellum, pro medio ad pacem, rem impoſſibilem.

Huic ſecundæ ſententiæ plenè ſubſcribo, & ideo argumenta primæ reſolvo. Deinde de medijs ad pacem, quam poſſibilem profiteor, breviter agam; Denique quæſtionem hanc ad ſpeciem deducam, & pacem inter maximè ſibi contrarios reges Chriſtianos conciliari poſſe, demonſtrare conabor.

Ad primum argumentum reſpondetur. quod hiſtoriæ ſatis doceant, quibus ſeculis Chriſtiani Reges inter ſe pacem coluerint, & conjunctis viribus infideles oppugnarint. Vnde ab eventu ipſo negatur ſemper fuiſſe bellum inter Chriſtianos, cum primis ſeculis Chriſtiani Reges conſtantiſſimè pacem mutuam conſervarint. *Solutio arg. 1.* 14. *Reges Chriſtiani pacifici.*

Ad 2. argumentum reſpondetur. Deum non ſolum bellum deſtinaſſe ad punienda peccata hominum; habet enim infinita alia media, quibus quando pro ſua divina providentia vtitur, vt quando famem, aut peſtem immittit, à mutuis bellis liberat. ergo ſine bello peccata caſtigari poſſunt, & tamen pax inviolata permanere. *Solutio arg. 2.* 15. *Bellum non ſolum eſt pœna peccati.*

Ad 3. argumentum reſpondetur. Ex eo, quod Deus D. N. prædixit de bellis in noviſſimis temporibus, non malè ſequi, quod primis ſeculis pacem conceſſerit. imo hæc Veritas manet conſtans, etiamſi continua pax inter Chriſtianos vigeret, & bella in ſolos infideles converterentur. Addo, quod poſt bellum Antichriſti vaticinia divina pacem promittant. ergo pax non eſt impoſſibilis. *Solutio arg. 3.* 16. *Pax in primitiva Eccleſia.*

Ad 4. argumentum dico. hoc eſſe falſum, & impium. quia licet aſtra ad diverſa hominum animos inclinent, non tamen Voluntatem neceſſitant, cum illa à *Solutio arg. 4* 17. *Aſtra inclinant.*

18. Fatum Christianum. Deo libertate donata sit. Fatum autem Christiani aliud non agnoſcunt, quàm divinam providentiam, quæ non ad bellum, ſed ad pacem veram humana omnia ſapientiſſimè diſponit. & de his in primo libro dictum eſt. ergo falſum, & damnandæ impietatis eſt, quod Idoli cultores docent, reges Chriſtianos à nativitatis, & aſtrorum influentia, & vano fato ad bella compelli. Deus pacem

19. Idoli commentum de bello. imperat, natura hominem prorſus inermem producit, aſtra contra Dei ordinem liberæ voluntati vim inferre non poſſunt, & fatum Dei pacem inſtillat; ergo iterum falſum eſt commentum Idoli, quo per ſuos arcanos confidentes regibus Chriſtianis neceſſitatem ad mutua bella perſuadet, vt orbem ſceleribus repleat, pacem evertat.

Solutio arg. 5. Ad 5. argumentum negatur conſequentia. quia non ſequitur. Magni Reges de ratione ſtatus ſemper debent eſſe armati; ergo pax Chriſtianorum eſt impoſ-

20. Bellum ſummum paci proximum. ſibilis; cum omnes Reges poſſint eſſe armati ad ſui defenſionem; & tamen ad bellum offenſivum non progredi. imò politica eſt ratio, quod nunquam pax facilius, quàm ſtantibus vtrinq; dubijs armis, obtineatur.

Solutio arg. 6. Ad 6. argumentum reſpondetur. Reges Chriſtianos ſufficientem potentiam à ſummo Deo habere, vt

21. Regibus ab Idolo illata injuria. auctores tam horrendæ calumniæ juſtè puniant. Si quid tale tyranni Politicorum ab Idolo ſuo docentur, & vſurpant, hoc veros Chriſtianos Reges, qui Dei, & juſtitiæ legibus tenentur, non movet. Poſſunt enim, qui volunt, paſſionibus malis imperare, & ſecundum Deum pacificè regnare. non vitiorum mancipia ſunt Reges Chriſtiani, ſed virtutum cultores eximij.

Poſt reſolutionem Argumentorum contrariæ ſententiæ, de medijs, quibus pax Chriſtianorum Regum conciliari poſſit, videamus.

Primum

22. Pacis medium generale, conversio ad Deum.

Primum generale, & efficacissimum medium pacis est, si Prælati Ecclesiæ, Clerus, Reges, Principes, Nobiles, Subditi, & vniversus Populus ex toto corde convertantur ad Deum Dominum suum, declinent à vitijs malis, ambulent in semitis justitiæ, pœnitentes de præteritis, & obedientes mandatis Domini. Tunc fiet pax in virtute Dei, & abundantia in turribus eorum.

23. Idoli doctrina.

Si Reges, & populus cum Sacerdote hoc medium ex doctrina Idoli rideant, & contemnant, de bono pacis non gustabunt, bellis consumentur, Episcopatus accipiet alter, regna transferentur, & ridebit terribilis Deus in interitu illorum.

24. Ninivitæ pœnitentes.

Ninivitæ extra viam salutis, & legis positi per pœnitentiam seriam iram Dei placarunt, & pacem impetrarunt. ergo multò magis Christiani pœnitentes pacem sibi singulariter promissam consequentur. & si hoc medium negligant, ab ipsis Ninivitis in extremo judicio vehementer impœnitentiæ, & ingratitudinis confundentur. Sine hoc medio vana est omnis humana prudentia, & quodcunquè subtile politicorum ex fontibus Idoli petitum pacis consilium.

25. Pacis medium generale 2. est tollere Impedimenta.

Secundum generale pacis medium est, si Reges, & populus impedimenta pacis à nobis notata, & alia cognita devitent, & à se longe removeant.

26. Impedimenta pacis ex parte Regum.

Si enim Reges Christiani vitia detestentur, in mandatis Dei sui ambulent; religionem, quam profitentur, puram exerceant, & defendant; ambitioni terminos statuant; justitiam inviolatam servent, & administrent; ab Æthnicorum crudelitate abstineant; imperium sibi à Deo concessum non contra leges extollant; subditos non violenter opprimant, aut debita libertate exuant; & turpe regibus malum, avaritiam fugiant, certissimum ex infallibilibus Dei promissis pacis medium invenerunt, & actu possi-

27. Pacis impedimenta ex parte populi. dent. Eodem modo, si populus Christianus declinet à peccatis; si vera religione Deum constanter colat; passionibus malis temperet; inobedientiam rebellem fugiat; indebitam libertatem non sectetur; caveat à seditionibus; si in factiones non transeat; & privatum commodum saluti publicæ non præferat, securus de pace gaudebit cum regibus populus. Ad hoc medium pacis indubitanter obligantur omnes Reges Christiani, & Populus; ad hoc vocantur à Deo; hoc possunt, quando volunt, vsurpare. ergo de medijs pacis nemo verus Christianus hæsitare potest. Pax, & salus à Deo; perditio, & bellum ex nobis est.

28. Pacis mediū 3. vera Ratio status. Tertium medium ad pacem indubitatum est, si Reges Christiani in administratione regnorum suorum veram rationem status sequantur, & observent; falsam autem rationem status, & ejus Doctores, arcanos consiliarios, in penetralia sua non admittant. Quia manifestum est ex ijs, quæ in hoc libello de vtraq; ratione status notata, & probata sunt, quod sicut vera ratio status reges, &
29. Ratio falsa status turbat pacem. populum ad Dei gloriam, & propriam salutem temporalem, & æternam per veras virtutes deducit, ita falsa regna vitijs, bellis, & infinitis miserijs involvat, & per continuos dolos subvertat. Legantur ea, quæ de causis bellorum Puncto primo deducta sunt.

Si tamen Reges Christiani ab Idoli dolosis ministris
30. Consideratio Regibus necessaria de pace. malè persuasi hoc medium pacis in dubium vocent; descendant mecum in hanc considerationem, an vnquam audiverint, legerint, aut viderint bellum, quod ex alterutra saltem parte de falsa ratione status non sumpserit
31. Bellum oritur ex falsa ratione status. exordium? An aliquando pax diuturna fuerit, quæ per funiculos Idoli status ad speciem inventa sit? an non à summo Deo nostro pax tantum hominibus bonæ volunta-

luntatis promittatur, & detur? An in dolo, & figmentis falsæ rationis status sit bona voluntas in Deum, & homines? Si non, quomodo exinde vani filij hominum pacem, excellens Dei donum, sperare audeant? Hæc si regali animi magnitudine reges considerent, medium mutuæ pacis in sua voluntate, & potestate securum habent, & à dubio Idoli liberantur.

32. Pax hominibus bonæ voluntatis.

Considerare placeat secundò, quod Reges omnes in esse, conservari, & potentia à Deo dependeant, ad certas leges, & rationes reddendas de commissis regnis teneantur, juxta illa notissima. Omnis potestas à Deo. Per me Reges regnant. Redde rationem villicationis tuę. quando autem Reges præcepta dolosa falsæ rationis status sequuntur, humanæ prudentiæ vanis inventionibus innituntur, quod tunc Deum à suo statu excludant, fortunam, & imaginarium fatum adorent, & ideo juste bellis continuis affligantur. Si ergo pacem quærunt Reges, persequantur medium oblatum in vera ratione status, invenient abundè. In solo Deo est pax solida, quæ non datur impijs Idoli cultoribus.

33. Deus princeps pacis.

34. Omnis potestas a Deo.

35. Idolum ignorat pacem.

Quartum pacis Christianæ medium est, si Reges Christiani in subortis controversijs ante omnia moderatam tentent compositionem, & in defectu illius, justitiæ decisionem concedant. quod medium vt facilius sit, hic modus proponitur. Invocetur in gravissimis causis bellum præ se ferentibus interpositio summi Pontificis, vt is assumptis alijs Regibus, & viris probatissimis partium controversias, & rationes audiat, examinet, & tanquam communis pater, fons pacis, & zelator justitiæ negotia componat, vel de jure decernat; quæ autem totius orbis Christiani suffragijs ritè conclusa fuerint, per stipulationes, & auxilia aliorum Regum candidè obser-

36. Pacis media 4. compositio, & justitia.

37. Compositionis modus.

38. Papa pater pacis.

 vari

vari paternè procuret. Si autem vna pars decreto tali acquiescere nolit, tunc interpositio tentata nulli nocere, & causa ad priorem statum integra redire debeat.

39. Politici adulatores Regum.

Si dicant Politici Macchiavelli discipuli, hoc medium pacis esse periculosum, & Regibus in magnum præjudicium, si lites suas, pacis, & belli causas summo Pontifici submittant. quia vni parti magis, quàm alteri favere possit, & judicium in Reges non habet.

Solutio objectionis.

40. Politicorum superba vanitas.

Respondeo tales politicos, hostes pacis publicæ, etiam in hoc passu extollere suam prudentiam vanam supra leges Dei. quia illæ jubent in magnis, & gravissimis negotijs sacerdotem consulere, & ejus judicio acquiescere; hi nec Deo, nec Sacerdoti confidunt. quod de periculo favoris prætexunt. gravis est in summum Pontificem calumnia, quasi ille non possit esse ad pacem justus arbiter, cui Deus vniversam Ecclesiam commisit, & qui optimos quosque reges, & selectos viros potest assumere, vt pacem obtineat. De præjudicio vanus est Politicorum metus, quia partes cum reservatione, non ad judicem, sed ad communem Patrem pacis amore accedunt. neque reges ignorant quantum summo Pontifici debeant, & in quibus Judex, in quibus etiam requisitus mediator esse possit. Vt libro quarto notatum est.

Hæc sunt quatuor potiora media, quibus pacem inter Reges Christianos conciliari, & conservari posse profitemur. Prudentiores autem in Christo rogamus, vt ad commune bonum pacis saniora media proferant, & auctorem pacis æternæ Deum pro mercede copiosa invenient.



PVN-

PVNCTVM X.

Quomodo in Germania, & inter Reges Hispaniarum, & Galliæ pax conciliari, ac conservari possit?

OStendimus Pacem Christianorum esse possibilem, & ad illam media proposuimus; superest, vt hæc speculativè vera ad actum deducamus. Tentanda res ardua, pax Germaniæ. hanc vt possibilem probemus, necessum est simpliciter, vt primò personæ dissidentes nominentur; deinde res litigiosæ, actiones, & status controversiæ partium sine passione exponantur; & tertiò Judex, & forma judicij vsitata omnibus aperiatur. 1. Pax Germaniæ est possibilis.

Quod in Germania Monarchicum sit Imperium antiquam Romanorum Majestatem præ se ferens, & hoc ipsum sub vno Imperatore cum consilio optimatum administretur, notorium est. quæ verò, qualis, & quanta sit provincia Germaniæ, omnium oculis patet. curiosos historiæ informant. Harmonia Imperij in Germania se conspicuam reddit in personis, & forma gubernandi. 2. Forma Imperij in Germania. Personæ sunt Imperator electus, septem Electores, Principes Ecclesiastici Archiepiscopi, Episcopi, Abbates; 3. Personæ in Imperio Germaniæ. Principes seculares, Archiduces, Duces, Marchiones, Comites, Barones, Nobiles, Civitates Imperiales, Cives, Rustici, Incolæ. Quæ autem sit autoritas, & potestas Imperatoris in omnes ordines Imperij, & quid ordines Imperatori debeant, hoc ipsa forma juramenti, quam ordinibus, & vicissim Ordines in recipiendis investituris suarum provinciarum Imperatori præstant, dum omnes fidelitatem, & obedientiam strictissimè jurant, satis apertè de- 4. Imperatoris potestas.

tè demonstrat. De antiquissimo Jure Imperij Romani videantur historiæ; & si à tempore Caroli Magni Impe-

5. Carolus Magnus.

ratoris, qui primus Imperium Romanum in Germanos transtulit, consideretur, constat potentissimos quosque Principes Germaniæ ab hoc Imperatore descendere, reliquos cum Saxone subactos, & ad Christianismum reductos. Nota verò Imperij exinde fuit, quod Imperator

6. Nota antiqua Imperij.

absolutum more Christiano in omnes ordines habuerit Imperium, supremum Judicium, decretum belli, & pacis; omnes census, & tributa; omnia telonia, Civitates, Arces, proprietates provinciarum solius Imperatoris erant: & qui nunc magni sunt Principes, ab Antiqua nota Imperatorum ministri, & officiales aulæ fuerunt.

7. Aulici Imperatorum facti principes.

Vnde alij à bello ducendo Duces, alij Magistri Palatij Palatini, alij à comitando personam Imperatoris comites, alij nobiles servi nominati sunt. & ex his Imperatores quosdam delegerunt, qui provincias administrarent, jura darent, civitates, & arces defenderent. Eodem

8. Ecclesiastici quare status imperij.

modo Ecclesiasticis assignarunt plurima bona, vt Ecclesiæ cum dignitate præesse, & religionem Christianam conservare possent; atque ex his assumpserunt optimos quosque in Cancellarios, & Consiliarios. Post hæc in

9. Proprietas provinciarũ manet penes Imperatores.

decursu temporis constituti sunt septem Principes Electores cum potestate eligendi Imperatorem, tres Ecclesiastici, & quatuor seculares; quibus, & plerisque alijs aulæ ministris provinciæ administrandæ in feuda datæ sunt; ita vt penes Imperatorem proprietas illæsa remaneret, ipsi Principes vtile Dominium vsurparent quam diu feloniam non committerent. Tandem inclinante ad periodum imperio authoritas, & potestas Imperatorum valdè mutilata, & Jurisdictio limitata est; ordinibus exemptiones concessæ sunt, telonia data, civitates, &

arces

arces donatæ ſunt. Exinde in tantum crevit principum potentia, vt ſibi judicium, & ſubditorum contributiones arrogarint, Imperatori parum juris reliquerint, & libertatem eximiam ſibi finxerint, & per poſtremas electiones majeſtatem Imperatoriam anguſtis valdè terminis coarctarint, de qua declinatione legi poſſunt conſtitutiones, capitulationes, & acta Imperij. 10. Principum potentia à Cæſare. 11. Imperatoriis authoritas diminuta.

Porro ſciendum & hoc, quod ordines Imperij à proximo elapſo ſeculo diverſæ ſunt religionis. qui in avita Patrum fide conſtantes perſeverarunt, Catholici vocantur: qui Lutheri perverſam ſectam ſequuntur, Lutherani; & qui Calvino adhæſerunt, Calviniſtæ dicti ſunt. De politicis occultis atheis ſpeciem non facio, quia per omnia divagantur, & pro re nata ſibi nomina fingunt. 12. Religiones diverſæ in Germania. 13. Catholici, Lutherani, Calviniſtæ, Politici.

Sunt ergo Perſonæ diſſidentes in Germania Imperator, Principes, Comites, Barones, Civitates, Nobiles, Catholici, & hæretici Lutherani, & Calviniſtæ. 14. Perſonæ diſſidentes in Germania.

Videndum nunc eſt, in quo hæ perſonæ diſſideant, quid in lite controverſum ſit, quales actiones foveant, & quis ſtatus præſens ſit controverſiarum. 15. Cauſæ diſcordiarum in Germania Iuriſdictionis.

Vt à capite fiat Principium, de Imperatore hoc ex actis publicis conſtat, quando ſummum judicium vel in Aula, vel in Camera Spirenſi exercet, juſta pronuntiat, & decreta exequitur, quod non tantum partes condemnatæ, ſed potentiores Principes ſeſe opponunt, reviſiones vrgent, ad ipſos ordines provocant, executiones ſuſpendunt, & aut lites immortales faciunt, aut arma minantur. Quando Imperator etiam cum conſilio Electorum contra hoſtes Imperij bellum decernit, & adhoc de lege Imperij ſubſidia Ordinum requirit, aliqui Ordines vt illa ſpecioſè denegare, & contributiones ſuas facere poſſint, cauſas belli diſputant, damna militum prætexunt, 16. Imperatori Principes ſe opponunt. 17. Principes Imperij rejiciunt juriſdictionem Imperatoris.

xunt, & propriam defensionem sibi necessariam allegant. Cum Imperator pro conservanda Majestate Imperij inobedientes, & rebelles justissimè punit, proscribit, & armis expugnat; Ordines aliqui delinquentes excusant, defendunt, & armati resistunt. Vno verbo absolvo. Ab integro ferè seculo Imperatorum majestas, authoritas, jurisdictio, & potestas ab ordinibus in dubium vocata, & vehementer limitata est. Ordines au-

18. Principum Germaniæ exorbitantia.

tem in suis provincijs sese Papas, & Imperatores sufficientes constituunt. Est ergo in lite, quis sit actu Imperator in Germania? An electus, an verò Ordines? Ille legitimam pro se habet electionem, & juramenta obedientiæ sibi præstita; hi exemptiones, & privilegia prætendunt; nomen Cæsaris venerantur, judicium ejus fugiunt, oppugnant.

19. Religionis diversitas causa litium.

Secundò inter ipsos Ordines præter limitaneas lites jurisdictionis, salvi conductus, venationum, & similium, maxima controversia est de religione, de pace religionis, & de bonis Ecclesiasticis.

20. Catholicorum causa.

Catholici jure optimo defendunt suam religionem vt antiquissimam, & hanc omnes Imperatores à Carolo Magno professi sunt; quæstiones de religione ad judicium Ecclesiæ, summi Pontificis, & Concilij generalis referunt.

21. Lutheranorũ nova factio.

Lutherani ordines toto ferè seculo novam suam sectam in provincias introduxerunt, Catholicos expulerunt, Ecclesiæ judicium, & Concilia non admittunt, sacram scripturam solam judicem faciunt, ejus verò interpretationem sibi tribuunt.

22. Calvinistæ tertij in lite.

Calvinistæ sub Evangelij nomine in Germania tertiam Classem litigantium formantes non minus suam religionem subtiliter tuentur, veram asserunt, ob libertatem conscientiæ concedendam volunt, & cum Lutheranis

nis nullum ferunt judicem, nisi suum proprium judicium de sacra scriptura.

Inter has tres Religionum species continuæ sunt Ordinum lites, contentiones, calumniæ, scandala, rapinæ, violentæ invasiones, spolia, relegationes, jurisdictionum confusiones, & dum singuli suam religionem pertinaciter defendunt, non rarò ad arma concurrunt. Decisionem autem de vera religione nemo sperare potest, qui attendit singulas partes proprium sibi judicem eligere.

De pace religionis, quæ post multa civilia bella in- 23. Pax religionis causa bellorum.
ter ordines Imperij anno salutis 1544. 48. & 55. composita est, infinitæ lites ortæ sunt, eo, quod Lutherani præter illa bona Ecclesiastica, quæ ante pacificationem vio- 24. Lutherani non servarunt pacem religionis.
lentia armorum Catholicis extorserant, non servatis pactis ad multos Episcopatus, Abbatias, Monasteria, & Ecclesias manus extenderint, Catholicos contra juratam pacem spoliarint, religionem mutarint, & de restitutione sibi lites moveri noluerint.

Non segnius Calvinistæ, etiamsi legibus Imperij ex- 25. Calvinistæ extra leges violenter rapuerunt.
cludendi essent, in Catholicos sævierunt, & quidquid bonorum Ecclesiæ sibi arrideret, violenter occuparunt. In jus vocati, non responderunt, aut arma decreverunt. Catholici dum paci initæ confidunt, pacta servant, com- 26. Catholici pacis observantes spoliantur.
munem observantiam requirunt, ab vtrisq; spoliantur; ad ordinarium Judicium confugiunt, & pro restitutione metum, minasque armorum referunt. Si pacis conditiones allegent, Lutherani, & Calvinistæ sibi interpretationem assumunt, & se in ea, quæ pro Catholicis inserta sunt, non consensisse fatentur. Si Catholici spoliati 27. Hæreticorum Germaniæ injustitia.
in aula, vel in Camera Spirensi spoliatores in litem vocent, respondent se ad Cæsaris Catholici judicium non

obligari; res controversas non processibus, sed amicabili ordinum compositione terminandas esse. Si verò compositio tentetur, de præterito spolio vix mentionem ferunt detentores, & ita per Ambages conditiones iniquas proponunt, vt omnis interpositio irrita fiat, ipsi in fructu securi permaneant.

28. Bona Ecclesiastica sunt causa controversiarum.

De bonis Ecclesiasticis gravissima est ordinum Imperij controversia, quæ maximè in eo consistit, quod Lutherani, & Calvinistæ prætendunt à tempore mutatæ religionis sibi deberi jurisdictionem in personas, & bona Ecclesiastica suarum provinciarum: & quæ exterius occuparunt, quædam per pacificationem religionis sibi concessa, quæ post pacem per contractus, aut Jure belli, aut ratione status apprehensa, & jam longissimo temporis vsu præscripta esse; & de illis ipsis à Cæsare investituram, sessionem in Comitijs, & vota in consilijs Imperij cum titulo Episcopali obtinere contendunt. Catholici autem contradicunt, & negant ista præsumpta adversæ partis. & cum experientia docerentur elusoriam esse compositionem, ad justitiæ subsidium confugerunt, & supremum Judicem Cæsarem instantissimè supplices pro decisione rogarunt. Cæsar postremis his annis attentis partium exhibitis querelis, actis, probatis, & juribus, tandem in solennissimo Judicio ex ipsis legibus Imperij, & conditionibus pacis religionis justissimam sententiam tulit, & per discretos Commissarios exequi mandavit.

29. Hereticorum jura in bona Ecclesiæ.

30. Catholici justitiam implorant.

31. Edictum Cæsaris de bonis Ecclesiæ.

32. Lutherani cũ Calvinistis oppugnant edictum Cæsaris.

Lutherani videntes per dictam sententiam sibi restitutionem illorum bonorum Ecclesiasticorum imponi, quæ post pacificationem religionis quocunque colore occupassent, Primò scriptis sententiam Cæsaris, deinde modum executionis impugnarunt, & cum non admo-

admodum proficerent, cum Calviniſtis ſeſe conjunxerunt, confœderarunt, & exterorum auxilia pro tuenda poſſeſſione, & libertate poſtularunt, obtinuerunt, exercitus conſcripſerunt, & armati contra Cæſaris edictum poſſeſſionem ſuam defendunt, imo reliquas Catholicorum provincias hoſtiliter invadunt, & diſtribuunt.

Atq; hic eſt ſtatus Controverſiæ ordinum Imperij 33. Status Imperij.
à ſeculo proximo vſque in præſens. qui vberiorem relationem requirit, legat acta, & judicet. hæc pro meo inſtituto ſufficiunt. Reliquum eſt, vt de Judice controverſiarum, & forma judicij breviter agamus.

Judex ſupremus ſecularis in Germania eſt legitimè 34. Imperator eſt ſupremus Iudex.
electus Imperator. quia ad ejus judicium vel in aula, vel in Camera Spirenſi omnes cauſæ ſecundum ſuas qualitates in prima inſtantia, vel per viam appellationis devolvuntur. hoc probant evidenter exemptiones, & privilegia Ordinum Imperij in eo, quod illa à ſolis Imperatoribus obtinuerint, quod fieri non potuiſſet, niſi Imperatores ſupremi Judices Ordinum fuiſſent. Deinde hoc ipſum apertum eſt in forma Judicij Cameralis, & aulici, in quibus ſolus Imperator, & non alius Judex audit, cognoſcit, decernit, exequitur. Adde, quod ex antiqua nota Imperij valde abſolutum in omnes Ordines, & ſubditos Imperatores habuerint judicium, & quod non conſtet, quando hoc ſit abrogatum.

Quod Ordines noviter objiciunt, per capitulatio- Objectio ordinũ Imperij.
nes electionis judicium Imperatoris in graviſſimis Principum cauſis ad conſilia Electorum, & comitia limita- 35. Imperatorum reſtrictio per Capitulationes.
tum eſſe, non omninò negatur; ſed inde non ſequitur. ergo Imperator non eſt ſupremus judex, quia tenetur vti conſilio Ordinum. Cum omnes Reges ab exordio mundi in rebus Arduis adhibuerint conſiliarios, &

tamen Judices ſupremi permanſerint. Vtuntur Reges ex doctrina Spiritus ſancti conſilio ſapientum, vt benè judicent, non vt Judices eſſe deſinant. qui de Imperatore aliter judicant, non ſine crimine Judicium merentur.

36. Papa Iudex in Eccleſia. Judex ſupremus in Eccleſiaſticis, ſi Perſonæ conſiderentur, eſt ſummus Pontifex, & ab illo in diſtinctis provincijs ſubordinati Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Prælati ſibi commiſſa adminiſtrant, judicant. Si bona ſpectentur, pro qualitate illorum judicium ſortiuntur, ita vt Eccleſiaſtici ratione feudorum imperij Judicem habeant Imperatorem, in proprijs ſummum Pontificem.

37. Judex Religionis eſt ſummus Pontifex. In controverſijs autem fidei, ſeu religionis vt omnibus Chriſtianis, ſic Germanis indubitatus Judex ſupremus eſt Eccleſia Dei, & illam adminiſtrans vicarius Chriſti in terris ſummus Pontifex. neque hìc attendendum, quod multi ordines in Germania Eccleſiam, & ſummum Pontificem pro Judice non agnoſcant; quia etiam jus in invictos redditur. Chriſto dederunt nomen. ergo ſub Chriſto, & ejus vicario ſunt.

38. Forma judiciorum in Germania. De forma Judicij in Germania non eſt difficultas, omnibus ſe conſpicuam exhibet, nec eget explicatione. Conſtitutiones, & leges Imperij ſunt ipſa forma judiciorum.

Abſolvimus quod initio hujus Puncti de perſonis, rebus, & judicijs in Germania præmittere neceſſum duximus; conſequens eſt, vt inter partes tam ingentes contradictiones, tam diverſas religiones, intentiones, motus, & bella foventes pacem conciliari poſſe oſtendamus. Verè res ardua hæc eſt, attamen ſine vana præſumptione in Deo poſſibilis, non deſperanda.

Ratio

Ratio prima, quare pax in Germania poſſibilis prædicetur, eſt, quia impedimenta pacis in ſuperioribus enumerata tam in ipſo Imperatore, Principibus, & Ordinibus, quàm in populo amoveri poſſunt. ergo Pax eſt poſſibilis. Antecedens probatur, quia omnia illa Impedimenta pacis, hoc eſt, vitia principum, & populi ſunt actus liberæ voluntatis, qui ſicut exerceri, ita omitti poſſunt; nemo enim impellitur, vt malè agat, ſi conſtanter nolit. ergo pacem impedientia virtute voluntatis liberæ devitari poſſunt. Accedit communis obligatio Chriſtianorum, qua ſeveris Dei legibus ſub pœna æternæ damnationis à peccatis, & vitijs pacem impedientibus abſtinere jubentur. Germani autem ſunt Chriſtiani. ergo quæ poſſunt; etiam obligantur, impedimenta pacis longè rejicere.

39. Pax Germaniæ quare ſit poſſibilis.

40. Voluntas hominis eſt libera ad pacem, & bellum.

Ratio ſecunda eſt, quia media pacis ſuprà declarata ſunt in Germania poſſibilia. ergo & pax poſſibilis. Probatur antecedens inductione. Primum Pacis medium eſt, converſio ſyncera ad Deum, abſtinere à peccatis, & facere bonum. Hoc medium requirit Deus; hoc omnes Germani tam hæretici, quàm Catholici docent, & approbant. ergo poſſibile exiſtimant. Secundum medium in prima Ratione deductum eſt. Tertium medium Pacis eſt, obſervantia veræ Rationis ſtatus, & exilium falſæ. ſed in Germania poſſibile eſt in regendo ſequi veram Rationem ſtatus, falſam ab Imperio relegare, ergo & per hoc medium Germanis pax eſt poſſibilis. Aſſumptum eſt legis Divinæ, & omnes Principes Chriſtiani veram Rationem ſtatus profitentur, falſam deteſtantur, ergo eſt poſſibile. cum impoſſibile non cadat in legem. Quartum Pacis medium eſt amica compoſitio, via juſtitiæ, & interpoſitio ſummi Pontificis cum aſſum-

41. Pacis media ſunt poſſibilia. ergo & pax.

42. Compoſitio amicabilis.

ptis

ptis Regibus. Atqui hoc etiam eſt poſſibile in Germania. ergo & finis medij, Pax eſt poſſibilis. Probatur aſſumptum. quia compoſitio licita omnibus Ordinibus placet, & ſemel ſucceſſit. Via juſtitiæ eſt naturalis æquitatis, de præcepto Dei, & de lege Imperij. Modus interpoſitionis ſummi Pontificis eſt facilis, brevis, Chriſtianus, vſitatus, vtilis, & à Deo præſcriptus. ergo & quartum medium pacis in Germania eſt poſſibile. Si obji-
Objectio hæreticorum. ciatur, ordines hæreticos in Germania nunquam velle in ſummi Pontificis interpoſitionem conſentire. Re-
Solutio objectionis. ſpondetur. quod loco ſummi Pontificis alij Reges Chri-
43. Pontificis interpoſitio. ſtiani aſſumi poſſint, qui partes prudenter concilient in rebus ſecularibus; ſalvo ſemper judicio Eccleſiæ, & ſummi Pontificis in negotio religionis, quia hoc in invitos habet, & exercet.

Ratio tertia, quare Pax in Germania poſſibilis exi-
44. Pax Chriſtianorũ eſt poſſibilis. ergo & Germanorũ. ſtimanda ſit, eſt, quia ſupra demonſtratum eſt validis argumentis, pacem Regum Chriſtianorum eſſe poſſibilem, & argumenta impoſſibilitatem arguentia diſſoluta ſunt. ergo & inter Germanos, vtique Chriſtianos, pax conciliari poteſt.

Prætereo brevitatis ſtudio alias rationes, & ad poſſibilitatem pacis Germaniæ in actu demonſtrandam me
45. Cæſaris juriſdictio ſacra. converto. Primo loco de ſacra Juriſdictione Imperatoris gravis eſt Ordinum in Germania diſputatio, & quidem tam vehemens, vt ad bella commoveat. Catholici
46. Cæſareæ juriſdictionis reſtrictio. Ordines limitant Imperatoris Juriſdictionem ad modum legum Imperij. Lutherani & Calviniſtæ illam magis reſtringunt, vt ad negotia religionis, & quæ exinde ſequuntur, non ſit extendenda, hoc eſt, vt non valeat, aut locum habeat, quando in pœnam errorum ſuorum
47. Cæſaris juriſdictio. deberet exerceri. Imperator pro ſe habet jura omnium præde-

prædeceſſorum Imperatorum; titulum ſupremi Judi-
cis, & capitis; habet etiam conſenſum totius Imperij;
obſervantiam continuam; & obligationem juratam Ele-
ctoribus in Capitulatione, quæ cap. 7. ſic refert. Quid-
quid ante hac cuicunque Electori, Principi, Domino, & 48. Cæſaris Capitulatio.
alijs, vel eorum majoribus, & prædeceſſoribus Eccleſia-
ſticis, ſive ſecularibus ſine juſtitia violenter ablatum, &
extortum eſt, tenebimur, & volumus læſum per viam
Juris, & æquitatis juvare, reſtituere, & ſine vllo impedi-
mento, aut dilatione protegere, & manutenere. Tranſ-
tulerunt ergo Electores juriſdictionem ſupremam in
ſuum Imperatorem, & vt illam exerceat ſine exceptione
medio Juramento obligarunt. Vnde ſopiri poſſe vide-
tur hæc ſpecialis controverſia, ſi Imperator per incor- 49. Cæſari dare quod Cæſaris eſt, &c.
ruptos Judices ſecundum leges Dei, & juſtitiæ juriſdi-
ctione ſua vtatur; Ordines autem Imperij dent Cæſari,
quæ ſunt Cæſaris; & Deo, quæ ſunt Dei. Conſiderent
ordines quàm abſonum ſit in auribus totius mundi Ger-
manos habere Imperatorem, & ſupremum Caput ſine
juriſdictione; aut ſi habeat, illam in delinquentes non
debere extendi, vel concedi. Conſiderent 2. qualis fo- 50. Conſiderationes ad ſtatus imperij de juriſdictione Cæſaris.
ret deformitas imperij, ſi caput in membra errantia non
habeat juriſdictionem; & quàm præſens eſſet diſſolutio
totius corporis, ſi membra capiti leges imponerent.
Conſiderent 3. ſinguli Ordines quantam fidelitatem, & 51. Status obligantur Cæſari per juramenta.
obedientiam Imperatori per ſolemnia juramenta debe-
ant; & quid coram Deo in conſcientia Chriſtiana ju-
ſtum exiſtiment, ſibique factum vellent. Conſiderent
4. omnes Ordines conſervationem imperij profiteri, & 52. Statuum inobedientia diſſolvit imperium.
jurare, cum autem Idolum ſtatus adorant, & ex ſuperbia
indebitæ libertatis Imperatoris Juriſdictionem muti-
lant, quod hoc ipſo diſſolutionem & proprium interi-

53. *Platonis periodus.* tum procurant. Si hæc, & ſimilia, quæ prudentiores
non deficiunt, propoſitam controverſiam ad concor-
diam non componunt, Platonis periodum Imperij deſi-
derari, provocari, & jam adeſſe concludo. Fruſtrà agi-
tur de pace, vbi media juſta, honeſta, licita ex lege Dei,
& juſtitiæ non admittuntur.

Secunda controverſia graviſſima eſt de ipſa religio-
54. *Religionis lis decidenda quomodo?* ne, ſed cum hæc Eccleſiam Dei, & ſummum Pontificem
pro Judice habeat, ego alas contraho, & illi judicium
humiliter relinquo. Cæterum conſiderandum Ordi-
55. *Lutheranorũ Interim.* nibus Imperij propono. Primò, quod præter Catholi-
cam religionem ſola Lutherana ad ritum Auguſtanæ
Confeſſionis in Germania vſque ad determinationem
Concilij generalis amore pacis ſit permiſſa; Omnes verò
aliæ, vt Calviniſtarum, Anabaptiſtarum, & ſimilium ſint
prohibitæ; & quod ex illo Imperij ſtatuto Calviniſtæ
56. *Lutherani excõmunicati.* non ſint ferendi. Secundò, quod Eccleſia Dei, & ſum-
mus Pontifex in concilio generali non tantum Calvini-
ſtarum, ſed etiam Lutheranam ſectam publico actu, &
ſententia condemnarit. Tertiò, quod non obſtante
Eccleſiæ ſententia, Imperatores ad conſervandam pa-
cem Germaniæ Lutheranis ſuæ religionis vſum hacte-
nus permiſerint. Quartò, quod Lutherani non ægrè
57. *Lutherani ad Calviniſmũ deflectunt.* admodum ad gremium Eccleſiæ reduci poſſent, ſi in ter-
minis Auguſtanæ Confeſſionis purè manerent, & non
tam turpiter ad Calviniſmum deflecterent. Quintò,
quod ſumma controverſia Lutheranis ſit in ſacramento
Euchariſtiæ, quod hoc à Catholicis non præbeatur ſub
vtraque ſpecie ex inſtituto Chriſti Domini noſtri tam
Laicis, quam Sacerdotibus. Si autem illud ſalutis pun-
ctum ipſis concederetur, quod facilè redirent ad Eccle-
ſiam Catholicam. ſic multi ſentiunt, & magni Principes
loquun-

loquuntur. quod ſi cor, & intentio verbis reſpondeat, 58. Lutheranorũ reductio.
poſſet illis ab Eccleſia Catholica communio ſub vtraq; ſpecie concedi, modo in fide non hæſitent, quod integer Chriſtus ſub vna, ſicut ſub vtraq; ſpecie ſit, atque in hoc ceſſaret controverſia. Sextò, quod Prædicantes, ſeu miniſtri Lutheranorum primaria cauſa ſint, quare 59. Prædicantes Lutherani impediunt pacem, & cõverſionem.
Principes Lutherani ad Catholicam Eccleſiam non redeant, dum illis callidè perſuadent ſuam religionem eſſe veram, & ſalutiferam, armis defendendam, & propugnandam; cum reverà nihil quærant Lutherani miniſtri, quàm conſervando ſibi adhærentes ordines, reliquos Catholicorum Epiſcopatus, & bona obtinere, & in occupatis ſecurè permanere. Septimò, quod ſi Ordines Lutherani reflectendo attendant ad venena Idoli 60. Idoli fraudes.
ſtatus, quomodo illud ambitioni, & avaritiæ ſatisfacere ex alienis bonis cum periculo æternæ ſalutis doceat, & nihil minus præſtet, videbunt facilè ſecuriorem viam ſibi apertam ad retinendos Epiſcopatus, & alios obtinendos, ſi filij, & nepotes ad Eccleſiam Catholicam redeant, & cum præmio ſalutis juſto titulo in Epiſcopos aſſumantur.

His benè conſideratis aperta eſt reſolutio, cum de 61. Eccleſiæ judicium de religione tenendum.
religione lata ſit ſententia ab Eccleſia Dei, Deus autem Publicanum, & Ethnicum proclamet, qui Eccleſiam non audit, & Catholici in puncto cõmunionis cum Lutheranis diſpenſare, Lutherani etiam redeuntes ad Eccleſiam NB.
Epiſcopatus occupatos bono titulo retinere poſſint, quod hæc Controverſia religionis non tantum ſit poſſibilis, ſed etiam facilis compoſitionis. Qui ſuperbierit nolens obedire imperio ſacerdotis, morte morietur.

Tertia controverſia ordinum Germaniæ eſt de pace religionis, ejuſque interpretatione, & Judice, vt ſupra

62. Conciliatio de pace religionis.

dictum eſt. quod autem hæc controverſia componi poſſit, oſtendo. Pax religionis eſt clara, conditiones ejus ſunt expreſſæ, & Judicem habet indubitatum, ipſum Imperatorem. ergo ab omnibus ſervari debet, & non poteſt in dubium vocari, niſi ab illis, qui in fraudem legis aliena rapuerunt, & vlteriorem rapinam ſibi proponunt. Servetur à ſingulis Ordinibus pax religionis inita, jurata, & toties confirmata, & ceſſabit omnis controverſia.

63. Legis contemptor non gaudet de illa.

Qui verò in legem religionis peccarunt, conſiderent ſe in conſcientia Chriſtiana teneri ad reſtitutionem, & beneficio legis non amplius comprehendi: alios autem, qui hactenus pacis, ſeu legis conditiones purè obſervarunt, per violationem alterius partis ab illa abſolvi, & ſic neceſſariò ſequi, aut legem ex pacto ab omnibus ſervandam, aut jam abolitam eſſe. hîc ſiſto. quia in controverſia de bonis Eccleſiaſticis hæc melius dilucidantur.

64. Conciliatio de bonis Eccleſiaſticis.

Quarta controverſia omnium difficillima eſt, de bonis Eccleſiaſticis, vt etiam ſuprà notatum eſt. hæc quomodo componi poſſit, videndum. ſi mihi in libertate Chriſtiana liceat proponere, quod ſentio, Idolum

65. Idolum ſtatus cauſa litium.

ſtatus vt cauſam litis accuſo. Quia ſicut Principibus dulce venenum novæ religionis propinavit, ita illis primatum Eccleſiæ, & bonorum diſpenſationem falſò nimis attribuit. Docuit inſuper legem religionis violare, & bona ablata Catholicis non reſtituere, quia de ratione ſtatus conſervandi, & augendi hoc eſſet neceſſarium; & ſi ordines Lutherani, & Calviniſtæ Catholicis bona ablata reſtituerent, hoſtes ſuos ditarent, & potentiores redderent.

66. Idoli ſanctitas iniqua.

Accedit Idoli ſanctitas, quod ab onere reſtitutionis bonorum detentores abſolvantur in conſcientia, ne, ſcilicet, Catholici bonis abutantur, & ſuæ religioni detra-

detrahantur: atque ideò suasit, non admittere justi Im-
peratoris judicium, & per elusorium compositionis me-
dium possessiones suas perpetuare. sed cum hæc Ethni-
corum potius, quàm Christianorum sint fundamenta,
& inter Christianos sit res controversa, sufficit Idoli frau-
des aperuisse. ego ad partes contrahentes me converto,
& quæro. An Pax religionis cum consensu vtriusque
partis Ordinum sit composita? an juramentis confir- 67. Pax religionis vtrique parti communis.
mata? annon omnes ad observantiam legis æqualiter
obligati sint? an aliquis bona conscientia legem, & pa-
ctum violare possit? an contra juratam fidem aliena ra- 68. Statuum confessio.
pere honestum, & Christianum sit? an judicem supre-
mum rejicere, ne fiat justitia, sit licitum, & sufficiens ef-
fugium? an mandatum Dei de restituendo ablatum non
sit justum? an Deo obedire sit Principibus indignum?
an ablatio bonorum alienorum de jure sit permissa? an
rapina per falsam rationem status coram Deo, & Chri-
stianis justificari possit? Ad hæc singula à Veris Christia-
nis Principibus non aliud, quàm sua dignitate conveni-
ens responsum expecto, & procedo ad speciem. An
Princeps, qui post pacem religionis vnum, aut plures 69. Peccatum furti non dimittitur ante restitutioné.
Episcopatus, vel Abbatias Catholicorum occupavit, te-
neatur ad restitutionem? an si hoc Deo ad aures con-
fessarij fateatur, sine actuali restitutione speret absolu-
tionem? an se liberum in conscientia existimet? an vn-
quam fidelem consiliarium Jurisperitum audierit, qui
fraudem legi factam approbarit, & restitutionem dissua-
serit? super his omnibus provoco ad ipsam conscien- 70. Consideratio ad principes de bonis Ecclesiæ.
tiam Principum, & innatum ipsis regale æquitatis judi-
cium. Oro autem humiliter, vt Christianis oculis con-
templentur, quàm laudabiliter majores sui Ecclesiam
Dei dotarint, quàm turpiter ipsi eandem bonis exuant:

quàm gravem à Deo debeant expectare ſententiam, qui ſpolium Eccleſiæ ſuum æſtimat, & propter injuſtitias regna transfert: quàm indignum ſit principe aliena violenter poſſidere, armiſq; defendere, & quam glorioſum Dei, & juſtitiæ legibus deferre. Audiant Iſaiam dicentem. Væ, væ, qui prædaris, nonne, & ipſe prædaberis? cum conſummaveris deprædationem, deprædaberis.

Si Principes hæc pauca conſiderent, & ad intima cordis penetrare permittant, & Idoli virus conceptum reſpuant, non videtur ratio impediens, quare ex ſolo medio veræ Rationis Status hæc gravis controverſia componi non poſſit. & deſuper ipſorum Principum Chriſtianorum judicium iterum requiro. Poſſunt vtique, ſi volunt, pacem habere. ſi non velint, ſibi imputent futuram ruinam.

Reſtat vltima remora pacis in Germania, confœderatio Ordinum inter ſe, & cum exteris. de cujus compoſitione priuſquàm agatur, declaranda eſt forma confœderationum. quæ ſic habet. Viderunt Calviniſtæ ex arcanis Idoli ſtatus ſuam ſectam in imperio non fundatam, nec ſecuram: viderunt etiam Catholicos de ablatis ſibi bonis reſtitutionem vehementer vrgere, & ne vlterius ſpolientur, diligenter præcavere; ideo vt parta retinerent, & ad majora occupanda potentiores eſſent, ſanctam vnionem ſuæ intentionis ordinum Anno 1609. erexerunt, ſupremum Directorem vnionis Fridericum Palatinum elegerunt, & ſecretiſſima conſilia cum adminiſtratione armorum Triumviris commiſerunt. Vt primo libro latius dictum eſt. Catholici attendentes omnes iſtas machinationes in ſuum caput redundare, & de minis ad arma perventum eſſe, petierunt ab Imperatore veniam formandæ vnionis defenſivæ, qua ſuo modo obten-

71. Confœderatio ordinum illicita.

72. Calviniſtarum vnio.

73. Predericus Palatinus director.

74. Tres vniones in Germania.

obtenta, ſecundam Vnionem Anno 1610. formarunt, & pro ſummo Directore Ducem Bavariæ Maximilianum aſſumpſerunt. 75. Catholicorum vnio. Lutherani ſpectatores aliquamdiu Neutrales fuerunt, & tandem ne in prædam victoribus exponerentur, tertiam Vnionem conſtituerunt, ejuſq; 76. Lutheranorum vnio. ſupremum Directorem Electorem Saxoniæ Joannem Georgium nominarunt, & diverſos exercitus conſcripſerunt, vt ſe ab executione Edicti Imperialis de reſtitutione bonorum Eccleſiæ tutari, & à ſolutione contributionis exonerare, tum etiam ab inſolentijs militum defendere, & patriam libertatem conſervare poſſent.

Hæc ferè eſt extrinſeca forma vnionum in Germania; quid apud ſingulas partes ex ſecretis Idoli intrinſecus lateat, judicet ſcrutator cordium Deus. Hoc in facto conſtat, quod totum imperium (ſolis regnis, & pro- 77. Imperium diviſum ergo diſſolutum. vincijs Archiducum Auſtriæ exceptis) per dictas Vniones in tres partes diviſum ſit: & qui Majeſtatem Imperialem denudatam ab ordinibus & ſubſidijs Imperij in ſolam Auſtriam relegatam eſſe dixerit, non malè judicaverit. Vſurpant ſibi ordines cujuſque vnionis jus armorum, & jus collectandi ſubditos; Imperatori verò nihil præter nomen, & externam ſpeciem relinquunt, ita vt planè impoſſibile videatur membra tam diſſidentia à capite ſuo, & inter ſe ad terminos concordiæ reducere. ſed quia ſinguli propter pacem bella ſuſceperant, tentanda eſt via pacis. Et Primò conſiderent omnes 78. Media pacis vnitorũ cum Cæſare. Principes vniti, quod Regnum in ſe diviſum ex ore æternæ Veritatis deſolabitur, & quod membra ſine capite inter ſe pugnantia colliſione facta ſimul pereant.

Secundò conſiderent, quod omnis ſeparatio membrorum à ſuo capite ſit mortalis, injuſta, lege divina, & humana prohibita.

Tertiò,

Early European Books, Copyright © 2012 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of the Biblioteca Nazionale Centrale di Firenze.
CFMAGL 2.6.130

79. Rationes ad pacem.

Tertiò, quod singulæ vniones ad effectum suæ intentionis exteros Reges in auxilia provocare soleant, à quibus postmodum vel subjugantur, vel precariam administrationem difficulter obtinent.

Quartò, quod licet omnes vniti conservationem Imperij profiteantur, id ipsum tamen per vniones actualiter dissolvant.

80. Vniones dissolvunt Imperium.

Ex his considerationibus proponitur vnitis Ordinibus hæc formalis quæstio. An verè singuli intendant conservare imperium? si affirmant, cessare debet omnis vnio, separatio, membrorum mutua discordia, & motus civilium armorum. quia per hæc omnia regna dissolvuntur, nulla conservantur. si negant, expedita res est, dissolutio Imperij, nisi divina providentia, vt solet, aliter disponat, & exorbitantias humanas tollendo vnctum suum conservet, & per sibi placita media harmoniam antiquam restituat.

81. Capitis cum membris vnio, optima conservatio Imperij.

Hinc benè sequitur, si Ordines servatum velint Imperium, inventam esse viam promissæ compositionis, scilicet concordiam membrorum cum suo capite juxta antiquam notam Imperij. si dissolutionem intendant, nullum medium pacis sufficere, & per vniones jam actu esse dissolutum Imperium.

82. Quatuor notabilia in imperio.

Sanè dum statum præsentem recogito, tria notabilia nec satis assequor, nec satis admiror. Primùm, quod Ordines credant secessione facta se divinæ ordinationi impunè posse resistere, cum nemo evadat, qui Deo resistit. Secundum, quod Ordinem naturæ, & rectæ rationis evertant, dum membra sibi contraria Capiti leges imponere volunt, & tamen salvum corpus subsistere imaginentur; & quod Ordines malint exterorum Regum mancipia fieri, quàm sub clementissimo Imperatore

83. Cæcitas humana prudentiæ.

tore liberè regnare. Tertium, quod Imperator visa tam deformi rerum confusione, & armata contradictione non se abdicet Imperio, & in suis regnis quietus Deo vivat. Addo quartum, quod omnem captum, & admirationem superat. An post resignationem, aut obitum Imperatoris (quæ Deus avertat) futurus sit Princeps, qui hanc larvam Imperij ambire, vel oblatam acceptare velit. sed pro vt Deus in cœlo dispoſuit, ita fiat.

84. Imperiũ Germaniæ larva.

Quæ aliæ sunt in Imperio controversiæ, eadem via generali, & speciali ad concordiam redigi possunt, si ordines Deo, justitiæ & rectæ rationi suas passiones submittere velint; & ideò jam tertium concludens ingemino, si ordines Imperium in sua harmonia, majestatis splendore, & pace publica conservatam velint, quod simpliciter necessarium sit. Dent Cæsari, quæ sunt Cæsaris: & Deo, quæ sunt Dei.

85. Cæsari sua, & Deo danda.

Ex Germania transeamus ad Hispanos, & Gallos, & videamus an inter ipsos Reges pax conciliari possit.

86. Media pacis inter Hispanos, & Gallos.

Politici mundi sapientes dicunt inter Hispanos, & Gallos non posse concordiam conciliari, & conservari. Primò, quod naturale quoddam sit odium inter duas istas nationes, & magna animorum, morumque diversitas. Secundò, quod Ratio status continuam inter illos foveat suspicionem, metum de nimia potentia, invidiam de prosperitate, ambitionem de vicinis provincijs, desiderium de interitu. Tertiò, quod impossibile sit, vt Reges tam potentes, & vicini sibi mutuo confidant, & alter ad alterius potentiam diminuendam, aut à se divertendam non extrema, & arcana quævis machinetur. Et ex his concludunt frustrà inter illos pacem tentari.

87. Politicorum rationes negativæ, quare pax Hispanorum & Gallorum sit impossibilis.

88. Idoli proprietas.

Sed his non attentis, si licet humili de magnis cogi-

89. Hispanorum, & Gallorum pax quare possibilis.

tare, aliud mihi de tam præfulgentibus in orbe Christianis Regibus est judicium. quod, nimirum, invito diabolo, reclamante Idolo status, & in vanum sibilante politico Reges prædicti mutuam pacem componere, & conservare possint. Hoc probo primò per omnes rationes suprà allegatas, quæ pacem inter Christianos demonstrant possibilem. Secundò, quod tam Hispani, quàm Galli omnia impedimenta pacis in personis proprijs, & subditis suis amputare possint. Tertiò, quod etiam possint quatuor media proposita ad pacem laudabiliter assumere. Quartò, quod de belli necessitate, & pura intentione Deo teneantur ad strictissimas rationes. Quintò, quod fraudes Idoli status jam perspectas habeant, & cum ex illo omnis discordia, & diffidentia oriatur, ideo de industria Idolum non vlterius adorare, ejus pestifera consilia rejicere, & secundum Deum pacem inquirere debeant, & possint. Sextò, quod omnes

90. Voluntas Regum causa bellorum.

lites, & controversias per viam compositionis, & justitiæ possint componere; & quod nihil illos ad bella necessitet, nisi vitiosa voluntas, quam quando volunt, corrigunt.

Solutio ad argumenta Politicorum.

91. Natura conservatrix sui.

Sic de Christianis Regibus candidè sentio, quidquid oblatret Politicus. & hinc respondeo mundi sapientibus, atheis, ad primum Argumentum, negando, quod inter Hispanos, & Gallos naturale sit odium. quia natura conservat suam speciem, quam odium dissipat, & perdit. Et si diversitas inclinationis, & morum ad bellum faciles reddat, habent legem Dei, fructum pacis; judicium rectæ rationis, quibus vtrinque in terminis concordiæ contineri, odia moderari, & passionibus prædominari possint. Erroneum est hoc, & calumnijs plenum Politicorum argumentum, vt patet consideranti.

Ad 2. argumentum reſpondetur. Veram eſſe, quod Ratio ſtatus falſa omnia iſta inconvenientia inter Reges concitet. Sed cum Chriſtiani Reges falſam rationem ſtatus Idoli abominari, & ſolam veram formam regnandi ſequi teneantur, facilè ab omni illa difficultate abſolvuntur. Si Pacem volunt ſolidam in regnis, & illam quæ exuperat omnem ſenſum in cœlis, excludant vtrinque Idolum ſtatus, & ejus arcanos conſiliarios, & nunquam pax deerit. 92. Ratio ſtatus vera, non falſa ſequenda.

Ad 3. Argumentum reſpondetur ferè eodem modo, quod quidem apud cultores Idoli impoſſibilis ſit Regum confidentia, & pax ſine clandeſtina machinatione, & dolo. Sed apud veros Chriſtianos ſecundum Deum abominabilis ſit omnis illuſor, & infidelis inſidiarum machinator. Ethnicis ſerviant talia argumenta, Chriſtianis indigna ſunt.

At verò pro meo inſtituto pugnatum eſt ſatis; patet etiam ſtrata via pacis, illius amore ad auctorem pacis Deum Optimum Maximum me converto, humillimè orans, vt Regibus Chriſtianis pacem, & concordiam donare dignetur. Reges autem, & omnes Chriſtianos cujuſcunq; ſtatus per viſcera Chriſti D. N. ſubmiſſè rogo, attendant ſibi à fraudibus, & cultu Idoli ſtatus; inquirant pacem, & invenient illam. Hoc omnibus, & ſingulis imprecor, & me, meoſque conatus, vt boni conſulant, humiliter commendo.

Soli Deo ſit gloria, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.



INDEX RERVM PRÆCIPVARVM HVIVS OPERIS. IN QVO PRIMVS NVMERVS DENOtat librum; secundus Punctum: tertius locum Puncti.

A judi-

Bene-

Cautio

Con-

Defen-

Deus

F.

Forti-

Hære-

Hære-

Idoli

I.

Multis

Politi-

Pru-


Ratio

Status

FINIS.

Errata sic Correcta.

Fol. 15. Vęras	veras.
19. qui	quia.
33. corde	ore.
54. Boloniæ	Poloniæ.
57. omne	omni.
62. habetius	habet jus.
78. ſunt	ſicut.
103. injiciantur	injiciatur.
115. fortam	fortem.
116. lationes	nationes.
ibid. neceſſarie	neceſſariæ.
121. hiſtoricæ	hiſtoriæ.
127. infeliciſſimum	in feliciſsimum.
144. an	ad.
157. ſcandula	ſcandala.
195. ſoli dari	ſolidari.
198. indignis	indigni.
202. ſubtilios	ſubtilius.
247. humilima	humillima.
ibid. humilimè	humillimè.
250. ſanctam	ſancta.
251. Hieroſolomitani	Hieroſolymitani.
253. ſordi	ſordidi.
298. Et qui	Et quia.
299. immittant	immittantur.
311. cum alias	cum alijs.
317. diffitentiam	diffidentiam.
337. verò	vero.
346. odio	odia.
383. veram eſſe	verum eſſe.



2-6-130

00564704 8

